OMNIUM SANCTORUM IUBILAEUS EUANGELICUS, HOC EST TRACTATUS DE STATU ECCLESIAE ANTE...

David Meyer


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 K
9 M



Omnium Sanctorum


IVBILÆVS EVANGELICVS,

Hoc est

TRACTATVS

DE STATV ECCLESIÆ ANTE LVTHERVM PRORSVS MISERABILI: ITEMQVE DE REFORMATÆ RELIGIONIS EVANGELICÆ

auspiciis ante Centum nunc annos feliciter factis, eiusdem progressu & continuato ad hæc vsq; tempora successu; vna cum inserta fusiore narratione Natiuitatis, vitæ, mortis, doctrinæ & meritorum eiusdem R. Patris D.D. Martini Lutheri Antichristicidæ p.m. Item de solida huius doctrinæ Luthericæ antiquitate; Papismi nouitate & hæresi: Deque interitu plurimorum Papistarum Euangelij hostium prorsus tragico, &c.



VNA CVM

PRÆFATIONE AD SERENISS. DVCEM BRVNSVVICENS. &c. præcipuos errores, hæreses, portentiloquia, cædes & Tyrannidem Papæ Romanensis & hodiernæ Papisticæ Ecclesiæ breuiter & synoptice recitante.

OMNIBVS ILLIS

QVI VERITATIS EVANGELICÆ SINCERITATEM PIE VEnerantur, & Becani, Vetteri, Kelleri, Flaschii, Nasi, Gretscheri, Stevartij, Serarij, Schargæ, Schereri, Scioppij, Pistorij, Pomerij & similium Halophantarum de hoc eodem argumento sparsas Calumnias hactenus tolerarunt, periucundus vtilis & necessarius: Historice & Elenchtice institutus.


Recensente

M. DAVIDE MAIERO, ECCLESIÆ GEORGIANÆ apud Hannoueranos Pastore.

Præfixus est index sectionum cum subiuncto ad calcem indice rerum sat diuite.

PERMISSV SVPERIORVM.

FRANCOFVRTI
Typis Nicolai Hoffmanni, sumptibus Ioannis Bassæi.
ANNO M.DCXVII.




Sereniſſimo, Celſiſſimoque Principi ac Domino, Dn.

FRIDERICO HVLDERICO, BRVNSWICENSIVM ET LVNÆBVRGENSIVM DVCI POTENTISSIMO, PATRI

Patriæ Auguſtiſſimo, Religionis Euangelicæ Chriſto-Lutheranæ Adſertori & Defenſori conſtantiſſimo, Domino meo Clementiſſimo:

Omnem à DEO OPT. MAX. cum Temporariam, tum Æternam felicitatem animo deuotiſſimo precor.



LLVXIT nunc SERENISSIME, CELSISSIMEQVE PRINCEPS, Domine Clementiſſime, quod Eccleſiis noſtris tum reipubl. ciuili in hoc florentiſſimo Ducatu, tum toti ipſimet orbi Chriſtiano fœlix fortunatumq; ſit, Annus θεανθρωποφανείας ſuper milleſimum & ſexcenteſimum decimus ſeptimus, qui eſt ſecularis adeoque reformatæ religionis noſtrę Euangelicæ quaſi natalitius; quo ante centum nunc annos miſericors Deus feneſtràs cœli ſuper afflictiſſima filij ſui vnigeniti Eccleſia paterne aperuit, vt ſplendor & claritas verbi ſui ſaluifici è ſpiſſiſſimis regni pontificii tenebris rurſus exſplenduerit, & ſimul turpitudo meretricis Babylonicæ & Tyrannis patefacti & pudefacti tandem Antichriſti toti Eccleſiæ Ieſu Chriſti oſtendi cæperit. Hanc reaccenſam Euangelii lucem inter longe maxima pericula & ſpicula Satanæ & mundi in aliquibus his Europæ angu-

lis huc vsque continuato successu Deus optimus Maximus clementer fouit & conseruauit, in integrum nunc seculum ab initio huius reformationis & impugnati Papatus Romanensis euolutus sit, & annus hic Iubilæus & secularis auspicato illuxerit: annus, inquam, non vulgaris & anniuersarius, sed plane singularis & quasi nouus, qui non nisi centesimo quoque peragitur & frequentatur anno: cuius augustiorem cursum nemo eorum, qui nunc viuunt, hominum vidit vnquam, nec porro visurus est; vt de ludis olim secularibus Senatus populusque Romanus voce Præconis in publicum proclamare solitus est: Nemo mortalium vllis cogitationibus comprehenderit, aut oratio cuiusquam satis expresserit, quam fœdis tenebris, hæresibus, erroribus & blasphemiis Religio Christiana, quanta denique barbarie & Tyrãnide plusquam Scythica Imperiũ Romanum Imperiique Reges & Principes suppressi & tantum non oppressi ante hæc tempora & prorsus exstincti fuerint. Certe operæ pretium fuerit horum omnium subinde rememinisse, memoriamque sæpius refricasse, vt sic ad seriam gratitudinem pro tanta tamque gloriosa liberatione excitemur, & simul preces & vota concipiamus, Deumque omnipotentem ac misericordem animis, pœnitudine vera & deuota collapsis: sed fide in Seruatorem nostrum Iesum Christum erectis, etiam atque etiam oremus, vt propter eundem illum vnicum & vnice dilectum filium suum porro etiam inter nos hanc verbi sui lucem & puritatem inter tot Diabolorum ac mundi furores & fremitus conseruare, & Ecclesiam vere-Catholicam, quæ Christum caput agnoscit, eiusque vocem audit & sequitur, misericorditer tueri velit.. Ea intentione, quam breuissime fieri potest, in præsentia, repetam præcipua argumenta tam duræ & diræ tyrannidis, quam ante hoc seculum, priusquam Antichristicida Lutherus, Cygnus Ecclesiasticus, Spiritu Eliæ diuinitus armatus & fultus, opus reformationis inceptasset, Pontifex Romanus in Religionem & politiam Christianam exercuit; synopti-

ce ἐν ἐπιτομῇ καὶ διὰ βραχέων SERENISSIME PRINCEPS id faxim, ne C.T. aures nimia quadam & discincta prolixitate grauem: proinde vt dum paucis me expedio, generose animum intendat illustrem; subiectissime peto.

Indefesso studio id vnice ante hæc tempora, imo adhuc etiam Papa Romanus dat operam, vt sic Ecclesiæ & Imperii Romani omniumque principum Dominus, director, direptor, expilator: hunc scopum sibi præfixum vt attingeret, tam in Ecclesiam huiusq; sacrosanctam religionem deuastandam, quam Imperium Romanum suis legibus & statutis subiugandum, euertendumque omni tempore & occasione semper summis contractis viribus & intentis studiis grassatus fuit, adhuc grassatur, & deinceps pro suo captu, captusque consueta ratione grassabitur.

Vt sanam religionem è verbo Dei solide exstructam potenter & funditus destruat Papa, has blasphemias congerit contra animam & arcem sanæ & orthodoxæ religionis. 1. Verbum Biblicum acerbe deridet. 2. contendit Laicis non permittendum esse, vt legant in Vernacula lingua codicem biblicum. 3. prohibet translationem textuum S. Bibliorum in alicuius populi vel prouinciæ vernaculum idioma: mordicus interim retinendam versionem vulgatam, vt constat, multis in locis vitiosam, latinam Laicis communiter in Europæo orbe incognitam præcipiens. 4. Clamitat, sacram scripturam non esse simpliciter Mensuram fidei & iudicem controuersiarum. 5. arguit & condemnat S. scripturam imperfectionis. 6. imputat eidem obscuritatem. 7. accusat eam ambiguitatis. 8. cauillatur S. scripturam tanquam matrem plurimarum hæreseon. 9. ream peragit eandem mutitatis.

Postquam sic verbi cœlestis autoritatem adeoque os Spiritus S. blasphemando blasphemauit & repudiauit: transit Papa ad aliud principium Theologicum, quod ex seipso, velut ara-

nea ex se venenatas telas texit, impudentissime comminiscitur. Dicit enim passim in libris & sutelis libellorum papisticorum scriptorculorum de se: aut sinit sibi (quod perinde est) à suis gnatonibus occini hæc mire pulcherrima emblemata: Papam 1. esse supra scripturam, quæ a papasello isto omnem mutuetur autoritatem, fidem & gloriam. 2. non errare. 3. esse normā controuersiarum propter scrinium. 4. posse mutare creaturas. 5. esse super angelos & infernum. 6. posse sup Apostolos dispensare. 7. à nemine posse iudicari: etiamsi sit hæreticus, sodomita, Tyrannus, Magus, Dæmoniacus, incantator, atheos, sacrilegus: & animas cateruatim quotidie ducat ad orcum. Imo scribunt & cantillant Iesucidæ & Papicolæ Papam esse Deum.

Vt vero Papa in hac authoritate solidetur, efficacissimis, scilicet, his vtuntur hypothesibus, quibus ceu fulcris bellatulū suum Deastrum vndiquaq; fundare & confirmare, munire, & stabilire allaborant iidem Iesuitici bruchi & stelliones. Mentiūtur enim Papam 1. esse Vicarium Christi. 2. Assuunt Petrum fuisse Romæ primum Papam. 3. commentantur vni Petro præ reliquis Apostolis primatum à Christo fuisse datum. 4. Fabulantur Papam esse Petri hæredem & successorem. 5. ex eodem papastro fabricant caput & sponsum Ecclesiæ. 6. adiiciunt mēdaciorū tanto cumulo vinnulū, & venustulum hoc ἐπίσαγμα nimirum, quod Papa sit super concilia, patres, Ecclesiam. Vide CELSISSIME PRINCEPS ô illustris anima! tale quid ex se Papa tum ipsemet, tum eius vespæ & Verpi (supercilium Iesuiticum condonet mihi hunc calami fluorē) ranæ & cicadæ Apocalypticæ faciunt, fingunt, cantillant, screant, tussiunt.

Circa hæc papismi blasphema principia quis non iusto pietatis zelo abreptus iustissime reputet & proclamet Papam esse ipsum Antichristum, hæreticum, abnegatorem fundamenti Christianismi: & quod Roma hodierna sit ipsa fœdum halans Babylonia Camarina!

Recensui

Recensui aliquid de capite & sponso Papa: Iam contemplemur, qualem ille habeat Ecclesiam sponsam: & vero de Ecclesia sua, quam iste filius perditionis ridicule nominat Catholicam, iactat quod sit 1. fundata super Petrum & Papam. 2. quod sit super scripturam. 3. quod non erret. 4. quod hæreticos recte armis corporalibus, igni, fune, rota, ponto, ense tollere studeat 5. quod hanc habeat Characteristicam notam: agnoscere Papam pro capite suo: consentire cum multitudine papistarum idem statuentium.

Subseruientia his omnibus subnectit & appendit præsidia, nimirum Traditiones, Concilia, patres, miracula, & spectra.

Traditiones iactat Papa suas, acsi 1. sint ab ipsis Apostolis traditæ, quod ipsum demonstrare tam ipsi est possibile, quam Asinum volare sine pennis. 2. scripturis præiudicent. 3. sint vniuersaliter à tota Ecclesia receptæ. 4. à iure canonico confirmentur, & si opus sit, suppleantur. 5. quod ad has traditiones omnia Concilia sese inclinare debeant.

Concilia etiam iactat Papa non quidem sana & orthodoxa, sed quæ sæpe hæreses defenderunt, si modo in aliquibus cum orthodoxa Euangelicarum Ecclesiarum confessione pugnent. Promiscue de huiusmodi Conciliis blatit Papa, quod sint 1. indicenda à solo Papa. 2. quod Papa in eis solus sit vox Iudicis. 3. quod talia concilia sint verbo Dei adæquata, adeoque scripturis præualeant. 4. non errent. 5. quod decretis conciliorum omnes teneamur. 6. quod Laici in illis lucrum non habeant, das heisset sich verwahren.

Patres etiam crepat, qui stent pro Papæ autoritate. Sed quos mihi narras patres? Resp. Scholasticos, Seraphicos, illuminatos & famigeratos illos, & Cherubicos, Holkot, Bricot, Mephret, Dormisecure, Scotum, Durandum, Thomam Aquinatem oder Wasserblasen / Biel, Bonauenturam & huius surfuris alios plures. De hoc patrum manipulo cantatissime notum est inter

papiſtas: quod non errent, ſint irrefragabiles, ſint ſupra ſcripturas, vel his autoritate pares. De Satanicis Miraculis & ſpectris quibus ſuam religionem ſtabiliunt, non opus eſt verbis. Solo nomine piis mentibus incutiunt horrorem.

Hæc autem ſunt Sereniſſime PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, principia & ſtatumina quibus vtuntur & nituntur contra nos Papiſtici ſcriptorculi: quid putet Tua C. quam fœda & ſulla mataeologia ex his putidis & Diabolicis ſequatur coccyſmis & vlulatibus! SERENISSIMA T.C. non grauetur, ſi ex his principiis illam belliſſimam quaſi principiatam religionem in cæteris punctis, ſed breuiter, depingam, dicenti mihi illuſtrem aduertere mentem & benignas aures.

Falſo, inquam, fundamento & principiis imponunt Papa & papicolæ horribilem religionem, quę turpiſſimis laborat mendaciis, quæ conſpiciuntur partim in doctrina, partim exercitio religionis.

Primo circa doctrinam triſtiſſimum Catholicæ fidei naufragium patiuntur, in articulorum fidei reiectione per apertam abnegationem & ſacrilegam corruptionem. Apertam committunt abnegationem, quando 1. peccatum originis extenuant, 2. aiunt, legem à nobis poſſe impleri, & plus adhuc, quam Lex à nobis poſcat, poſſe à nobis fieri. 3. Tribuunt homini liberum arbitrium in ſpiritualibus. 4. derogant fidei ſalutem. 5. meritum & gloriam mortis Chriſti exulcerant. 6. plures mediatores fingunt & ſic vnitatem mediatoris Chriſti blaſpheme tollunt. 7. prædeſtinationis tremendum myſterium bonis ſuis operibus menſurant. 8. coniugium prohibent & impuro poſtponunt cœlibatui. Hos fidei articulos, inquam, omnino ſic tollunt & nimia iſta corruptione & hæreſi prorſus extinguunt.

Subtexo nunc eos articulos doctrinæ Chriſtianæ, quos Papicolæ ad prædicta principia inclinant, & fœdiſſime corrumpunt. 1. omne firmum ſolatium eripiunt è loco de pœnitentia. 2. inculcant confeſſionem & auricularem abſolutionem. 3. Sacrificium

crificium precum infarciunt opinione meriti & horarum canonicarum superstitiosa. 4. Horribilia mendacia fouent de statu animarum post hanc vitam. 5. Mutilant, adorant, circūgestant, includunt, diluunt, conspuunt, cōmaculant, mutant, augent, minuunt sacramenta. 6. Ieiune sentiunt de Magistratu politico. 7. Ministerium verbi friuole & proterue despiciunt: per contumeliam vocitant concionatores, Es seind inquiunt Wort Hansen/prædicantes Predikaußen/prędicabilia. D. D. Hunnius respōdet alicubi: melius est esse prædicantem quam missificantem, vel missificulum, vel missificem, Germanice ein Missethäter.

Exercitium Religionis quod attinet Papisticæ, rursus hic conspexeris plurimas vanitates manifeste hypocriticas. 1. Ieiunia Papistica superstitiosa. 2. Eleemosynas meritorias. 3. castum, si diis placet, cœlibatum. 4. Vota, &c. Conspexeris hic etiam cultus prorsus idololatricos. 1. Venerationem imaginum & mortuorum, peccato olim pollutorum hominum. 2. Cultus reliquiarum mendacissimarum. 3. Venerationem blasphemarum indulgentiarum. 4. superstitiosas peregrinationes. 5. Habitum monasticum in morte, qualis Christophoro Longolio contigit, cum hac opinione ac si in cucullo Monastico quis dignius coram tribunali iudicis nouissimi stare possit! At ô tenebras! ô Satan, quin Deus te compescit! 6. Vigilias, exequias, aquam lustralem, putentem illam saniosam & intoxicatam.

Si conuertas te ad ceremonias, Christe bone! quantam illorum demiraberis multitudinem, varietatem, profanitatem, futilitatem, gentilem impietatem, vtpote innumerabilia idololatrica festa: Iubilæum, pecuniarum aucupem, creaturarum consecrationem, supellectilem Ecclesiasticam, welchen Plunder D. Lutherus nennet der Papisten Klipperwerck: videbis etiam hac in classe infinitam pluralitatem officiorum & officialium,

qui omnes in culina papæ eleemosynis Ecclesiæ sic per detestã-dum abusum profusis saginantur & refarciuntur.

Hucusq; ILLVSTRISSIME PRINCEPS recitaui mendacia & dolos & inexcusabiles blasphemias quibus Romanus Antiochus religionem suam Antichristicam nequiter incrustat, munit & fulcit: sed nondum abire hinc queo, quin addam etiam alteram quasi huius προσφωνήσεως partem, quæ est de tyrannide corporali & homicidiis, quibus in omnes eos, qui mẽdaciis & blasphemiis tot tantisque contradicunt, crudeliter & truculenter grassatur. Etenim hæc est verissima Antichristi nota, quod regnum suum mendaciis & homicidiis fulciat secundum illud quod Christus diserte de Antichristi progenitore Satana eloquitur. Iohann. 8. versicul. 44. Diabolus mendax est (οὐδὲ ἀλήθεια ἐν αὐτῷ) & homicida, ἀνθρωποκτόνος ab initio, & in veritate non perstitit, &c. Dabo igitur operam rursus, ne iusto sim longior: & quis tamen cito vel rotunde è tam vasto errorum, hæresium & abominationum euripo, expediat se, licet vel maxime saltem titulos errorum istorum ceu summos apices decerpat?

Antichristus Tyrannidem suam exercet duplici ratione: primum, dominio quodam Rhadamanteo. 2. Violenta executione, nisi quis collum laruato isti dominio humiliter submittat. Dominium suum vsurpat generaliter & specialiter. Generaliter in omnes homines, ratione excommunicationis, cuius vibratu ferit omnes, quicumque ipsi vel non placent, vel non satis pecuniarũ dependunt, siue sint seculares, siue Ecclesiastici.

Specialiter & seorsim primo in Ecclesiasticos, quos sua mãcipia facit 1. adstringendo eos sibi iureiurãdo, quod præcise requiritur ab omnibus qui appetunt cardinalatum, patriarchatum, Episcopatum, Præposituram, Abbatiam, Decanatum, Canonicatum, &c. 2. præficiendo eos officiis, ratione hac per expressum sibi reseruata, quod beneficia Ecclesiastica dispensanda penes ipsum sint solum. 3. Instituendo & confirmando nouos subinde, quos qualesue pro libitu vult, ordines.

Sed & hæc ipsa sua mancipia probe deglubit, eorumque loculos gnauiter euiscerat: Hac in parte ipsi iampridem acerbam occinuit veritatem Baptista Mantuanus, qui sic ei in faciem:

————----- *Venalia nobis*
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ
Ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusque.

Et Conradus Celtes sic inquiens

Quicquid in extremis habuit Germania terris,
Et mediis quicquid continet illa plagis
Exhaustum est, totum Latias migrauit in arces,
Expleat vt luxus perfide Papa tuos.

Deglubit, inquam, mancipia sua per 1. Annatas. 2. Vacantias. 3. Decimas. 4. Casus reseruatos, quos comminiscitur innumerabiles. 5. Vendit claues. 6. Laxat pro pecuniis bannum. 7. sacrilegus Ecclesiarum omnium bonis incubare, & eadem pleno dominatu possidere vnice laborat, imo & quotidie deuorat & consumit.

Deuenio nunc seorsim ad seculares: hic attendamus violentum dominiũ, quod exercet in magistratum summũ, medium, & inferiorem: summum Magistratum, iniquissimo suo sceptro premit vel ὁλικῶς vel μερικῶς. Primo inquam ὁλικῶς continuo detrimento est toti Romano imperio, dum 1. gloriatur se esse dominum imperij 2. Iactitat eminentiam & donationem Cõstantini vanitatibus marcidam. 3. ostendit duos gladios. 4. Vendidit nonnunquam Imperium. 5. Causas forenses per viam appellationis ex Imperij camera ad solium Romanense, quod mendacissime vocitat Apostolicum, adstringit. 6. Cęsarem Papæ Vasallum facit. 7. Cæsaris electioni præesse, & eandem, pro ut vult, dirigere præsumit. 8. Coronare Cæsarem, ni velit non acceptari, superbissime & intolerabiliter nititur. Sic quassat columnas imperij Romani.

Μερικῶς in personam ipsam Cæsareæ maiestatis sæpius cru-

de iniurius est. Etenim 1. Cæsarem ex alto aspernatur, dum se Solem: Cæsarem vocat Lunam 2. Magnificentiorem gressum ingressumque, quam Imperatoris est, impudenter affectat. 3. Nonne sic authoritatem Imperatoris præ se viliorem facit? 4. Cæsar sæpius persuasus fuit à Papæ gliribus & parasitis, vt Papæ ministraret. 1. oscula dando eius pedibus. 2. aquam infundendo eius manibus. 3. inseruiendo pransitanti Papæ. 4. tenendo stiuam eius non ad dextram sed ad sinistram, nisi piaculum committere velit. 5. Caballum Papę equitaturi fræno prehensum alioquousq; ducendo. 6. Sæpius coactus fuit Imperator bello persequi Reges, Principes, & Dynastas quoscunque odio & simultate Papa infestat, vel etiam pios doctosque viros, quos sæpius hæreticos vocitat, & hoc nomine condemnat, per Cæsarem occidit. 7. Electio & confirmatio Imperatoris includit etiam Canonicatum ad S. Petrum Romæ. Sic Cæsar Canonicus Papasello iureiurando deuinciri requiritur. Est ne hoc summa iniuria afficere summum in Christiano orbe Magistratum? O secula.

Sed quomodo Papasellus tractat alios Reges, principes & Dynastas in Imperio Romano? Eos 1. variis ministeriis præficit. 2. nonnunquam è culina sua cibat. 3. confirmat eorum regna, vngit eos in Reges, vocat eos suos filios, dat eis plumbea sigilla, indulgentias, imagunculas crucifixi Christi, agniculos Dei. 4. Ornat eosdem equestribus, regiis & illustrib. insigniis. 5. Seculares hi principes osculantur eius pedes, tenent eius stiuam, ministrant ad mensam.

Inferiorem magistratum in ciuitatibus magnis subiicit Papa suis iuratis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Patriarchis: in minoribus ciuitatibus magistratum subdit Abbatibus, Præpositis, Monasteriis, &c.

Hæc de Tyrannico dominio: Nunc aduertamus porro, quam hostiliter sæpius ad ipsa arma & bella siue crudeles exsecutiones prosiliat Papa. Hic quoque habes gradus: Primo

enim

enim oblique & mitiore ſub colore vngues leoninos ſuos occultat: nihilominus tamen triſtiſſimam in republica Chriſtiana & Imperio Romano interim patrans cladem: dum 1. papiſticas fundat, ditat, alit Academias, Gymnaſia, Scholas. 2. Omnes Europæi orbis prouincias ſuis complet inquiſitoribus, emiſſariis, proditoribus, monachis, Ieſucidis, Capucinis, Lictoribus, veneficis, incendiariis, ſicariis. 3. Donariis doctos viros paſſim ineſcando ſibi deuincit. 4. per indicem quendam purgatorium laniat ſcripta vetuſtorum Eccleſiæ patrum, quando nimirum ſonant contra Papam. 5. prohibet, intercipit, tollit, comburit ſcripta Lutheranorum, vt ſus hæc nominitando grunnit, hæreticorum. 6. Subſtituit & obtrudit ſua mendacia ſcripta, rancidos Scholaſticos. 7. Poſtulat colloquia in quibus immodeſti & ſcurriles plerunque Ieſucidæ ſumma tenent ſubſellia, glorioſi buccones & ſycophantæ, Papæ Catelli Melitæi, & iurati adſeclæ. Sed ſi hic fucus per omnia non procedit, & nonnunquam ſua impedimenta & remoras patitur, tum ad vim publicam, gladium Pauli non Tharſenſis, ſed Caſtrenſis erumpit, & tanquam Imperij, Cæſaris, Regum, Electorum principum apertus hoſtis apparet, cataphractus, expedit 1. fœdera, conſpirationes, ligas. 2. proditiones. 3. venena. 4. Inſidias. 5. euangelicos ordines, & eorum ſubditos ad nullos permittit honores. 6. Eoſdem nullibi, vbi Papa rerum potitur, nec impeditur, figere pedem patitur, ſed potius eiicit, exturbat, proſcribit.

Nondum vero conquieſcit: ſed vim exercet contra ſacram Cæſaream Maieſtatem, Reges, Principes, confiſus diuitiis illis, quas ex pluteis Chriſtiani orbis nequiter extorſit, quibus vel inuitis omnibus fere Regiis theſauris præualet: confiſus denique multitudine ei adſiſtentium. Tyrannicorum papiſticorum Cardinalium, Patriarcharum, Epiſcoporum, glirium, locuſtarum, lumbricorum, ranarum, caudarum & cicadarum, Apocalypticarum, quib. totum Antichriſti regnum vermicu-

lando scatet, putet, fœtet, olet, halat: ibi grassatur hæc bestia in quosq; obuios magistratus, sum̃os, medios, inferiores, siue adhuc viuant siue mortui sint: nã & horũ cineres inquietare, inq; banno suo brutali retinere non reueretur! Sæpius contra viuos fregit pacem & inducias, frustra iureiurando compromissas. 2. gessit sæpius bella aperta contra Cæsares, quos & 3. bruta & asinina sua ferit, terret, enecat excommunicatione: licet hæc reuera sit nihil aliud, nisi fulgur ex pelui, panicus terror, vesicula pisis tribus, quatuorve crepans, Ein krafftloß Gantz anpfeiffen/ oder Beckenklang. 4. Eripit regibus regna, & transfert quocunq; libet ad eos qui sunt de nidore, fumo & quadris culinæ papaselli. 5. vel adimit magnatibus regalia & alias opes, & has ad se trãsfert. 6. Sæpius armauit principes aduersus Imperatores, & hos rursus contra illos, vt sic cupiditatem sceleratæ suæ vindictæ in hos vel illos diabolice præconceptæ explere, & oculos in natante interfectorum hominum sanguine exsatiare possit. 7. Multoties denegauit Cæsari coronam, nec eundem recipere, agnoscere, confirmare voluit. 8. Quoties, Christe bone! soluit subditos à iuramento, quo Cæsari, regibus, principibus deuincti erant? 9. Quoties pedibus non solum imposuit coronam in capita Imperatorum, vel etiam Heroes illos Diuos & Opt. Max. humi prostratos conculcauit, & sic Satanica extrema & nunquam excusabili contumelia affecit, ordinemq; illum placentem Deo, adeoque Deos (sic enim Spiritus S. Magistratum politicum nominare dignatur) ipsos ista meretricia progenies calcauit & in lutum prouoluit, indignissimeque dehonestauit: sicut inter cæteros Diuo Friderico Barbarossæ, Principi Semideo ad omnia summa nato accidit ab infelici cerberea prole Papastro Alexãdro. 3. Venetiis spectante tota ciuitate, imo vniuerso Christiano orbe: Wunder daß nicht der Keyserlichen Trabanten einer/ etwa ein Edler redtlicher Teutscher Mann/ der diß angesehen / für Heroischem Eyfer / das mal hinzu getretten / vnnd dem Bapst Alexandro dem Huren Sohn mit einem Dolch das Hertz im

Leibe entzwey gestochen: sed fuit tum nox tenebrarum. 10. Ah quoties, proh dolor, inter ipsos imperij proceres bellorum semina, odia, simultates sparsit, suggessit, plantauit, vt mutuis conciderent conflictibus & vulneribus. 11. Quoties Turcam Papa inuocauit & concitauit contra Imperatores & Reges nostros? 12. Multæ possent nominari gentes, quæ ad extremam vsque internecionem afflictæ & tantum non deletæ sunt ab hoc Antiocho Romano. 13. Huc pertinent cruentæ inquisitiones, quibus multæ myriades martyrum & confessorum Christi è rebus exempti sunt humanis. 14. Huc pertinenter allegari possēt exilia & eiectiones piorum, vel eorundem iniectiones in carceres, depauperationes eorundem, infamationes, cædes priuatæ, quibus plurimos nobilissimos & sapientissimos viros ab hoc rubro Dracone afflictos esse nouimus. Sed omnia nemo enumerauerit.

Dum hæc ita commemoro, in nullo apice vel puncto Serenissime Princeps vel papæ vel papistis vllam facio iniuriā: non n. mentior: sed purā putam, & in publico toties prostitutam veritatem in historiis vetustis & recentibus cantatissime sonantem, tonantem, eiulantē recito: & sine labore hæc omnia, quæ nūc delibando quasi, & summe decerpendo recensui, specialiter & fusissime exemplis & demonstrationibus ad oculum, cuiusuis id postulantis, poni & euinci possent.

Inseruit autem hæc recensio eo, vt excitemur ad considerationem permagni illius operis, quod ante annos nunc centum misericors pater cœlestis per ministerium fidi sui serui D. Martini Lutheri contra hūc filij sui Domini nostri Iesu Christi Antidicū inuictissime incepit & postmodū gloriosissime ad optatum finem perduxit. Lutherum Deus spiritus sui sancti infracto roborauit robori, animauit, confortauit, solatus fuit, defendit & quasi murum inexpugnabilem posuit contra crepitus & crepitacula, spectra & spectacula portarum infernalium, huius mundi, Regum & principum, qui cum Thaide illa Babylonica

bylonica per tot retro ſecula nefarie ſcortati fuerãt, & de vino furoris eius vſque ad effœminatam dementiam participauerant. Nullus mortalium quantumuis potentiſſimus, armis, vi, opibus, conſiliis & adminiculis humanis tantum opus efficere potuiſſet: ſed digitus Dei iſthæc effecit: Patres noſtri hoc miraculum viderunt & nos audiuimus ex illis hæc magnalia omnipotentis Dei. Nobis ergo inſeruiat horum omnium memoria & recordatio; vt grati ſimus erga incomprehenſibilia hæc & indicibilia beneficia diuinitus nobis præſtita. Simus pœnitentes & oremus vt hanc lucem verbi ſui in medio noſtrum reaccenſam miſericorditer conſeruet: nec ob ingratitudinem & multiplicia peccata noſtra eam extingui ſinat: remittat nobis per Chriſtum redemptorem mundi, qui pro noſtris peccatis victima cecidit & maledictio factus eſt, noſtra peccata: frænet & inhibeat furores Diabolorũ & Antichriſti, Turcici Tyranni & omnium illorum, qui lucem cœleſtem hãc verbi diuinitus nobis rurſus patefacti furenter perſequuntur & áuerſantur.

Magnum opus olim fuit eductio populi Iſraelitici è terra & miſerá ſeruitute Ægyptiaca per Moſen, & deductio eiuſdem populi in terram benedictam per Ioſuam, & deiectio murorum Iericho ad ſonitum tubarum: ſed hoc opus reformationis, & pudefactio patefacti Antichriſti itidem eſt ingens Dei Opt. Max. excelſumque opus: Hoc enim opere Pharaonem Antichriſticum in multorum Chriſtianorum cordibus occidit, deiecit ſimul muros, præſidia & propugnacula Babylonis Ierichuntinæ noſtro ſeculo: & erupit ſimul clangor & ſonitus Euangelicæ prædicationis, quæ perſonat & peruagatur nunc per totum Europæum orbem. Et licet plurimi papicolæ id muſſitent & diſſimulent in iis locis, in quibus adhuc Antichriſtus dominatur, eiuſque culina fumantes exſpuit ignes: ſciunt tamen, ſe ſcienter approbare manifeſtos errores & blaſphemias, quas ſtrage conſcientiæ ſemimortui tacite in ſinu ſecum de-

detestantur: at potius compescunt anxie labellum, ne pingues offas, præbendas & Eleemosynas, quas Papæ focus luculentus eis sufficit, amittant, & forte fame tabescant. Diuerbium notum est: Venter & error carent auribus.

Ita Serenissime Princeps, Domine Clementissime intelligit C.T. in quem scopum & finem hunc meum libellum conscripserim, nimirum vt nos ipsos & totam reformatam Euangelicam Ecclesiam, quæ Babylone relicta vocem hodie Christi veri Pastoris & capitis sui audit, excitarem ad gratiarum actionem, preces, & amorem erga hæc tot ac tanta Dei beneficia: idque potissimum hoc anno Iubilæo Euangelico, qui nunc demum auspicato illuxit euoluto integro seculo, quo tantis beneficiis, luce & solatio Euangelij patres nostri frui potuerunt, & nos adhuc perfruimur. Decet sane vt per totam vitam pro his gratiæ diuinæ argumentis grati & pœnitentes simus: interim tamen hic annus maiorem aliquam innuit solennitatem: sicut olim fortissimus princeps Iudas Maccabæus in populo Israelitico fecisse legitur, quando post horrendos Antiochi Epiphanis, qui imaginem Antichristi in Ecclesia Noui Testamenti, postmodum orituri, gerebat, furores & tyrannidem, sanctissimum Domini templum purificabat, altare lustrabat, atq; in huius rei memoriam cum fratrib. suis, vt habet historia, totaq; Israelis multitudine statuit, vt dies aræ dedicatæ singulis annis celebrarentur per octo dies à quinta & vicesima die mensis Casleu, cum lætitia & voluptate, & cæt.

Frustra quis autumet huiusmodi scriptis inseruiri parti nostræ aduersæ, Papistis, Monachis, Capucinis, Iesucidis, vt mature resipiscant, & Antichristo relicto, Christo se dedant, & Deum in verbo cœlesti victorem agnoscant, &c. frustra hoc quis de eis speret. Etenim sic vsque in reprobum hi fraterculi sunt abrepti sensum, saburrati, suffartique, ventres

deliciis rubri Draconis distenti & oppleti facti, vt Papæ & mundanis honoribus pertinacius adhærescant, quam intenti sint ad Dei gloriam & animæ suæ salutem. Frustra his pæonias adhibueris manus: multoties fuerunt conuicti & contriti papistæ in colloquiis & congressibus publicis: per itemque inuictos libros nostrorum Theologorum: sed radiantem verbi Dei lucem acceptare noluerunt & adhuc nolunt. Doctissimum & inuictissimum librum Examinis Tridentini Concilij à D. Martino Chemnitio grauiter, moderate, & solide scriptum, quo totus Papatus & papistica doctrina ex imis subuertitur fundamentis, legerunt quidem papicolæ, nec vnquam solidi quid contra eundem hiscere poterunt: Interim in furoribus & ignauissimis suis erroribus obstinate pergunt, & huiusmodi sanos & luculentos Theologorum nostrorum libros superbo adspectant supercilio, & ceu nebulam in pariete pictam sublimato despiciunt naso. Quando, amabo, respondebunt Iesucidæ & papicolæ ad librum D. Tilemani Heshusij, in quo detexit solidissimeque è verbo Dei refutauit sexcentos errores quos in hunc vsque diem Romana Ecclesia furenter defendit? Resp. Ad Calendas Græcas. Etenim Asinus hæc audiuit & mouit auriculas.

Cæterum ILLVSTRISSIME PRINCEPS, HEROS Gloriosissime, hunc libellum meum vt augustissimo C. T. nomini inscriberem, causas habui sat multas & momentosas, quas & in præsentiarum proferre possem: sed quia quam putassem prolixior in præcedentibus fui: ideoque earum enumeratione consulto, ad tempus compendifaciendum, supersedebo. Insigniores saltem labente subnectam stylo & sic manum hac vice subtraham de tabula.

Prima autem hæc est, quod C. T. hodie inter sacri Romani Imperij Principes Protestantes, vt vocantur, Religionẽ sincere Lutheranam in hoc amplissimo ducatu suo constanter defendit: Et quidem ad exemplũ Maiorum suorũ pientiss. recordationis.

Proauum maternum habuit C. T. Diuum CHRISTIANVM III. Auum vero in eadem Regia prosapia Diuum FRIDERICVM II. B. B. M. M. Reges Daniæ, Noruegiæ, Vandalorum, Gotthorum, &c. optimos Max. qui hoc nomine quod puræ huic Christo-Lutheranæ Religioni sincere adhæserint in eademq; ad extremum vsque vitæ halitum constanter perstiterint, laudibus gloriæ suæ iam pridem compleuerunt orbem terrarum. Proauus Paternus D. HENRICVS cognomine IVNIOR, feliciss. m. Princeps, licet pro conditione iniquissimorum istorum temporum partibus Cæsareanis & Pontificiæ Religioni plurimum addictus esset: illuxit ei tamen aurora Euangelij Iesu Christi vt priusquam vitam suam in his terris finiret, inter cætera filio hæredi vnico D. IVLIO, b. m. Cygnea quasi voce reformationem Religionis mox post sui exequias inchoandam demandarit, sicut Rebvvitzius, Selneccerus, VVolfius Iurisconsultus celeberrimus ille publicis suis scriptis ad posteritatem loquuntur: vnde simul obiter liquere potest in qua fide & confessione inclytus iste Heros ex hac mortali vita decesserit. Mandatum autem istud postea C. T. auus D. IVLIVS princeps Religiosissimus, p. m. sanctissime & sedulo exequutus fuit: Exploso Antichristo in Ecclesias & scholas latissimi sui ducatus restituit puritatem doctrinæ cœlestis: E monasteriorum siue claustris siue præsepibus ignauos pepulit ventres & porcos hactenus Antichristi clitellarios adseclas: eo reductis piis cœtibus Scholasticis docentium & discentium doctrinam pietatis & bonarum artium. Fundauit insuper & quidem magnis sumptibus illustrem Academiam quæ Helmæstadij est à Celsitudin. eius nomine dictam IVLIAM, inter Europæas Academias celeberrimam. D. HEINRICVS IVLIVS, p. m. C. T. Pater Princeps dum viueret ad omnia Magna natus, puritatem illam Lutheranæ Religionis & ingenuarum artium sedulo in his terris latius amplificauit: Etenim in Academiæ IVLIÆ decus ædificium no-

ui Collegij ceu augustissimum aliquod Pietatis, Iustitiæ & Sapientiæ templum sumptibus sane regiis exstruxit: Orthodoxam præterea Religionem & Euangelij Iesu Christi præconium in Episcopatum Halberstadensem, exturbato illinc fœtore Romanensium putentium mercium, fraudum & nugarum, cordatissime inuexit: Imo & Pragæ Bohemorum, dum in Cæsarea versaretur aula, initia & progressum progerminantis isthic Lutheranæ Religionis mascule adiuuit: Euangelicæ ibidem Academiæ Cunis vigilanter adstitit, & ad fundationem noui magnifici Euangelicorum ordinum templi Parochialis, sumptus tanto Imperij principe dignos liberalissime contulit: Doctorum Euangelicorum tutor, & benefactor munificentissimus & quidem in medio præ iracundiæ & liuoris æstu stridentium & labra mordentium Papistarum, Monachorum, Laiolitarum Iesucidarum, Capucinorum & similium impudentissimorum, quibus Romanensis Ecclesia scatet, hypocritarum. Nulla vnquam ætas tantam meritorum gloriam vlli implicabit obliuionis pulueri, sed potius gratis mentibus, prout dignum est, posteritas deprædicabit.

Et vero CELSISSIME PRINCEPS, D. CL. hodie in tam laudabilibus maiorum suorum vestigiis C. T. inmote insistit: Hanc Religionis eiusdem à maioribus quasi per continuam manuum dationem acceptæ puritatem & integritatem felicissime conseruat, amat & exosculatur, nec vel tantillum mouetur exemplis eorum qui Religionis negotium hodie ad humores humanorum placitorum vel ad supercilium morum politicorum inflectunt & hoc deplorando seculo plurimum in aulis strepunt & repunt, Principibus occinere pro occasione adsolentes: Es gebe ein besser ansehen da ein Fürst die Reformirte Religionem (sic nominitant & intelligunt Cinglio Caluinianam illam) annehme. Huiusmodi palpos & Palpatores C. T. non admittit: sed in hac puritate Christo-Lutheranæ Religionis.

gionis à laudatissimis Maioribus sanctæ recordat. digne acceptæ constanter instar ahenei littoris impetum subinde adsilientium fluctum ex alto contemnentis, perstat. Quis est, qui hanc Dei gratiam, pietatem, & sanctam fortitudinem in C. T. sic vsque radiantem & rutilantem satis commendet & precibus ad Deū opt. M. quotidie nō commendet! Et ecce SERENISSIME PRINCEPS, primam causam huius inscriptionis meæ.

Cæterum natus ego & educatus sum in hoc florentissimo C. T. ducatu, in quo & doctrina pietatis, bonarumque artium imbutus sum, ab infantia vsque. Præter electorales Academias Lipsensem & VVitebergēsem, Illustrissima C. T. Iulia me ciuem habuit: Et vero Deus misericorditer sic vsque incrementum dedit, vt nunc in Ecclesia Patriæ meæ terrestris, quæ hic Hannoueræ est, per legitimam vocationem, cum aliis venerandis meis collaboratoribus, portem vasa Domini, ipse misellum vasculum, aut etiam vile emunctoriolum inter suppellectilem tabernaculi Dominicam. Inter mediocria Halcyonia sic studia mea Theologica & Historica huc vsq; quasi conspirando floruerunt: Nec sum inter eos qui perpetuo cum conditione fortunæ suæ, ordinis statusue rixantur: sed bene contentus mea mediocritate quousque Clementissimus Pater cœlestis indulserit, viuens spiro & spero. Vt sic quidquid sum & habeo, id omne post Deum T. C. tanquam ab ea profectum latum datum & acceptum feram.

Huc accedit quod eadem C. T. ante triennium post auditam meam qualem qualem conciunculam Ecclesiasticam me immeritum & inter seruos Christi, qualem me libenter profiteor & agnosco, minimum, singulari Clementia & beneficio prorsus heroico affecit: dum ad illustre prandium ceu ad epulas Diuum me admisit & insuper liberalissimo munere, quod tāto Semideo (sic videbaris mihi ô illustris anima) Heroe, dignissimum erat, indignum me nihilque tale promeritum munifi-

centissime cumulauit. Horum omnium nulla vnquam me capiet obliuio, sed hanc C.T. Christianissimam erga ministerium verbi diuini affectionem grata mente quandiu vixero, deprædicabo. Et ecce SERENISSIME PRINCEPS oblatus hic meus libellus C.T. augustissimo inscriptus nomini, vouéte me, obses esto & testis meæ pro tanta Clementia & beneficio nunquam desituræ gratitudinis.

Præterea contra Sycophantæ liuidum oculum sub Patrocinio C.T. libellus hic meus aliquam illustris fauoris & tutelæ auram & vmbram quærit & dispicit. Olim Hercules extitit protector & altor Musarum, ad hanc tutelarem curam propter insignes & ingenij & corporis vires, robur, excellentiam & virtutem delectus: qui & omnem Centaurorum, Gigantum, Cyclopum & Laphitarum truculentiam & irruptiones violentas à quietis Musarum siue fonticulis limpidum salientibus siue hortulorum areolis, mascule & vigilanter arcuit & protelauit. Sed dũ ego pro hoc meo libello meq; ipso mihi dispicio Protectorem: Ecce post Deum, C.T. tanquam fortissimus aliquis Alcides & Leo Brunsvvigius, in se generosissimus, aut etiam ceu tutissimum asylum apparet & occurrit. Ergo mihi hanc C.T. in asylum post Deum vnice deligo & diligo cordate: post hanc ceu post cuiusdam fortissimi Atlantis humeros aut strenui Aiacis clypeum me abdo: Et vero (plorante interim Inuidia) Clementissime C.T. me suscepta: Certe scio: Et me eo, quo solet complecti fauore & Clementia liberalia studia artium & pietatis horumq; cultores, circumplectitur: Queî enim tam Diuinus Hercules & Generosus Leo erga bonos aliter possit & velit? sic securus ego maciem tabescentis Inuidiæ rideo.

Interim incensa precum mearum pro C.T. & eiusdem Illustrissima coniuge Regia Matre, quin & fratre Reuerendiss. & illustrissimo Principe Christiano Electo & confirmato Episcopo Halberstadens. Duce Brunsvv. & Lunæb. Domino itidem

dem meo Clementiſſimo, adeoque pro tota illuſtri proſapia perueruſti Cæſarei ſtemmatis Brunſvvigij quotidie, dum viuens ſpiro, ardebunt, & orabo humiliter præpotentem Deum vt ex alto V.C. omni benedictionum genere paterne cumulet, venientemque hunc nouum Iubilæum annum Euangelicum ſic fortunet, vt puritas hæc Religionis Chriſto-Lutheranæ, Iuſtitiæ ſplendor, frondeſcens pacis oliua, ſubditorum ficus herbeſcens illuſtrem domum Gvvelphorum fortiſſimorum Brunſvvigiam & Lunæburgiã quam diutiſſime ſolido ſolatio compleat, valide roboret, vndiquaque circumplectatur, ditet, coronet: Faciatque ei Deus opt. M. vt Ephraim & Manaſſi, &c. Amen. Ieſus Chriſtus benedicat & benefaciat omnibus ſubditis qui pro C. T. idem pietatis votum ex animo concipiunt. A. Perſcripſi Hannoueræ è Muſæo meo Georgiano Anno τοῦ θεοῦ γεννηθέντος 1617. Calend. Ianuar.

S. tuæ Celſitat.

Subditiſſ. deditus

M. Dauides Maierus
Hannoueranus.

Hierem. 51. verſicul. 9.

CVRAVIMVS BABYLONEM ET NON EST SANATA.

Intrarius Actus

SERENISSIMI, CELSISSIMIQVE PRINCIPIS AC DN. DN: FRIDERICI HVLDERICI, DVCIS BRVNSVVICENSIS

& Lunæburgensis longe Augustissimi Asyli, Spei patrisque patriæ immensum gratiosissimi, Domini nostri Clementissimi, *Hannoueram* vrbem homagiali fidelitate sibi obligandam ingredientis, maximo & omnium bonorum desideratissimo voto, & plaudente gratulatione Anno Regis gloriæ & pacis æternæ incarnati 1613. die 26. Nouembris, solemniter exceptus & celebratus, &c. Subiectiss. animi veneratione, per exiles hos numeros benedictus,

A

M. Danide Meiero Ecclesiaste Hannouerano, Illustriss. Celsitud. eius humilimo Cliente.

I E S V S.

PLAVDITE! *Lux venit vigesima sexta Nouembris*
Aureolo pingi digna colore dies!
Hanc nobis tandem coniux Tithonia mater
Memnonis augusto spargit ab axe diem.
Qua subit Hannoueram *Regali sanguine cretus,*
Huldreichus *patria Dux* Friderichus *honos,*
Puniceo qui vectus equo, virtutis alumnus
Pegaseo superat sydera celsa gradu.
O desiderium nostris peramabile terris!
Te quid detinuit tam Friderice *diu?*
Hactenus à nostris fluxit liquor vdus ocellis,
Et querulo efflictim tinximus imbre genas.
Heinrici Iuli *dum fata suprema dolemus*
Principis, heu patriæ frigida busta patris!
Ah quas in feces Ciuis distabuit omnis:
Cum quateret nostros hæc fera fama focos!
Quam cito Fortuna volucrem rota lubricat Orbem
Stare diu nullo firma tenaxque loco.

Heu

Heu mortis sortisque vices! Nos tempore ab illo
Nullus Sol vidit, nullaque Luna hilares!
Nulla dies vel nox potuit compescere mentis
Aegrae, animive vllis damna leuare modis.
Fugimus adspectus hominum! tenebrasque petentes
Abdidimus moesti nosmet in attegias.
Alpinus veluti gemebunda voce quiritans
Passer ad extremas cedit ab orbe plagas.
Sed Friderice *superciliis tu nubila demis:*
Lethaeoque vehi mersa sub amne vetas.
Te Deus his terris ceu donum nobile tradit:
Vt nouus insolita voce triumphus eat.
Vena tibi Heroo trahitur de sanguine: Diuis
A Brunsvvigiacis stemmata texis auis.
Quos nouit Batauus, quos nouit Gallus, & Anglus,
Belga, Dacus, Boius, Sarmata, Pannonius.
Tu puer Idaliae sectatus acumina rupis,
Haesisti Hybleis blandus ab vberibus.
Vtibilis hinc te Schola Iulia duxit in artes,
Et tua Gorgoneis labra rigauit aquis.
Nec tamen hic gressum figis: Sed Gallica rura
Regis & Heinrici celsa theatra subis.
Hic tibi grata mora est: desideriumque videndi
Semideos Reges, semideosque Duces.
Docta superbit vbi claris Lutetia templis,
Secquana partito quam celer amne secat.
Ah quoties rubuit locus iste à sanguine Regum
Quos diris strauit trux Iesuita modis!
Quin tandem euigilas Europa mascula virtus
Et tantos forti Marte refigis apros?
Qui tua subdolo populantur viscera morsu:
O vbi cunctando Christe moraris opem!
Longius haec forsan: Friderice *ter inclyte princeps*
Ignosce: E Gallis te comitabor agris.
Hinc etenim toto diuisos Orbe Britannos
Puppibus aratis per mare vectus, adis.
Et cernis vitam, virtutem & fortia facta,
Et quas diuitias Rex Iacobus *habet.*

(:) (:) (:) (:) *vidisti*

Vidisti hic Leo *quæ presßit vestigia quondam*
Heinricus *peteret cum sacra iura tori.*
Iste Leo, in toto quo non illustrior Orbe
E Brunsvvigiadum stemmate promicuit.
Cuius ego Herois merita & sublimia sceptra
His elegis nolim attenuare meis.
Sed tecum Friderice *redux patria arua reuisens*
Heic vbi nunc populi regna paterna capis.
O te progenitum præilustri è sanguine Diuum
Sospitet omnipotens, dirigat ornet, amet.
Auspicio nuper noua Iulia templa Camœnis
Sanxisti: O *omen præsidiumque bonum!*
Sic, adeo totam patriam sub syrmate pacis
Conde Pater patriæ, Dux Friderice, *tua.*
Vt valeat partes prouincia tota per omnes,
Quæ tibi se sancto glutinat obsequio.
Hannoueræ *ciuis tua suspiratibus ambit*
Auxilia, & fida voce salutat herum.
Appare mitis pater illustrißime: Pastor
Ah tibi commissas pascito lenis oues.
In medias rutilet tua gratia celsa tenebris
Huldrice *ô patrij Sol generose soli.*
Fac bonitate Patrem: Proauum fac fortibus ausis:
Religione pium fac imiteris Auum.
Sic te Callirhoes clementem prædicet vnda
Leni, & quæ fundit læta Visurgis aquas.
Imo etiam Tibris, Padus, Ister, Iberus, Anasque
Secquana, Sala, Tagus, Rhodanus, Albis, Arar.
Sic Diuum ô Soboles cœli terræque voluptas
Non sine continua quaque salute. Vale.

Viuat FRIDERICVS HVLDERICVS in æternum, plantula illustris, germen generosum: oculus & mundi decus. A.

REVERENDO, ET ERVDITISSIMO VIRO, DN. M. DAVIDI MAIERO, ECCLESIÆ HANNOVEranæ ad D. Georgium ministro fidelissimo, ἀδελφῷ πολὺ φιλτάτῳ πολὺ φερτάτῳ.

SVbiecit validis totum sibi viribus orbem
Illa potens armis Roma, potensque toga.
Romuleus triplici fulgens diademate præsul
Subiecit Romam fraude doloque sibi.
Immo sibi voluit parere polumque, solumque,
Grandisonumque salum, tartareasque fores.
Non tulit hosce dolos virtus animosa Lutheri,
Non tulit has fraudes mens animosa Deo.
Sed calamum arripuit Christo indulgente sequacem,
Romanumque Iouem præcipitauit humi.
Non secus ac funda strauit stridente Gathiten,
Stratoque Isaides abstulit ense caput.
Sic agili calamo promptissimus ille Lutherus
Ausonij fregit turpe Dagonis opus.
Atque tonans linguæ penetrantis fulmine ventis
Fulmina bruta Papæ diripienda dedit.
Quippe virum rexit, flexit, protexit, & vsque
Præstitit indemnem cœlicus ille Leo.
Cœlicus ille Leo prognatus stemmate Iudæ
Texit, & indemnem præstitit vsque virum,
Aduersus Latij molimina sæua Baalis,
Aduersus Stygij vim rabiemque ducis.
Hinc cecidit, cecidit Babylon, quassisque ruinam
Mœnibus ingentem Roma nefanda dedit.
Iamque annos ferme centum (sit gratia Christo)
Compleuit roseis Phœbus anhelus equis:
Cum sacer, & verax postremæ ætatis Helias
Vocalis cœpit clangere voce tubæ:
Atque in Tetzelium cœlum venale crepantem
Leucorea primum scripsit in vrbe theses:

Demonstrans Christi merito, non ære, vel auro
Ætheriæ pandi limina celsa domus.
Hæc quoniam scripto reperis solerter acuto,
Mejere, Aonij stella corusca chori:
Te pia fama vehet, te gloria vera beabit,
Ornabitque tuum sancta corona caput:
Vt gemat, atque fremat spurcissimus ille suum grex,
Et tremat ista videns, inuidiaque crepet.

Christophorus Hagius Brunovicensis,
Schola patria ad D. Martinum Rector.



Anagrammatismus

IN NOMEN REVER. ET CLARISS. VIRI, DN. M. DAVIDIS MEIERI, ECCLESIÆ HANNOVERANÆ ad S. Crucem Pastoris vigilantiss. fautoris sui.


DAVID MEIERVS

ἀνάγραμμα.

AVDI MIRE DEVS.

AVDI MIRE DEVS, puer ô mirabilis audi,
Te quotiens supplex in mea vota voco
Dauidis esto memor: Clamorem suscipe anhelam
Et miserum fato da meliore frui.
Audiat vt merita laudis libamina Christo
Soluentem populus, cui sua cura Deus.

M. Alexander Arnoldi pro felici noui anni auspicio exarab. Hannoueræ feria 3. natalit. 1604.



INDEX

SECTIONVM IN HOC LIBELLO CONTENTARVM.

Sectio

IVBILÆI




IVBILÆI EVANGELICI

SECTIO PRIMA:

In genere recitans scopum totius huius libelli.

Annus victoriæ & gratiarum actionis



NNVS à Christo nato supra millesimum sexcentesimum illuxit nunc, propitio diuino numine, decimus septimus: præ foribus est dies primus Nouembris seu omnium sanctorum: quodie ante annos iam centum per ministerium electissimi organi sui Reuerendi Patris Do. D. Martini Lutheri, S.S. recordationis, tanquam per sonitum clangentis tubæ Euangelicæ Deus ter Opt. ter Max. muros Romanæ Babylonis tanquam nidum omnis abominationis Antichristicæ, auolantibus simul & perturbatis omnibus eius pullis caudis cicadis, glirib, noctuis & graculis confringere, disiicere, demoliri & dissipare cæpit: Simulque reaccendit lychnum & facem verbi sui antequam illucescat nouissimus in hac mortalitate dies extremi iudicij quod filio hominis commissum est qui illustri aduentu suo Antichristum spiritu oris sui pudefactum & mactatum æternis gehennæ incendiis tandem & finaliter implicabit. Sic annus hic vere est Iubilæus, Ecclesiæ Iesu Christi viuum suggerens solatium & prægustum liberationis in æternam vitam. Annus hic idem est formidabilis Antiocho Romanensi, & eius satellitibus, popinariis, catellis, suffartis & suburratis de mensa & deliciis prædiuitis huius epulonis, seu rubri Draconis, ebriis, oppletis, distentis: His, inquam, omnibus præsens hic annus est funestus tremendus, & formidabilis. Hem Christiani qui Christum diligitis, qui odio, & ardente pietatis zelo aduersus Antichri-

ftum feruenter caletis, quin euigilatis nunc? Denuo agnoſcite magnalia Domini quibus vnice acceptum datumque referendum eſt, quod per integrum hoc ſeculum reaccenſa hæc verbi cœleſtis lux inter tot fumos, caligines, nebulas, rictus, ronchos, cachinnos, crepitus, ſtrepitus, tuſſes & ſcreatus furentium Diabolorum, Antichriſti Romani & huius ſquammarum, Monachorum, patrum, fratrum, Ieſucidarum non eſt obſcurata, extincta oppreſſa, ſed genuinum ſuum ſplendorem longe lateque rutilantibus radiis hu d m in omnem emittit mundum. Quis eſt qui hoc diuinum beneficium contra fremitum orbis & orci ſatis æſtimari ac deprædicari poſſe arbitretur? Deo certe debetur hoc nomine vox gratiarum actionis. Timete Dominum omnes ſancti eius: iubilate in monte ſancto eius, reſonet vox iubilationis, gaudii, exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum: O beatum populum qui ſcit hanc iubilationem! &c.

Sic fieri decorum eſt vt nimirum celebremus Deum ob donatam hanc aduerſus horrendum iſtum Chriſti Antidicum, coram cuius arrogantiſſimo ſupercilio Magnates huius mundi per tot retro ſeculorum decurſus, faſces demiſerant & muliebriter exanimati trepidarant, lætiſſimam victoriam. Hoc victorioſum & clangens ἐπινίκιον præcinit nobis Spiritus S. *Hiere. 51. verſ. 48.* Et iubilabunt ſuper Babel cœli & terra. quaſi dicat: Angeli & homines lætabuntur & geſtuoſo gaudio tripudiabunt de ruina perſecutricis huius Babyloniæ.

Hoc laudum aroma & exercitium cum primis Deo præſtandum eſt vt infirmentur ſimul portæ infernales & Papæ Romanenſis hodierni ſatellites, cauſidici, Rhetores, Scriptorculi, nugarum inſtitores, quibus nil aliud curæ & cordi eſt niſi vt arcem S. ſcripturæ deſtruant, puſtulas Beſtiæ Romanenſis lepramque ſanent, Reformatam Religionem Euangelicam peſſundent, Germaniam & vicina regna innocuo ſanguine compluant, D. Lutheri nomen & ſanctiſſima eius merita æterna obliuionis nocte operiant. Quod etenim honorifera D. Lutheri fama, nomen & confeſſio his Antichriſti pictoribus ſit clauus in oculo, id teſtantur tot nunc, quos quotidie euomũt, libelli, cẽtones Rhytmi, picturæ, chartulæ Paſquilli, &c. Vt omnino oculos & mentes iam pridem furor hic Papiſtarum & inprimis Ieſuiticorum Monachorum ingrediatur.

Lutherus Papiſtis odioſus. Sane nemo facile crediderit quam impotente infrenataque calumniandi libidine Pontificii ſcriptores impetant & proſcindant Nomen, Perſonam, Officium, Vocationem, Profeſſionem, doctrinam, dona, exercitia, merita, & mortem R. Dn. D. Martini Lutheri, Theologi, rumpantur vt Ilia Momis, nunquam ſatis laudati. In quo foro & palæſtra inprimis veluti Satyri

tyri saltitant hodie Iesuitæ (locustæ & ranæ Apocalypticæ,) qui vel plaustra conuitiorum in beatissimos istius sancti Herois & sectatorum eius cineres conuehunt, & quod maledicas suas linguas pro Papæ, sui deastri honore adserendo & custodiendo venales habeant vel prorsus mancipatint, sic satis superque declarant.

Id vero inter alios gnauiter & strenue agere voluit Robertus Bellarminus Iesuiticus Cardinalis Romanæ Sodomæ primarius amasius, in futilissimis tomorum suorum Centonibus qui scoriis & sordibus perpetuarum contradictionum & falsissimarum Patrum Ecclesię vetustæ allegationum, non aliter ac strigosi scabiosiq; canes pulicib. in media æstate, sic vsq; vermiculādo scatent, vt strigili & scopis in illorum lectione subinde & maxime opus sit. Passim in centonib. dictis, D. Lutherum cum Berengarianis, Petrobrusianis, VValdensibus, Albigensibus, VVicleffistis, Cinglianis, Anabaptistis (Hos narrat Iesucida Cardinalis venerari Lutherum ceu patrem vel auum) Suēcofeldianis: Vel etiam vetustioribus, vtpote Nestorianis, Eutychianis, Ebyonitis, Cerinthianis, Samosatenianis, Arrianis, Sabellianis, & id genus pluribus aliis monstris furtim & scelerate cōmiscet & remiscet, permiscetq;, vt putet Lector incautus vel discipulus aut graculus Iesuviticus, Lutherum ex illorum prodiisse Scholis vel aliquos eorū extitisse Lutheri discipulos, & sic totam Euangelicam doctrinam quam vir ille Dei & vas Spiritus S. electissimum è verbo Dei heroice adseruit & inuictissime professus & tutatus est, in fœdam hæreseos suspicionem eo petulātius, atrocius & simul speciosius Suita adducere possit. Bellarminus

Inprimis ridiculum est quod infulata hæc locusta Mahometi Alcoranum & D. Lutheri doctrinam in vna contemperare hydria stolidissime conatur, dum in ignaua oratiuncula (verius proluuie) Qualenam sit animal Lutheranus, &c. inter cætera sic in gratiam Papæ parasitatur: Mahometi, inquiens, Lutheriq; doctrinam nihil est mirum & facie & in multis locum reperisse, multa enim eaque difficilima fidei mysteria sustulit & simul frena libidinibus laxauit & omnibus scelestis hominibus aditum patefecit. Et paulo post: Non defuit Satan muneri suo ac per Mahumetē in oriente, per Lutherum in occidente tantum incendium excitauit, quantum multis annis & magno labore restingui nō poterit, &c. Totam hāc mendaciorū & calūniarum pluriū sutelam reperiet Lector sub calcem tertii tomi Bellarminantis Iesucidæ. Callidū & Sathanicū aduersus Luthericā Relligionem animum prodit idem iste Bellarminus, in primo tomo circa secundam cōtrouersiam generalem, quam de Christo capite totius Ecclesiæ instituit, *pag.* 272. Ibi enim præmittit capita de sententia nouorum Samosatenorum & Arrianorum:

norum: Præcedit etiam pestilens præfatio, in qua recenset historias Diaboliorum Personæ & meriti Christi blasphematorum, Michaelis videlicet Serueti Hispani (quem impudentissime adseuerat in Scholis Lutheranorum edoctum) Georgij Blandratæ, Pauli Alciati, Lelij Sozini, Francisci Dauidis, Valentini Gentilis Itali, Matthæi Gribaldi, Francisci Lismanini, Gregorij Pauli, Georgij Nigri, Francisci Stancari Itali, & similium stellionum: Additque Bellarminus, Lutherum cum suis discipulis eodem tendere & collimare, quo illi: subesse vnicum saltem illud discrimen: videlicet priores hostes Christi esse apertos, & aduersarios tales, qui se id quod sunt profiteantur, conferant signa: & aperto pugnent Marte: Posteriores vero, nimirum Lutheranos esse proditores & insidiatores, qui partim symbolis ac nominibus ementitis in castris Papisticis contra Papistas armentur, partim in insidiis absconditi delitescant, vt in medio ardore prælij Papistas circumueniant, atque à tergo & latere adoriantur, &c.

Hanc virosam & Diabolicam comparationem ibi Suita iste instituit, satis centaurice & immaniter impiis calcibus Lutherum eiusque doctrinam cum repurgata religione ordinum, protestantium & Euangelicorum proterat, proculcet, & extreme exosam reddat, sic nimirum illis libet λογοποιεῖν, ϗ τραγελάφυς πλάττειν, & contra proprias (sed callo reprobationis obductas) conscientias & veritatem armatas iactare manus.

Hans pistorius. Eiusdem est scabici, furoris & gangrenæ Iohannes Pistorius Niddanus αὐτοκατάχριστος Iesu Christi hostis & Apostata, qui ceu indiabolata Arachne ex scriptis D. Lutheri, aliquot Dabolos consarsit, quibus sperat se seruaturum esse Diabolorum vicarium Papam Romanam: & è conuerso Lutheranos compendiose & mox debellaturum. Huc pertinet Iacobus quidam *Iacob. Langeus.* Langeus Scotus, Doctor Sorbonicus Parisiēsis, qui iam etiam scripsit libellum plurimis atrocibus refartum mendaciis, iniuriis & calumniis de vita, doctrina & obitu D. Lutheri, qui stolidus & mendax libellus sic vsque placuit Papistis & Iesuiticis Monachis, vt è Gallico in Germanicum idioma conuersum Ingolstadij recoxerint eundem & ibidem typis recusum Anno Christi 1581. denuo publicarint.

Multos id genus alios halophantas iam auersis oculis retractoque transeo calamo. Nam in subsequentibus sectionibus occasio feret, vt plures in scenam protrahantur, & eorum, quas in Lutherum & eius discipulos illi marunt calumniæ detergantur, & in fauces despumatorum suorum retorqueantur. Vnum saltem adhuc attingo, qui nobis hac in parte egregium Iesuiticæ mititatis exemplum præbuit his annis: nimirum Reuerendum & illuminatissimū fami geratissimumq; Dn. Doctorem, patrem, fratrem, Iacobum.

cobum Gretzerum, Theologicæ facultatis Ingolstadianæ candelabrum aureum: *Gretzerus.* Is eo vsque sublimauit aduersus castra Israelitica nostra nasum, & collum faucesque inflexit, vt in quibusdam publicis scartecis Diuum Lutherum adpelliret porcum bipedem, lupum, scurram, &c. Vt placet tibi hic grunnitus Gretzeri, mi lector, qui Christum amas? vt clangit in auribus tuis hic grunnientis Esavitæ crepitus? optesne vt Petrus Steuarcius illum crepitum & bombum explosisset ad implendam nominis sui mensuram? *Petrus Steuartz.* Sed nondum Gretzerus se comprimit D. Martinum Chemnitium, D. Ægidium Hunnium, D. Iohannem Brentium, fortissimos illos Christi Athletas, nominat mancipia Diabolorum Denuo prodit iste filius Geth, & Doctorem Polycarpum Leiserum sic sane ludit & velut in proscenio saltitat iste pediculosus & lacer pannus Gretzerus cum tantis Ecclesiæ vigilibus & excubitoribus. Pergit strepere Gretserus (quomodo enim tam cito se coarctet impurum istud os porci?) & D Georgio Mylio in iisdem chartulis obiicit scelus seditionis, *Georgi. Mylii liberatio.* quod Augustæ Vindelicorum perpetrarit, nimirum quod Iesuitæ cum optimo isto confessore ad Leonem, ad ignem, ad restim properarent, & Deus eum ex hamatis eorum manibus, velut ouiculam ex rictu luporum clementissime liberaret: Audin' quale quantumque scelus D. Mylius patrarit, quod ceu Gorgonis caput Gretserus ei obiicit, & Magistronostraliter exprobrat?.

Non est dubium, quin honesti politici, quotiescunque tales Iesuitici manipuli strepitus & criminationes prorsus ignauas audiunt stomachentur & toto pectore tam indignas & amentes criminationes auersentur. Et est vtique quædam Dea Nemesis & Adrastia, videtque ista vt est apud Lucianum: sero molunt Deorum molæ dicit Plutarchus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων. Verum quid parcant isti hominibus, & piis in Christo beate quiescentium animularum manibus, qui etiam spiritui sancto in proximo colloquio Ratisbonensi, medium ostendere digitum præ proiecta impietate, blasphemia & excœcata proteruia non reuerebantur, aientes: Spiritus Sanctus non potest dicere: Gretsere erras: Estne vero, mi lector, hoc in cœlum exspuere?

Reuerendus pater D. Lutherus (laus sit Deo) satis est in culpa, vt Diabolus & squammæ eius frendant aduersus illum. Interim Angeli pacis circumsistunt eius sepulchretum, & cantillant gratis mentibus votum istud: Molliter ossa cubent. Sic etiam cæterorum prænominatorum luminum claret inter turmas angelorum honos & illibata requies, donec in die extremæ sonantis tubæ vitæ æternæ brabeium reportent: ad cuius tubæ clangorem Papa cum suis cohortibus gelido horrore obriguerit æternum. In-

terim posthuma eorum in terris fama coram tota Iesu Christi vere Catholica Ecclesia, quæ nihil cum Antichristo Romano, eiusque aniversariis & vapidis fraterculis commune habet, longe gloriosior & sublimior est, quam vt hi graculi & corui de eius laudibus & integritate vel tantillum crocitationibus suis, licet tota rumpantur aluo, decerpere & abrodere queant.

Bellum Papæ cum Vmbris. Græcorum prouerbium est: Quercu prostrata, quilibet colligit ligna. Licuit olim homunculo in ipsum Achillem peremptum irruere, quem viuum ne intueri fuisset ausus. Et quiuis Thersites iacenti Hectori insultare potuit. Sicuti etiam legimus, quod Ciceroni iugulato Antonij vxor muliebriter oggannierit. Verum quid sic efficiunt huiusmodi Necromachi? Idem sane quod Iesucidæ, quoties mortuis denuo mortem intentant. Idem, inquam, obtinent quod Papa, quoties imaginem Lutheri flammis exurit, & Iohannis VVicleui ossa Oxoniæ Britannorum & Martini Buceri egelidum funus Cantabrigiæ exhumari & ad limen secularis iudicij exurias illas exanimes puluerem & glebulam terrestrem condemnari & exuri curat. Quæ spectacula quidem per se ridicula sunt, sed Antichristum eiusque satellites infamis cuiusdam immanitatis fortissime coarguunt.

Nam hoc genere crudelitatis, quam Papistæ communiter exercent, nec barbara Scythia aut Sarmatia, nec monstrorum altrix Aphrica, nec Siluestris Hybernia, aut Hircania, nec sol ipse quidquam adspexit prodigiosius, fœdius, tetrius, dirius,

Nec tamen sic vicerint, sed euentus indies per Dei gratiam lucidius docebit, quod vere clanxerit tuba Domini, dixeritque Lutherus in spiritu Dei fortis & robustus:

PESTIS ERAM VIVVS, MORIENS ERO MORS tua Papa.

Ioh. Zysca. Si Iohannis Ziscæ Bohemorum Ducis fortissimi excoriatum cadauer hostes Pontificios exanimauit, cum pelle ipsius tympanum vel classicum bellicum integeretur, & truculento adspectu, terribilique sono eos in turpem fugam coniiceret, vt non potuerint consistere, de quibus omnibus Iohannes Auentinus prolixe commentatur: Si quoque, vt Cornelius Agrippa de occulta Philosophia scribit, tympanum ex Ericii marini pelle confectum, omnia reptilia procul fugat, vbicunque locorum sonitus eius exauditus fuerit: Si denique pellis Leonina omnes alias pelles, & Aquilarum pennæ, omnes aliarum auium pennas consumunt: quid sentiendum est de meri-

meritis, memoria, laboribus & triumphis seruorum Christi, postquam in stationibus suis mascule occubuerunt, & è mundo ad æternam requiem abierunt? Certe hi in morte etiam vincunt ac triumphant, inque auribus Domini Zebaoth iam mortui sub altari clamant vehementius, vt tandem aliquando vindicem suam dextram Deus exserat, & Ecclesiam sub crucis vexillo in terris militantem adserat & tueatur.

Seruator noster & vnicum caput sponsusque Ecclesiæ suæ Iesus Christus hæc omnia quoque passus est ipse, *Matth.* 10. *vers.* 24. Non est discipulus, inquit, super magistrum, neque seruus supra Dominum suum. sufficiat discipulo vt fiat sicut magister, & seruo, vt sit sicut Dominus ipsius: si ipsum patremfamilias Beelzebubem vocarunt, quanto magis domesticos eius? Nihil dicam nunc de sarcasmis, dicteriis, scommatibus, flagris, mortibus, quibus pressi & suppressi sunt Apostoli & vetusti Martyres. Saltem eo intendo indicem digitum, quod præstantissimi quique & meritissimi Theologi, doctores Ecclesiæ & patres omnibus seculis, iniquissimis quorumuis ignanorum Zoilorum faucibus & rostris etiam mortui obnoxii fuerint, de quo Ecclesiastica Historia prolixum recitare posset commentarium.

Origenes vetustissimus Ecclesiæ Alexandrinæ Doctor (cuius ardentem in scripturis animum, indefessum studium & labores D. Hieronymus passim commendat) circa difficilima tempora persecutionum, sub Imperatoribus Alexandro Seuero & Maximino omnes propemodum libros sacræ scripturæ commentariis illustrauit, & diligentissime Ecclesiam docuit, vniuersas scripturas memoriter tenuit, & in earum explanatione diebus desudauit ac noctibus, quo tẽpore in Ecclesia grassati sunt furores Pepusianorũ, Helchisitarũ, Montanorũ, Marcionitarũ, Tatianorum seu Encratitarũ, Carpocratianorum, Chiliastarum, & aliorum hæreticorum: Verum quam gratiam Origenes reportauit? Nam so'um in vita vehementissime ab Episcopo Demetrio, qui ipsius gloriæ inuidebat, exagitatus est, sed etiam vita defunctus ab ingratissimis aliquibus cuculis adeo maligne exagitatus est, vt qui in vita maximos labores & calamitates sustinuerat, idem etiam post, libris genuinis abolitis plurimis, & contra suppositis adulterinis, quoad existimationem miris ac fœdissimis modis conmacularetur, pessimeq; tractaretur sicut Eusebius *libro* 6 & 7. prolixe scribit. *Origenes quomodo olim tractatus.*

Quid Magnus ille doctor Ecclesiæ B. Augustinus Episcopus Africanus à maleferiatis Donatistis, Manichæis, Arianis, Pelagianis, Macedonianis, Luciferianis, Apollinaristis, Collyridianis, Priscillianis, Antidicomarianitanis, & similibus aliis tempore Imperatoris Honorii & Theodosii iunioris sustinuerit & passus sit, recitat passim historia Ecclesiastica, & seorsim Posidonius *B. Augustin.*

donius in oratione de tota vita summi istius viri, quæ præfixa est primo tomo operum B. Augustini.

D. Athanasius. Et Ioh. Chrysostom. Quas Diuus Athanasius ab Arrianis & Imperatore Constantio illatas persecutiones, exilia, pericula & calamitates exantlarit, prolixum nimis foret commemorare. Sic Iohannes Chrysostomus tempore Gratiani & Theodosii primi Imperatorum plurima perpessus esse legitur. Vt nemo admirari debeat, si maxime audiat hodie Iesuitas & Papicolas contra Lutherum & eius pios sectatores & discipulos, totasque Ecclesias reformatas & ab Antichristo egressas, plaustra conuitiorum, scommatum, criminationum & mendaciorum euomere & magna proluuie eructare: Nouum siquidem id non est, vt ex supra allatis elucet exemplis. Sed aduersarii interim propria potius cædunt vineta. Crudelitas enim eorum nostra est gloria: Et Ecclesia nullo tempore plus ædificatur, quam cum ab hostibus cæditur. In Regnis Britanniæ, Scotiæ, Sueciæ, Galliæ, Hyberniæ & Belgio aliisque prouinciis plurimis Ecclesia maxime creuit, quod maximas persecutiones à Pontifice, Hispano & aliis Christi hostibus pateretur, vt olim sub iugo Pharaonico & in fornace Ægyptiaca Israelitæ crescebant.

Propositio. Cum autem hodierni Iesuitæ & reliqui Antichristi satellites potissimum in D. Lutherum suos acuant dentes, vt per huius latus totas nostras confodiant & iugulent Ecclesias, aliquid de Luthero & reformatione religionis in subiunctis pauculis sectionibus repetam, vt ita detur mihi ansa plurimas calumnias aduersariorum in Lutherum & nostrarum Ecclesiarum confessionem congestas abstergendi: & iuuentutem simpliciorem, ne ad Suitarum horribilia scommata & teterrima mendacia nutet, aut moueatur, admonendi, conseruandi, & muniendi.

Et sane decet vt gratis animis conseruemus memoriam tanti viri, cuius ministerio Deus filium perditionis Antichristum, ceu vehementiore impetu & turbine prostrauit, & verbi sui iubar, radios & lampada in nostris Ecclesiis & cordibus reaccendere voluit. Horum summorum beneficiorum diuinitus nobis exhibitorum memoria subinde est refricanda, ne vllo inter posteros tempore exolescat.

Hic mos fuit apud Ethnicos saniores etiam, vt Panegyres ac Epitaphia pro defunctorum debitis honorib. celebrarent, & sic pro rebus bene & laudabiliter gestis meritisque in patriam, rempub. gratitudinis ederent significationem. Hippocratis. Hippocrati Doctori & Medico Græciæ, quod tempore Democriti & Pythagoræ pestem Atticam incensis syluis mitigasset, & quantum in ipso fuit, extinxisset, post mortem statua vel colossus in medio Athenarum gremio dedicatus & erectus est, vt est apud Macrobium & Suidam, à quo

ἀσὴρ

ἀστὴρ ϗ φῶς ἰατρικῆς dicitur. Idem honos Euagoræ ob ciuitatem libertati restitutam, & Theseo ob taurum Marathonium interemptum exhibitus esse legitur apud Plutarchum & Iustinum *lib.* 2. *Euagoras, Theseus.*

Pontificij scriptorculi mirificis laudum encomiis suos efferunt vetustiores scriptores & propatres, licet illorum aliquos nouerint non adeo præstantes exstitisse, vtpote Canonistas, Formularios, Summularios, Robertum de collo torto, Nicolaum de Gottham, Iacobum de voragine, Petrum de Aliaco, Petrum de palude, Iohannem de Parisiis, Hugonem de Sancto Victore, Thomam de Aquino, Scotum, Hinricum de Gandauo, Stellam clericorum, Manipulum curatorum, Vade mecum, Dormi secure, Albertum Biel, Durandum, Okkam, Dorbellum, Holkot, Brikot, aliosque eius farinæ & farraginis siue Doctorculos siue Magisterculos, quorum aliquot, ceu sanctulos in Calendarium inter suos Deos & numina retulerunt. *Papistarum præceptores.*

Sic nos etiam nullo vnquam obliuionis situ puluere & squalore obtegi & tolli patiamur nostrum Germaniæ Prophetam Lutherum eiusque memoriam, quæ digna est vt æternum conseruetur, multo vigilantius recolamus: Sicut & nulla secula de huius tanti viri, Angeli pacis, postremi Heliæ, meritis, gloria, laudibus conticuerint, etiamsi Antichristus & rabulæ illius contra illum vel lapides & mortem loquantur.

Venio igitur & ego hac vice in subsequentibus sectionibus ad memoriam tanti viri & Herois eiusque meritorum renouandam, & à muco quarundam calumniarum & obtrectationum, quibus eum Papastri & Iesuastri conspuunt & oblinare solent, liberandam: idque pro sanctificatione Diuini nominis, amplificatione regni Christi, conuersione eorum, qui etiamnum à via veritatis exorbitant, secuti viam Romani Bileami: pro eorum autem hominum, quibus lux agnitionis Dei & verbi eius saluifici fulget, vberiore confirmatione, & vitæ sempiternæ, per fidem Iesu Christi consecutione.

Adsis nobis Sancte spiritus, & irrores mentes nostras tuo numine & charismate: dones te ipsum nobis, largiaris os & sapientiam ad annunciandam laudem tuam: conferas nobis in hoc obliuioso & tamen censurarum vel potius calumniarum pleno seculo, inter tot periculorum ϗ ἀκροβολισμῶν concursus animi robur ad intrepide adserendum veritatem verbi tui, vt id reuerenter suscipiamus, ac beneficia tua, quæ nobis per seruum tuum D. Lutherum, sanctæ recordationis, prorsus paterne & clementissime exhibuisti, gratis mentibus consideremus. Deus, auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis: Saluasti enim de adfligentibus nos, &

qui nos odio habebant, confudisti. Te Deum laudabimus tota die, & in nomine tuo confitebimur in secula.

SECTIO SECVNDA.

Dè miserando Ecclesiæ & Scholarum statu ante Lutherum & renatum Euangelium, vtpote in quibus mera grassabatur barbaries, cæcitas, ignorantia, &c. Contra vero omnis eruditio, & scientia facultatum, optimarum artium & linguarum propemodum interciderat.

DATO vno inconuenienti, sequuntur infinita, vt scite admodum adseuerat Philosophus in 1. *Physic.* Si quis enim falsam opinionem semel amplectitur, postea infinitam telam errorum texit: Nec vnum peccatum est solum, sed vni multa implicata sunt: vt in itineribus, inquit Melanthon *lib. 3. Dialect. pag.* 213. cum à recta via deerratum est, paulatim longius disceditur: idem fit in opinionibus & moribus: nimirum si concedas absurdum vnum, ilico Ilias absurdorum sese effundit & obtenebrat omnia: Ratio est: Quia error fœcundus est & complures alios parit errores. In quam sententiam pronus descendit Cicero in tertia actione Verrina: Non potest, inquiens, ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc vno scelere esse contenta: Necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est in simili audacia perfidiaque versetur. Similiter pro Roscio comœdo: Qui semel, inquit à veritate deflexit, hic non maiori Religione ad periurium, quam ad mendacium perduci consueuit.

Hoc seorsum in Regno Antichristi videre est, circa studia Theologica & Philosophica, quæ plus quam Scythica barbarie ab Antichristo & eius gregalibus oppressa, & obscurata fuerunt, ex hoc vnico saltem fonte & fœda hac opinione: quod impudentissime gannirent Papam Christi vicarium: imo quod plus est, Deum esse: qui in pectoris sui scrinio omnia iura tam diuina quam humana teneat, quod itemque sit fundamentum fidei caput & sponsus Ecclesiæ. Huius furiosæ adsertionis prolixam reperiet lector deductionem & confirmationem apud Bellarminum *lib* 2. *cap.* 28. de Romano Pontifice, in quo inprimis Iesuita elaborat, vt demonstret Papam Romanum nullius iudicio subesse, sed omnes omnino homines, qui Christiani velint esse, subsint arbitrio, censuræ & regimini Papæ Monarchæ Ecclesiastici. *Libro 2, capit.* 28. de Christo: vocat idem iste Bellarminus Papam vniuersalem doctorem, qui errare non possit, quando ex Cathedra docet, & qui res fidei definire possit sine concilio. Imo tam vsque iste Esauita

Papa Papistis Deus & omnia.

uita Cardinalis perfricuit frontem, vt non reuereatur Papæ adsignare determinationem vltimi iudicii, his verbis. Non igitur iudicium vltimum vniuersus mundus alibi, quam in sententia Pontificis Romani agnoscit *lib. 4. c. 1.* de Romano Pontif. &c. O os infame, & inuerecundum! Hæc pronunciata istius Esauitæ purpurati, quæ tanq̃ μεγαβόλος quidā κυναλώπηξ, effutit: largissime confortant scrinium & reliquam Maiestatem Papæ: de quo scrinio *lib. 6. Decretal. lit. 2.* adfirmatur, quod Papa omnia habeat iura in scrinio pectoris sui, etiā si idiota sit, & immemor sui ipsius. In eandem hanc abripitur sententiam Baldus Perusinus *cap. 1. collat. vlt. de confess.* Papa est doctor, inquiens vtriusque iuris. Idem confirmat istorum Leguleiorum Glossa. (*9. quæst. 3.* Neque ab Augusto. *Dist. 19.* Si Romanorum in glossa) his verbis. Etsi totus mundus sententiaret in aliquo negocio contra Papam: tamen videtur quod standum sit sententiæ Papæ. Iura enim omnia in scrinio pectoris sui habere videtur. Quod ergo Papa adprobat, vel reprobat, & nos adprobare vel reprobare debem⁹. Quisquis ergo nō obedit statutis Romanæ Ecclesiæ, hæreticus est censendus, & sacrilegii esset disputare de facto Papæ. *Dist. 40.* si Papa: in glossa. Papa dicitur (Extr de translat. Episcopi. Quarto in Glossa. Felin. de Rescriptis ad audientiam 2. *vers.*) habere cœleste arbitrium: vnde in his quæ vult, est ei pro ratione voluntas: nec est qui dicat illi, Domine, cur ita facis? Quia sicut ex sola voluntate potest per Papam Lex creari: ita per solam voluntatem potest cum ea dispensari. *Baldus.*

Sic satis percipitur, quantus Thesaurus sit pectoris Pontificii? Et ita sacras literas, nitorem artium liberalium & linguarum, omniumq; aliarum siue disciplinarum, siue scientiarum decus, puritatem & studium, longe amandemus licet. Instar omnium vel potius supra omnia habeamus pectus Pontificium. Superioribus seculis sub tyrannide Antichristi sic factum esse, superius allata testimonia satis superq; euincunt. Atq; hinc plus quam Scythica barbaries ceu diluuium quoddam inundauit, per vniuersum non solum Theologicum studium, sed & omnino per omnes artiū humaniorum limites, spacia, & secretiores aditus, recessusve, Et Papa cum suis cohortibus, vsque adeo in cœno inscitiæ, ruditatis & barbaricæ ignorantiæ obbrutuit, vt ex stipulis fabarū meliores certe Baccalaureos constipare & producere potuisses, quam olim in literatura ingenuarū artium, linguarum & facultatū extiterūt Papastri, Episcopi, Clerici, Monachi & similes eorū manipulares, qui tamen videri salutarive præcise & stricte voluerūt, ac si essent Ecclesiæ columnæ & mundi lumina.

Alphonsus à Castro iratus.

Alphonsus à Castro Zamorensis Minorita, Lutheri coætaneus irascitur tantæ stoliditati & insulsitati Papæ: Et, cū constet, inquit, plures Pontificum,

adeo esse illiteratos, vt Grammaticam penitus ignorent, qui fit vt sacras literas interpretari possint? *lib* 1.*cap.* 4.*de hæresib.* Parisiis Anno 1534. apud Iodocum Badium excuso.

Platina. Baptista Bartholomæus Platina Cremonensis Apostolicus quondam abbreuiator, vt vocant, scribit ceu oculatus & auritus testis in vita Paulli 2. Aurum Papa hic dilexit, inquit Platina, quia Venetus fuit: tota die pensitare nummos, gemmasque preciosas & vniones contrectare solebat. Omnia officia eius tempore venalia: OSOR LITERARVM, & bibacissimus erat, &c.

Iulius 2.P. De Iulio secundo, Papa, constat ex fide dignis monumentis & eius vita, quod prodigiose rudis extiterit, adeo vt, cum aliquando libello cuidam subscribendum esset FIAT: subscripserit FIATVR. Estne autem hoc euidens argumentum, Papastros complureis (compluria etenim alia exempla breuitatis causa supprimo) fuisse fungos, bardos, stupidos, truncos, caudices & cautices, cyclopes & centauros, qui vix proprium possent grammatice declinare nomen? vt vere scriptum legatur in libello, cuius titulus est: Aureum speculum de antilogia, &c. Venalitati Curiæ Romanæ, inaniter præficiuntur, lenones, coqui, stabularii equorum & pueri.

Et quia Antichristi scriptorculi blatiunt: Quod vnus Papa omnium controuersiarum iudex sit vnice, vt Bellarminus Papæ parasitus parasitatur in præfatione *Tom.* 1. mirum est, quantas ineptias circa scripturæ S. corruptionem, abusum, detorsionem, & deliras anilesque glossematum confictiones ineptiuerint isti clitellati Papastri.

Quales plerique Pontifices extiterunt. Si vitas Pontificum & tomos conciliorum paullo obseruantius scruteris, deprehendes, optime lector, quod Papæ omnium flagitiosissime & indoctissime scripturas corruperint, in conciliorum decretis & canonibus falsum fecerint sæpissime, venefici fuerint ac Necromantici, Idololatræ, Scribæ, Pharisæi, Ariani, Monotheletæ, Montanistæ: hæreses execratissimas in Christi diuinitatem, personā, ac voluntatem denique in immortalitatem animæ defenderint. Post Stephanum, inquit Platina in vita Stephani, semper hæc consuetudo seruata fuit, vt acta priorum Pontificum sequentes aut infringerent, aut omnino tollerent. Et Erasmus *in* 1. *Cor. cap.* 7. commentatur, Iohannes 22. & Nicolaus, inquiens, totis decretis inter se pugnant, idque in his, quæ videntur ad fidei negocium pertinere.

Scripturæ indignissima tractatio. Scripturam, aut turpissime reiiciunt, aut malitiosis partim gelidis & ridiculis glossematibus conspuunt & violant. Execrandum in modum Albertus Piglius Hierarch. *lib.* 1. *cap.* 2. scriptitat. Apostoli, inquiens, quædam conscripserunt, non vt scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed

potius

potius vt subessent. Sic Siluester Prierias Leoni Papæ in hunc modum in publicata sutela aduersus Lutherum, scribit: Indulgentiæ authoritate scripturæ non innotuerunt nobis, sed authoritate Ecclesiæ Romanæ, Romanorumque Pontificum, quæ maior est. Huc accedunt veterum canonistarum effata, qualia sunt: Papa potest dispensare contra Apostolum, *Distin.* 34. *Lector: & Dist.* 38, *Presbyter.* Papa dispensare potest contra nouum Testamentum. Abbas Panorm. Extr. de diuortiis, &c. Sed ô linguas non redargutas! ô barbariem istorum seculorum!

Sic ex magnificentissimo libro ordinum Protestantium, cuius titulus est: Stattliche Außführung. *pag.* 412. constat, quod Petrus Bembus Cardinalis aliquando in consessu Leonis x. Papæ scripturæ sacræ aliquod pronunciatum in medium adferens, duriter à Papa Leone obiurgatus sit: Quid tu mihi, inquiente, allegas Bembe aut narras illam fabulam? Nota bene tu chara posteritas vocem Pontifice maximo scilicet & vicario (si Dîs placet) Christi, dignam! Bembus autem iste nihilo secius scripturæ sacræ maiestatem superbissime proculcans, cum ad Iacobum Sadoletum venisset aliquando, & eundem in enarratione Epistolæ ad Romanos aliquid operæ conlocare intellexisset: Omitte, inquit, has nugas: non decent grauem virum tales ineptiæ. Recitat hæc Victorinus Strigelius in explicatione Psalmorum, *pagin.* 30. **Bembus.**

Malitiosa & ridicula glossemata scripturæ violenter adfricant iidem Papastri vel eorum Parasiti & Gnathones.

Quem præterit miserabilis carnificina dictorum apud *Matth.* 16. Tu es Petrus, &c. Item: Tibi dabo claues: Item, Pasce oues meas: Item, Confirma fratres tuos, *Ioh.* 21. Nimirum ex his dictis perperam & insulsissime intellectis, vel potius à genuino suo intellectu nefarie & scienter deiectis concludunt, Ergo Papa est rerum dominator παμμέγιστος, caput Ecclesiæ. Quemadmodum Petrus de palude *Arti* 1. de potestate collata Apostolis lepidissime commentatur his verbis: Christus dixit Apostolis: Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo: non dixit, in cœlis, sicut Petro dixerat, sed in cœlo vno. Atque iterum: illa verba (Petro dicta) quæcunque ligaueritis: intelliguntur de vtroque foro, & de vtraque potestate. Illa autem verba (reliquis Apostolis dicta) quæcunque ligaueritis: intelliguntur tantum de foro conscientiæ: &c. sic bene, sic Magistraliter. **Petrus de Paludo.**

Recitasse hæc, idem est quod refutasse, nec opus est, huc iudicem accersere Magnum illum primitiuæ doctorem Ecclesiæ Origenem, qui *Tract.* 1. *in Matth.* diserte dicit: Hoc dictum, tibi dabo claues regni cœlorum, cæteris quoque commune est. Atque iterum: Quod si nos idem loquimur, quod

Petrus locutus est, efficimur Petrus. Et nobis quoque dicitur: Tu es Petrus: Petra enim est, quisquis est discipulus Christi. Quibus B. Augustinus etiam subscribit in Ioh. Tract. 50. his verbis: Petrus quando accepit claues, Ecclesiam sanctam significauit, &c.

Simon Begnius. Sic maxime ridiculum est, quod in Concilio Lateranensi, sessione 6. *pag.* 601. Simon quidam Begnius Modrusis Episcopus, Leonem Papam adfatus est his verbis: Ecce venit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid: & mox: Te Leo beatissime saluatorem expectauimus. Eodem modo in concilio Tridentino Cornelius Episcopus Bisontinus sic blasphemauit: Papa lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem: omnis qui male agit odit Papam, & non venit ad lucem.

Non est discipulus supra magistrum: Ergo Papa à nemine iudicatur vox est Hadriani Papæ concilior. *tom.* 3. *pag.* 613.

Paulus Aemilius *lib.* 7. scribit, quod Papa aliquando Legatos Siculos humi venerabundos procumbere, & hac acclamatione se tanquam si Christus sit prosequi facile tulerit: Sancte pater, qui tollis peccata mundi, miserere nostri: qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. Sed proh pudor!

Adfirmat Sixtus Papa Concilior. *tom.* 1. In purgatione Sixti: quod qui accuset Papam, nunquam peccati istius possit consequi remissionem. Rationem autem hanc adfert: Quia qui peccat in spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hac vita, neque in futuro seculo.

Marci vltimo: Euntes docete (non dicit scribite) Ergo maior authoritas Ecclesiæ quam scripturæ.

Matth. 17. Solus Petrus super aquas ambulauit. Ergo Papa solus est Caput Ecclesiæ.

Iacob. 5. Confitemini alius alii delicta & orate pro vobis inuicem. Ergo confessio est Sacramentum, & singula peccata enumeranda.

Matth. 6. Panem nostrum da nobis hodie. Ergo sufficit Laicis vna species, nimirum panis.

Psalm. 138. Mihi nimis honorati sunt amici tui. Ergo sancti sunt adorandi.

Malach. 1. In omni loco sacrificatur & obfertur nomini meo oblatio munda. Ergo Missa est sacrificium.

1. *Reg.* 2. Non habeo laiços panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mun-

si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducent: Ergo clerici debent esse cœlibes.

Luc. 10: Christus adsociat sibi duodecim Apostolos & 70. discipulos. Ergo Papa recte adhibet sibi cardinales.

Iohan. 2. Iesus fecit sibi flagellum de funiculis, & eiecit omnes è templo: Ergo hæretici sunt occidendi. Et 2. *Tim.* 2. stultas quæstiones deuita: Ergo cum Lutheranis non est disputandum.

Prorsus intolerabile est Papis, si quis antithesin inter Christi paupertatem & Antichristi Romanensis diuitias instituat: Ex ista enim collatione rutilat Antichristi monstrosa turpitudo, quæ velut exerto indice digito Papam Romanum commonstrat ceu indubitatum Antichristum. *Collatio Papæ cum Christo valde odiosa papicolis.*

Hinc legimus, quod *Iohannes* 23. Papa Alexandri quinti successor, tempore Roberti Bauari, Imperatoris Optimi Maximi: publico edicto damnauerit eos, qui adfirmabant Christū & Apostolos eius nihil proprii habuisse, mādauit etiam, ne quisquam de hac re loqueretur vel disputaret, vt Platina recenset & simul vituperat.

Vrbanus sextus Papa tempore imperatorum Caroli Quarti & VVenceslai habuit cubicularium nomine Iacobum de Terano, canonicum Aprucinum & Archidiaconum Auersanum, qui illa verba: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: temporaliter (suo more) exponit, scilicet, antequam Christus passus est, & cœlos victor adscendisset. Verba enim Christi *Iohann.* 12. cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: sic exponit: Omnia imperia & regna mundi recuperabo & auferam à Cæsare, Regibus & aliis principibus, idque per milites meos Apostolos: Das heisset Omnia traham ad me, &c. Præcepta vero eis data, vt neque aurum, neque argentum possideant, sed tantum comedant de his quæ adponentur, exponit idem is cubicularius temporaliter, non pro tempore legationis, quo functi sunt Christo adhuc in terris agente, sed quo post eius adscensionem militauerunt in humilitate adflictionibus & paupertate, donec imperia & regna mundi subiugassent: quibus subactis vel conuersis, vt ait, licitum est eorum discipulis, regiis opibus, cultu & deliciis vti, & aliis, vt subditis imperare, præsertim Papæ: quem sic probat esse Regem & Dominum Dominantium: Imperatores vero Reges & omnes magnos & paruos illius ad nutum, & in omnibus ei subiectos esse. *Iacobus de Terano.*

Egidius Corrozetus circa tempora exhibitæ Augustanæ confessionis libellū in formula sedecimæ vt vocant Italice de dictis memorabilius scriptū *S. Petri & S. Pauli gladius.*

publi-

publicauit, in eo recenset, quod Iulius 2. Papa à familiaribus ob studium belli reprehensus responderit: An nescitis, inquiens, Petrum clauigerum & Paulum Ensiferum socios esse & Romanæ Ecclesiæ protectores? Petri ignauiam antecessores nostri sæpe sunt experti, Paulus quid possit, ego experiar. Cumque illi dicerent: At Petrum Christus iussit recondere gladium in vaginam: Prompte responderit idem Iulius Papa: Sic est sane, inquiens: verum non prius quam Malchi auriculam Petrus amputasset. Sic & nos, feriemus prius, & post recondamus: bellum indubitata pax sequetur, &c. Ecce vt sus ista commessatur!

Ioh Auentinus de Paulo Diacono. Iohannes Aventinus, præter Annales Boiorum scripsit etiam tractatum de causis fœdisque abusibus Ecclesiastici & ciuilis status: in eodem isto tractatu citat VVarnefridum, Caroli Magni Diaconum, ceu virum eius seculi doctissimum, qui scriptum reliquerit: Longobardorum Regnum ex sola sacerdotum inscitia euersum, extirpatumque esse, & Diuum Hieronymum, vocasse suis temporibus Sacerdotes & Monachos, bipedes asinos: Quid hodie dicturus esset, inquit ille Paulus VVarnefridus Diaconus, cum inter monachos & Canonicos plerosque videre licet stupidos bardos, & ipsissimæ ignorantiæ Magistros: qui nisi Religionis titulo armassent se, porcis pascendis præficiendi fuissent: & qui sub opulento Sathana in hoc mundo viles fuissent balneatores, ij in spirituali suo statu esse volunt summi Pontifices clementes Domini, cum sint asini rudes, qui nec ipsi quidem discere desiderant, nec alios discere patiuntur, imo nemini bono doctoque viro & pio fauent.

Beatus Augustinus in tractatu de *catech. rudib. capit.* 9. recenset, multos sua etiam memoria Sacerdotes, cum publicas preces Latine celebrarent, quibus in locis populus Latine sciebat, barbarismos ac Solœcismos commisisse: & addit mox beatissimus pater: multa in illis reperta fuisse contra Catholicam fidem.

Barbarismi circa Baptismum. In Iure Canonico *Distinct.* 4. de consecratione: Retulerunt, &c. testatur Zacharias Papa Sacerdotem quendam suo tempore puerum his verbis baptisasse: In nomine Patria & filia & Spirita Sancta, &c. videatur *Auentin. lib.* 3 *Annal. Boior.*

Eadem blasphemia & malitiosa inscitia vel vanitate in Borussia pastor cum Mystico Sacramento Baptismi lusisse, & Stramineum infantem solenniter his verbis, Baptiso te, in nomine Episcopi, in nomine meo, & in nomine compatrum, &c. baptisasse legitur, in collectaneis Iohannis Manlij.

Erasmus Roterodamus, Magnus ille politioris literaturæ vindex recitat

in ap-

in annotationibus super Nouum Testamentum *pagin.* 283. quod Sacerdos quidam rusticanæ plebis, cum primum esset baptisaturus infantem, ac in libro, vnde solennia verba pronunciabat, adscriptum offenderet verbum: Salta per tria: quibus verbis librarius admonebat, tres retro paginas esse reuoluendas, mox iusserit, vt æditnus adduceret perticam, cui vexillum crucis adhærebat: qua accepta, simul ei innixus ter in templo retrosilierit, atque ita demum recepto libro, reliqua peregerit.

Recensetur in Postillis Dn. Philippi Melanchtonis *pag.* 427. quod quidam Sacrificulus, cum interrogaretur, quid esset Epiphania: responderit: fuisse mulierem quandam, quæ fuerit nutrix Christi.

Sic ex collectaneis Iohannis Manlij constat, quod Domino Philippo & Hieronymo Scurfio Sacrificulus interrogatus, num etiam suis auditoribus Decalogum proponeret, responderit: Hunc librum non habeo. Ad quam insulsam vocem & asininam fustigandamque inscitiam Hieronymus Scurfius vehementius indignari cœperit.

In oratione sua de funere Dn. Ph. Melanchtonis recenset celeberrimus D. D. Vitus VVinsheimius *lit B. P.* 1. *f.* 1. Quod Philippus circa annum Christi 1512. in Academia Tubingensi diligenter audiuerit Theologos, de quorum ineptis & inutilibus disputationibus in rebus grauissimis, multa ridicula ipsorum deliramenta commemorare solitus sit. De Monacho quodã, (verba sunt D. Ortelij) concionatore eius loci narrare solebat Melanthon quod pro concione omissa Euangeliorum doctrina Ethica Aristotelis explicasset non paruo audientium studio, qui cupidius Aristotelica cognouissent quam fabulas aniles quibus implere templa illius barbaricæ superstitionis temporibus vsitatum fuit, Christi mentione prorsus neglecta: Et hæc recitans (Dn. Philippus) sæpe deplorabat cæcitatem & infelicitatem illius seculi, &c. Et quis omnia percenseat sine dolore & lacrymis, quanta barbarie & squalore inscitiæ & ruditatis, sacrosanctas literas & vniuersum sacrosanctæ Theologiæ studium ante hæc tempora sub Antichristi Romanensis tenebroso & sathanico regimine, monachi, clerici, prælati, & horum similes iurati satellites presserint, & ne in lucem erumperet lux & fulgor Sanctæ Theosophiæ, repressenint.

Si quæris in quem finem hodierni Iesuitæ Laicis denegant Bibliorum lectionem? Respondeo: Res eodem tendit, quo olim: nimirum vt omissis Bibliis stent homines cadantve ad nutum & præceptum Papæ: Et fiant sic ex hominibus iumenta & mancipia Antichristi, & consequenter Diaboli, cuius certe ductu tantæ olim tenebræ sub Papa inuectæ sunt, tanquam ductu Spiritus tenebrarum & caliginis: ne cuiquam scripturæ sacræ aura

adfulgeret, ad cuius lucem Antichristus cum vniuersa sua turpitudine conspici posset: Apud Antichristum enim Ignorantia deuotionis (Papisticæ) matet esse firmiter perhibetur, vt Nicolaus Cusanus Excita. *lib. 6.* ceu proditor quidam manifestat, Obedientia, inquiens, irrationalis, est consummata & perfectissima obedientia: scilicet, quando obeditur sine inquisitione rationis, sicut iumentum obedit Domino suo. Si igitur videas Pontificem tuum non communicare alicui, neque tu illi communices.

Ecce arcanum quoddam mysterium ex intima Theologia Antichristi depromptum.

Corruptio aliarum scientiarum & artium.

Quod autem olim Sacrosanctæ Theologiæ accidit: idem quoque vniuersæ Reipublicæ literariæ, artium & linguarum euenit: nimirum, tanta barbaries inuasit artium & linguarum studia, ac si diluuium aliquod omnem eruditam disciplinarum liberalium scientiam, nitorem & gloriam altissimo vortice absorpsisset, & omnino annihilasset, quod malum & grande infortunium Ecclesiam adflixit vsq; ad primordia Academiæ VVitebergensis & professionem D. Lutheri, Melanthonis, Erasmi, & similium Phœnicum, sub quibus tandem decus artium, linguarum, & ingenuarum disciplinarum è situ & squalore Antichristianæ barbariei in lucem apricam emergere & postliminio in vniuersum Christianum orbem coruscare cœperunt.

N. Frischlinus vindex Latini sermonis acerrimus.

Nicodemus Frischlinus, Medicus, Philosophus & Poeta nulli secundus tanquam Germanicus Terentius, vt superioris seculi proiectam ignauiam, barbarismos, solœcismos & sordes, quibus artes & doctrinæ humaniores fœdum in modum conmaculatæ sorduerunt, taxaret, in theatra Germaniæ & contuitum hodierni doctissimi & literatissimi seculi Priscianum vapulantem comœdiam omnium iucundissimam, Anno Christi 1580. ingenio certe solertissimo & vegeto exquisitissime confictam produxit, in qua sub Iauelli & Francisci Pseudophilosophorum persona, barbarum morem philosophandi, sub persona Lilij & Philonij, doctrinæ Medicæ adspersas ineptias, sub Neuisani & Berberii Iurisprudentum horridas loquendi formulas superiori seculo frequentatas festiuissime taxat, simulque saucium Priscianum ab istis barbarismis tantum non occisum tradit Doctissimo Melanthoni, & eloquentissimo Roterodamo curandum, qui & pro viribus vapulantem Priscianum Pæoniis suis manibus nostro tempore sanarunt, & viuificarunt.

De hoc

De hoc ipſo Dramate comico Priſciani vapulantis Dauid Chytræus Germaniæ immortalis ocellus ad Iacobum Monauium ſcribens teſtatur, quod magna cum voluptate iſtud perlegerit, nec è manibus depoſuerit, priuſquam abſoluiſſet ob elegantiam, facilitatem, leporem & argumentum, &c.

Iam olim ſimile argumentum edidit Helius Eobanus Heſſus Poetarum Germaniæ ſuo tempore Rex habitus, dum circa renaſcentis Euangelii initia publicauit, (adiuuantibus iocum iſtum Huldarico Vutteno, Iohanne Reuchlino, &c.) epiſtolas obſcurorum virorum, in quibus non tantum ſtupidum & rude dicendi genus, ſed mores quoq; indoctorum Monachorum, cleri̇corum & ſimilium, ſiue Theologaſtrorum, ſiue Philoſophaſtrorũ Romanenſium in proſcenium protraxit, & elegantiſſime taxauit, adeo vt qui illas legerit, modo quadantenus eruditum guſtarit puluerem, riſum intra cuticulam difficulter conprimere poſſit. *Eobanus.*

Etenim cum libellus iſte primum Eraſmo Roterodamo oblatus eſſet à Iohanne Iacobo Ammerino, adeo eius lectione in riſum profuſus fuit, vt abſceſſum in facie natum, quem medici ſecari iuſſerant, præ nimio riſu ruperit: quemadmodum Ioſias Simlerus in narratione de Bullingeri obitu recenſet. *Eraſmus ridet.*

Si quis vellet barbariſmos conquirere, quibus ante Lutherum & Melanthonem renatumque Euangelium omnes artes humaniores, vtpote Grammatica, Logica, Rhetorica, Geometria, Optica, Muſica, Phyſica, Ethica, Aſtronomia, &c. fœdatæ & conſpurcatæ ſqualluerunt, in promptu fuerint ſane, vnde naues onerarias vel plauſtra queas ſaburrare & adgrauare.

Eraſmus Roterodamus Scholiaſtes in Hieronymũ ad Marcellam, Portẽta, inquit, quæ nunc paſſim legimus in commentariis recentium interpretum tam impudentia & inſulſa ſunt, vt videantur ſuibus ſcripſiſſe ea, non hominibus.

Cum aliquando Epiſcopus nomine Otto alteri cuidam Epiſcopo clericum ad functionem Eccleſiaſticam commendaſſet his literis: Otto Dei gratia, rogat veſtram clementiam, vt velitis iſtum clericum conducere in veſtrum Diaconum. Quæ verba abbreuiata alius quidam Epiſcopo *Ha, ha, he.*

prælegere iussus, sic legit: Otto Dei gram, rogat vestram clam, vt velitis illum clincum clancum, conuertere in viuum Diabolum, &c.

Mirabilia vocabula in Grammatica.

In Grammaticis mirabilia vocabula fœtebant, vtpote somnietas, stipticitas, Nimietas, Trutator, Emplastrare, Clysterizare, certiorare: Prodigiosas etiam in Etymologia vocabulorum deriuationes committebant: nimirum. Apostolus dicitur ab Apos, quod est argumentum & præeminentia, & Stolon, quod est missio, quasi præeminenter missus. Rursus: Apocrisarij, dicuntur nuncij Papæ. Nam crisis dicitur secretum, & apos dicitur nuncius. Rursus: Cathedra est nomen Græcum, & componitur à Cathos, quod est fides & edra, quod est sponda. Eleemosyna dicitur ab Eleis, id est misereri, & Mosis, quod est aqua. Titulus à Titan: quia vt Titan mundum illustrat: ita Titulus librum. Pro Hymnus dicebant & scribebant Hympnus, pro Tentamen, Temptamen, &c. Linguam Græcam reiiciebant, quia non poterant eam legere, multo minus Hebræam.

Græca & Hebraa lingua prorsus reiecta.

In Logicis, Deus bone, quam Scotisticæ tenebræ obnubilarunt Pulpita, Subsellia, Cathedras vbiuis gentium & locorum! Tenet consequentia (dicebant pro valet consequentia) destructiue vel constructiue: Disputationes pleræque calebant inter ridiculos terminos & quæstiunculas, de quidditatibus Entibus, Entitatibus, de Materiæ Subiicibilitate, Passionabilitate, receptibilitate, potentionabilitate, transmutabilitate, generabilitate, corruptibilitate, componibilitate, resolubilitate, multiplicitate, susceptibilitate, aptitudinabilitate: Itemque de Hæcceitate, hominitate, asinitate, caninitate, fœmineitate, animalitate, formalitate, corporeitate, actuatione, menseitate, cyatheitate, singularisatione, idemptitate, &c. Item de cognoscibili, attingibili, dabili, verificabili, exemplificabili, specificabili, flexibili, reducibili, proferibili, dignoscibili, locabili, conceptibili, meliorabili, disputabili, dicibili, latrabili, sanabilitate, felicibilitate, notabilitate, de disquirantia, de subalternantiis, de relatis simultaneis, de contortuplicatis logismis. Item: Quemadmodum Iohannes Baptista fuit præcursor Christi in Theologicalibus: ita Aristoteles præcursor Christi fuit in Physicalibus.

Logica monstrosa.

Syllogismorum ratio.

In Syllogismis, Christe serua me, quanta dominata fuit stoliditas. Vt soluerent hunc Paralogismum: Mulier genuit te vel asinus. Sed nulla mulier genuit te: Ergo asinus genuit te. Responderunt: Tota disiunctiua est falsa, quoniam mulier non gignit, sed parit. Vt soluerent hoc argumentum. Asinus habet pedem. Tu habes pedem: Ergo tu es asinus: Distinxerunt inter pedem irrationalem & rationalem.

In reliqua vitæ conuerſatione quotidiana & frequentiſſima barbaries animaduertebatur.

Si Epiſtolæ familiares quandoque ſcribebantur: inſolentes tituli, ſalutationes & concluſiones earundem animaduertebantur. *Epiſtolia ridicula.*

TITVLI. Franciſco de Maronis, ſeptem liberalium artium candelabro aureo, radianti Theologorum apici, ordinis Minorum Lucifero, ſacræ ſcripturæ Gazophylacio, hæreſiarcharum malleo, virtutum Heroicarum ſpeculo dilucidiſſimo, meo Domino digniſſimo, Domino præceptori humilimus dominationis ſuæ diſcipulus & ſeruitor viliſſimus, oſcula pedum, loco ſalutis. Itemque patri ſuo metuentiſſimo, viſceroſiſſimo, illuminatiſſimo, conſcientioſiſſimo, &c.

SALVTATIONES Salutem adfectuoſiſſimam, cordialem: immenſas plena bucca ſalutes, ſine & menſura carentes, è centro cordis egreſſas, mille, item & mille millieſque ſalutes, ſalue ad centrum cordis dilecte.

CONCLVSIONES epiſtolarum: Salue & vale in eo, qui dat eſcam omni carni. Raptim & feſtinatim ex Pariſiis 26. Octobris, acta iam cœna, cadente lumine ſolis. Item: Ex Louania 7. Iul. Tarde cum ſera traherent crepuſcula noctem. Vale ex Bruxella, 10. Octob. velocius Euro, dum nox tulerat ſilentia terræ. Vale, Deus ſcit quam raptim hæc ſcripſi: Vale ex Colonia, tarde tertia Martij, luce cadente & volante noctua nuncia lucis. Vale ex Mechlinia raptius curſu leporis dum S. Laurentii feſtum dies illuxexerat. Scriptum ſub blauio cœlo, Luna ſupplente diem in loco, quem præſtiterit ſiluiſſe. Vale ſaluus, ſaluuſque maneto ex Monaſterio Oſnabrugenſi in via Thomæ, vna via ſtante, altera ferente papyrum. Opto tibi tot ſalutes, quot ſunt Alleluia inter Paſcham & Pentecoſtes.

Diſputationum etiam publicarum ridiculi fuerunt tituli, & argumenta. Nimirum: Diſputatio Coloniæ in Burſa montis Regentium de BV, BA, BAF, an ſint voces ſignificatiuæ, necne? Item! An mus rodens panem conſecratum rodat corpus Chriſti? Et, An pro Iudæ ſtatua imprudenter caput aperire ſit mortale peccatum? An Chriſtus fuerit ordinis prædicatorii vel Franciſcani? An liceat animalia irrationalia bannire, ſeu excommunicare, ſicut Eccleſia Vincentii Martyris, paſſeres fœdantes Eccleſiam excommunicauit? An ſacerdos indutus veſtimentis gloriæ, intrans forum, vbi panes venduntur & incipiat loqui verba Canonis, benedictionem faciendo ſuper panes, conſecret? An ſicut templum dealbatum reſecrandum eſt, ſic calix deauratus denuo reſecrandus ſit? An baptizari quis poſſit aqua Marina? An ſi quis poſt Euchariſtiam vomat, vomitus debeat cremari (detur venia) & cineres iuxta altare reponi? An ſi Chriſtus inſtituiſſet formam *Diſputationum ridicula quæſtiones.*

Baptismi his verbis vel syllabis, Buff, Baff, num fuisset bona forma? An, si qui baptiset transponendo syllabas, ego Baptiso te in nomine trispa, pro patris, Lii fi, pro filii, & ctisan tuspiri, pro spiritus sancti, verus sit Baptismus? At vero ô vitiosas nuces & harum venditores! ô plumbeos nummos!

Ex vetustis etiam Epitaphiis maxima insulsitas resultat: vnum & alterum animi gratia subiicio.

Durus Durandus, iacet hoc sub marmore duro:
An sit saluandus ego nescio, nec ego curo.

Carolus vltimus Burgundiæ Dux sic, vt isti aselli mysteria portantes loqui solent, præconisatur, in disticho futili & vitioso.

Te taeduit pacis piguitque quietis in vita:
Hic iaces Carole, iamque quiesce tibi.

Abbas quidam cum suis sororibus sic laudatur.

Hic iacet Elisabeth, simul & sorores
Et frater Andreas, qui diligebat eas.

Presbyter in deliciis anguillas habuerat, igitur tale Epicedion tulit.

Anguillas comedit ter centum, ter quoque mille,
Gaudeant anguillæ, quia mortuum presbyter ille.

Et rursus:

Hic est sepultus Abraham
Ah vir fuit prius quam
Pueros docebat A.B.C.
Ideo requiescit in pace.

Quinetiam Optimus Maximus Romanorum Imperator quondam Monarcha Carolus V. barbarum hoc à quodam clitellato asello retulit Epitaphium.

Hic iacet intus
Carolus Quintus
Quæso bis aut ter,
Roga pro eo pater noster.

CVM olim sub initium repurgatæ Religionis Heluetii etiam iugi Antichristici pertæsi Missæ impietatem blasphemam & sacrilegam cum reliquis idolatricis cultibus Romanensibus abrogassent: Ibi Hieronymus Bock Emserus, nuntio hoc accepto, ira & furore percitus, absurdum hoc Epigramma in Heluetios taxandos abortiuit: qui volet, num sine risu legere queat, tentare poterit.

Suice

Suice inimice Dei, fidei hostis, Suice Tyranne
Lactiphagus nequam, Vah boum mulctor iners
Dij nequeunt vltra tadas & ferre rapinas,
Quas syluis genitus, more latronis amas.
Tempus adest, quo tu, dum speras aurea dona
Liligeri fugies ferrea tela Ducis.

NOLO esse longior, ne Christiano lectori sim prolixitate quadam molestus. Quisplura desiderat poterit perlustrare secundam panegyricam orationem clarissimi Philosophi Dn. M. Caspari Finkii Professoris Giesseni, ante hac publice habitam: Nec minus Orationem secularem eminentissimi viri Dn. M. Erasini Schmidii Professoris VVitebergensis in Iubilæo Academico Anno Christi 1601. habitam: ibi de huiusmodi vestigiis fusius est videre & legere.

Quis vero super his tot ac tantis portentis serio non ingemiscat? vsque adeo nullam veritatem verbi cœlestis in scholis amplius habuisse locum? nullum fuisse cultum ingeniorum? linguas obmutuisse, quæ tamen disciplinæ humanæ & diuinæ ornamenta & fulcra sunt? Neminem fuisse, qui Græcas nosset literas, & vix semilatina intelligeret: Sed plerosque, qui occupatãt Cathedras barbaros fuisse omnes & propemodum infantes: qui in profundo barbariei cœno vel puteo hærescebant! Proh Deum sanctum! De hoc tristissimo malo ante renatum Euangelium & ortum Lutheri, sic Iohannes Maior Poeta in quadam Panegyri,

Omnia torpebant corrupto more loquendi
Cognitioque Dei stabat operta rubis.
Cum non plana forent: nec sana, nec vsibus esse
Humano poterant talia scripta gregi.
Terra diu vera fuit expers lucis & artis
Et Deus ad cœlos, clauserat vltor iter.
Contra terrificum Ditis patefecerat antrum
Quo magno numero compulit ire Papa.
Nemo, licet fingat. sese inde redemit ad auras
Quanquam æs in templis & sacra ficta sonent.

SVMMATIM: Doctrina Relligionis de fidei iustificatione, de officio Christi Mediatoris vnici beneficiis, de pœnitentia, de sacramentis, vera Dei inuocatione, & aliis partibus doctrinæ cœlestis, densissimis tenebris inuoluta & horrendis erroribus obscurata, deprauata & corrupta fuit recepta &

pta & in Scholas atque Ecclesias inuecta erat multiplex idolomania, rixæ & disputationes scholasticorum Doctorum spinosissimæ, quibus bonas, vtiles & Theologicas materias non explicauerant, sed omnia perpetuis disputatiuncularum labyrinthis inuoluerant.

Durauit autem ista omnium doctrinarum & disciplinarum pestis, donec illucesceret simul per ministerium D. D. Lutheri lux matutina cœlestis gloriæ & veritatis, quod confirmat Ludouicus Viues *lib.* 5. de causis corruptarum artium, his verbis. Vt quidque minus tritum fuit manibus studentium, ita purius ad nos peruenit. Et Erasmus in Epistola ad electorem Fridericum Saxoniæ Ducem Anno Christi 1519. petit, vt autoritatem suam optimus elector potissimum aduersus μισομούσους istos ac veteris inscitiæ Tyrannidem, omnia armorum vi pertinacissime tuentes, tanquam præsidium ponat. Sic nimirum indicat & quiritatur suo adhuc tempore circa renascentis Euangelii cunabula prædictam barbariem hinc inde grassatam fuisse.

Singulari interim Dei Optimi Maximi misericordiæ vnice & gratis mentibus adscribendum est, quod sub tam Cimmeriis tenebris verbum suum seruauit & ab exilio eripuit: Hoc beneficium etenim est miraculum & quidem grandius & sublimius, quam quod olim Danielem in ipsa Leonum seruauit cauea, Ionam in intima Balænæ aluo: Sadrach, Misach & Abednego sæuientibus vndique flammis circumfusos. Reuera dicere possumus, quod Papistæ olim scripturas seruarint, vt canis fœnum, qui nec comedit ipse, nec miserum equum, ieiunum, esurientem & vel maxime cupientem comedere patitur: vel eodem exemplo, quo ante Iosiæ tempora Deuteronomii librum seruarunt Iudæi, occulte, atque in angulis, vel inter templi thesauros, vt vbi inueniri posset, sciret nemo. 2. *Reg.* 22. Aut etiã si profana magis placent, seruarunt Papistæ scripturas sub capite suo Antichristo quemadmodum custoditi sunt olim à populi Romani auguribus libri Sibyllini: ita inquam Papistæ olim custodiuerunt sacras literas, & in custodia quidem arctissima, ne videlicet quid scire populus vnquam posset, sed à sacrificulis petere necessum haberet: Ita lucem in tenebris, & veritatem in iniustitia captiuam tenuerunt, vt Paulus loquitur Romanor. 1. *vers.* 8. Sed sufficit: etiamsi plura suppetant.

**
*

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Quanto desiderio multi pii & cordati viri Reformationem Religionis expetiuerint, & vaticiniis suis prædixerint, præsenserint & præuiderint.

MAXIME fuerunt olim pertæsi multi pij & præstantes viri abominationis Antichristi, longe antequam opus Reformationis per Lutherum Dei vas & organon inchoaretur, & gemitibus suis anxium suum desiderium, & quam impense super tanta contritione Iosephi turbati & fracti essent, contestati sunt satis superque: Vaticinia de reuelatione & confusione Antichristi aliquot in procinctum colloco: pius lector Christianum inde diriget iudicium.

Apocalyptica Iohannis Apostoli visio, non solum describit Regnum, inanem fastum & apparatum Antichristi Romani, sed etiam describit prædicationem Euangelij in vltimis fatiscentis mundi temporibus futuram, cuius virtute Christus suos seruaturus sit ab Antichristi imposturis & aliis erroribus, introducit regnum Antichristi *cap.* 14. & 18. sub figura bestiæ habentis duo cornua similia agnis, loquentis autem voce Draconis: Et sub figura altera meretricis insidentis bestiæ decicorni (quæ bestia, Daniele interprete, est quarta Monarchia Romana) & poculo errorum & abominationum inebriantis reges & populos & gentes, & tribus, adeoque terram corrumpentis prostitutione sui, quam mulierem Angelus ait esse ciuitatem magnam, quæ habeat imperium super reges terræ, quam descriptionem Romanæ vrbis fuisse, nemo nisi historiarum penitissime ignarus, negauerit. Posthæc, introducitur Angelus Euangelicæ doctrinæ præco, dicente Iohanne: Et posthæc vidi alterum Angelum volantem per medium cœli (hoc est, per mediam Ecclesiam, non particulariter vni Ecclesiæ, sed æqualiter omnibus prædicantem & docentem in circuitu, quam Ecclesiam verbis & exemplis secum trahit, ad conuersationem Euangelicam) habentem Euangelium æternum (quia in æternum durat, & æternæ vitæ brabeium offert credentibus, inuitis porcis infernalibus: vice vero versa Antichristi nequitiá non durabit æternum, sed turpiter cadit & perit) vt euangelizaret habitantibus super terram & omni genti & tribui & linguæ & populo dicentem voce magna: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius & adorate eum, qui fecit cœlum & terram. Ad hanc concionem statim exauditur in cœlo Ecclesiæ ruina regni Antichristiani his verbis, & hoc triumpho: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna. Et

Apocalypsis Iohannis.

D mox

mox: Posthæc vidi Angelum descendentem de cœlo habentem potestatem magnã, & terra illuminata est à gloria eius, & exclamauit per fortitudinem voce magna, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis inmundi spiritus, & custodia omnis volucris inmũdæ & inuisæ, quia de vino iræ & scortationis eius biberũt omnes gentes: Et reges terræ cum illa scortati sunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum diuites facti sunt.

His euidentissimis & clarissimis vaticiniis, ceu radio solis aliquo Lutherum nostrum notatum esse palam euincit subsequutus euentus oraculorum interpres, sine controuersia, vt certissimus, ita locupletissimus.

Nimis prolixum foret sigillatim recensere numerosum catalogum pientissimorum confessorum & Martyrum, qui sub pressuris veræ Ecclesiæ, ab Antichristo Romano & eius cohortibus atrociter intentatis, auctis & continuatis, simul Rufo Draconi contradixerunt, & religionis reformationem expetiuerunt, & anxie desiderarunt, quin & vaticinati sunt tandem certo illam subsequuturam, quemadmodum in Daniele, concionibus Christi, Paulo & Apocalypsi prædictum esset, futurum nimirum, vt ante seculi consummationem filius perditionis per tubam Euangelicam manifestari & confici deberet: siquidem hæc Ecclesiæ pressura sub Antichristo longe fuit acerbior, quam olim Ecclesiæ Israeliticæ sub seruitute Pharaonica, qua sic quoq; Israelitæ per continua & tandem duplicata laborum onera adflicti & enecti fuerunt, vt indesinenter ad Deum ingemiscendo suspirarent, cum ista tamen adflictio saltem centum duraret annos, & seruitus tantummodo corporalis esset, quæ cum æterna salute, sine vulnere conscientiarum & naufragio fidei consistere poterat: Subiiciat hic pii lectoris animus rigidiorem ἐπίκρισιν & fateatur oportet, decuplo maiorem, periculosiorem & prolixiorem fuisse Catholicæ Ecclesiæ quassationem sub Bestia Romanensi, quam olim Israelitarum sub Pharaone.

Longe itaq; maiore desiderio, suspiriis & animi angore expectatum fuit opus reformationis, quod ætate nostrorum parentum per Lutheri ministerium diuinitus in actum productum & gubernatum est. Non est, inquam, mei instituti nec fert ratio huius commonefactionis: alias ad manus essent totæ farragines eorum, qui antiquitus Pharaoni Romanensi contradixerunt, reformationem expetiuerunt, prouocarunt ad libera concilia, & vaticinati sunt, breui secuturum id, quod per Lutherum mascule & feliciter sub præsidio Spiritus Dei nostro seculo actum & transactum est.

Waldenses Inprimis tale desiderium flagrauit in vniuersa societate illa Ecclesiastica,

quam

quam olim vocarunt VValdensem, quæ nomen suum sortita fuit à ciue quodam Lugdunensi, qui sacras literas ipsemet legit, & in linguam Gallicam vertit, & suos fideliter docuit veram Theologiam. Collegit etiam patrum testimonia vulgari sermone, & sic se suosque adseclas, non solum verbo Dei, sed & testimoniis & suffragio τῆς παλαιᾶς ἐκκλησίας aduersus aduersarios communiuit, vnde & fulmine Antichristiani Anathematis percussus & in exilium proscriptus est. Numerus horum confessorum fuit maxime completus, & potissimum exorti sunt sub Friderico 1. Barbarossa, qua imperatoris tempestate Regnum Antichristi summum ferme contigerat fastigium, seculo nimirum Petri Lombardi, Magistri sententiarum nominati, & Papæ Alexandri 3. qui fœdum Sathanæ domicilium & imperii Romani hostis, Ecclesiæq; veræ Antidicus exstitit. Nominati sunt prædicti confessores VValdenses, ab isto Petro VValdo: Varia etiam alia nomina illis indita fuerunt ab aduersariis, nimirum: Pauperum de Lugduno, Leonistarum, Insabbathatorum, &c. Fuerunt ab Antichristo Romano toto illo tẽpore (durarunt n vsq; ad Lutheri tempora) grauissimæ in illos motæ persecutiones, quas & sustinuerunt constanter, & mirabiliter eorum creuit numerus, & occasione persecutionum in varias orbis Christiani terras & oras disiecti doctrinam suã, quæ cum vera Christi Theologia plurimum consensit, per Galliam, præsertim prouinciam Narbonensem, Lombardiam Italiæ tractum, quem Itali citeriorem Galliam vocarunt, tandem per totam Italiam vsque in Siciliam suam disciplinam amplificarũt, & inde etiam in Germaniã, præsertim in Alsatiam & circa Rhenum: Item in Bohemiam, vnde porro in Saxoniam, Silesiam, Morauiam, & Poloniam penetrarunt: Inprimis docuerunt contra bestiam Romanam: quod Ecclesia Romana nõ esset Iesu Christi, sed Eccesia malignantium, in quam à tempore Syluestri Papæ Venenum temporalium infusum esset, &c. Quid aliud desiderarunt hi viui Christi martyres, quam abrogationem Tyrannidis Babylonicæ & infinitæ idolomaniæ, impiorum cultuum & abusuum, & instaurationem veræ pietatis & verorum cultuum? Adnumerari huc posset ipsemet Diuus Bernhardus, qui vixit circa annũ Dominicum 1130. & super multis terris abusib. Romani Antichristi ingemuit, Sicut & Rupertus Episcopus Lynconiensis An. Christi 1250. Arnulphus Archiepiscopus Lugdunensis, Iohannes Saresburiensis & Episcopus Carnotensis, Petrus Blesensis circa eadem tempora, Eberhardus Salisburgensis Episcopus, Franciscus Petrarcha, Iohannes de Rupescissa, Marsilius Patauinus, Iohãnes de Sanduno, Georgius Heimburgius & multi alii, qui iam olim vehementer omnes ingenue Papæ Antichristi Tyrannidem, non solum reprobarunt, sed & reformationem Religionis summo desiderio expetiuerunt.

qui & quales.

Cæsares desiderarunt lucem Euangelii.

Accedunt huc quoque Imperatores Augustissimi non pauci, Heroes optimi Maximi, quibus vt curæ & cordi fuit salus Romani Imperij, sic etiam Ecclesiæ excubiis libentissime & viriliter adstiterunt, reformationemque omnium cupidissime promotum voluerunt, vtpote Fridericus Secundus, quo nullus potentior à Carolo Magno exstitit, tempore Innocentii Quarti Papastri, à quo ob studium reformandæ Religionis Anathemate notatus Panormi in Sicilia mortuus est. Huic in Sancto Religionis ardore & imperij amore par fuit Ludouicus Bauarus, sed propterea à Iohanne 22. Papa & Benedicto 12. per Antichristianas censuras oppressus maxime pessimo Christianorum fato, &c. Multos alios prætereo.

Imperator Sigismundus.

Desiderium erga reformationem religionis ardentissimum fuit in Imperatore Sigismundo, Hungariæ & Bohemiæ rege, doctrina, humanitate, multarumque linguarum notitia principe clarissimo, cuius tempore auaritia, fastus & impudens impietas Romanensium Paparum sic vsque progressa fuerat, vt tres simul pontifices sese pro vicariis Christi venditarent. Quod malum sicut & plurimi alij abusus idolomaniæ superstitiones & næui Ecclesiæ Romanæ optimum & Christianissimum Imperatorem permouerunt, vt cogitaret de concilio generali, cuius authoritate salubris medicina aduersus tam pudendam turpitudinem Antichristi decerni posset. Et ne quid de Sancto isto studio Optimus Maximus Imperator omitteret, singulariter ad id suscepto graui itinere peragrauit Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, vt sic ex multis & præcipuis orbis Christiani partibus colligeret, qui generali illi concilio interessent, & Religioni periclitanti succurrerent: Sic tandem sanctissimo isto fine desiderabundus Imperator procurauit Concilium Constantiense, ad lacum Acronium seu Podamicum, vt videlicet Sacrosancta religio repurgata pristino nitori & luci secundũ præuiam lucem verbi diuinitus traditi restitueretur. Verum Christianissimũ & heroicum istud pectus, non obtinuit quod optauit, &c. Nauclerus hæc omnia fusius recitat.

Ioh. Hussius & Hierony. Pragensis.

In hoc conciliabulo Constantiensi sanctissimi Christi Martyres Iohannes Hussius Bohemus, Academiæ Pragensis Theologus & fidus eius Achates Hieronymus Boemus Pragensis ob adsertionem sanæ doctrinæ, & taxatos Ecclesiæ Romanæ næuos, postquam per complures dies inmanissimi carceris sordibus, iniuriis & pedore detenti fuissent, violata pace publica viui exusti sunt Anno Christi 1416. Et in mediis flammis (quarum fragor confessionem aliquandiu, vt Nauclerus scribit, non potuit intercipere) desiderium sanctum suum erga Christianismi reformationem conte-

ſtati ſunt, de quo audiamus teſtimonium Iohannis Stumphii, quod extat in chronico eius Heluetico, his verbis:

Iohannes Huſſus Bohemus Conſtantiæ in Concilio viuus exuſtus eſt, Anno Chriſti 1416. In mediis flammis vaticinatus eſt his verbis: Poſt centum annos Cygnum meum, ex hoc anſere natum (HVSS enim lingua Bohemica anſerem ſignificat) non aſſabitis. Verus fuit vates. Nam poſt centum annos, Anno Chriſti 1516. Lutherus contra Pontificem ſcribere cœpit.

Hieronymus de Praga Huſſi diſcipulus quadrageſimo die poſt præceptorem eodem mortis genere ibidem ſublatus eſt, cum magna voce profeſſus eſſet: Poſt centum annos mihi reſpondebitis: Hactenus Stumphius.

Vaticinium illud Huſſi de venturo Luthero ſic attingit Hieronymus Treutlerus:

Anſer eras & te Romana caterua cremabat
Quod nimis obſtreperus Pontifici anſer eras.
At tua vindicias habuerunt fata: repertus
Nempe fuit, quem vox ſumma canebat, OLOR.

Ipſemet Reuerendus pater Martinus Lutherus Olorino Epicedio cineres Sanctiſſimi confeſſoris Huſſij celebrat, quod in gratiam Lectoris ſubdo:

Ille renaſcentis verbi ſine labe fidelis
Præco, bonus vita dogmatibuſque bonus.
HVSSIVS æterni ſeruus ſincerus IESV:
Nomine paſtoris dignus Apoſtolici.
Præceptor Pragæ generati Hieronymi: & idem
Docto VViclefi de grege diſcipulus.
A Conſtantiaca Synodo combuſtus, olympum
Mente adiit: cineres oſſaque Rhenus habet.
Chriſte Boemorum genti concede, perenni
Vt ſtudio cantus ANSERIS huius amet.

Conſtat etiam quod Bohemi vaticinium Huſſij de venturo olore Euangelico cudi curarint in numiſmata ſua, vt ſemper hæreret contra Antichriſtum in oculis.

Iohannes Hiltenius Monaſtici ordinis Franciſcani collega in oppido Iſenacho Thuringiæ, celebratur à Dn. præceptore Melanchtone in Apologia, capite de votis Monaſticis, quod ob reprehenſos quoſdam Monaſticos abuſus, in carcerem coniectus fuerit, ac tandem grauiter laborans ad ſe Guardianum vocauerit, petieritque, ſui morbi haberi rationem: & cum *Ioh. Hilten.*

 inſu-

insuper duriter ab eo obiurgatus esset, dixerit, se quidem nihil admodum contra Monachatum docuisse, sed venturũ Anno Christi 1516. qui sit Monachos euersurus, ac cui repugnare plane non queant. Obiit in oppido Isenacensi, & quidem in carcere, & prædixit scripsitq; manu propria, breui futuram esse mutationem doctrinæ, Religionis, & doctrinam priorem abrogatum iri. Obiit, inquam, Anno Christi 1501.

Fundatio Academiæ VVitebergensis.

Eodem isto anno fundata est Academia VVitebergensis in Saxonia ad ripam Albis nobilis Germaniæ fluuii, à Serenissimo Saxoniæ Septemuiro Friderico Sapiente, circa cuius almæ Matris initia & fundationem desideria & vota erga religionis instaurationem maxime cerni licet & obseruari. Etenim in comitiis VVormatianis Anno Christi 1495. celebratis præeunte Augustissimo Romanorum Imperatore Maximiliano Primo, Heroe nunquam satis laudato, Electores sese inuicem cohortati fuerunt, vt singuli suas in suis electoralibus ditionibus haberent Academias: sic enim fieri posse instaurationem totius rei literariæ, sine cuius flore & conseruatione Religionis sinceritas imperiiq; Romani decus & salus nequaquam consistere posset. Hac ratione inpulsus Sapientissimus Elector Saxoniæ Fridericus Academiam VVitebergensem Anno antedicto, die decimaoctaua Octobris in Vrbem introduci curauit eandem.

Ernestus Saxoniæ Dux Episcopus Magdeburgensis.

In hoc sancto proposito beatissimum Electorem confirmauit Ernestus frater, dux Saxoniæ, eo tempore Archiepiscopus Magdeburgensis & Germaniæ Primas, qui quanto desiderio ad lucẽ reformatæ deinceps Religionis anhelarit, docuit cygnea eius cantio, quam in agone mascule edixit. Etenim Dominus Clemens Schauw/ Diaconus Ecclesiæ Eislebiensis, huiusq; tum Archiepiscopi sacellanus testatur, se adstitisse ei, vna cum duobus Franciscanis, in Salinis morienti, quorum alter ad Archiepiscopum dixerit: Esto bono animo inclyte princeps: Nos omnia, non tantum nostra, sed & totius Minoritarum ordinis bona opera tuæ Celsitudini communicabimus: Non est dubium, quin illis acceptis corã Dei consistas tribunali & iustus & beatus, Respõdisse vero Archiepiscopum: Nein ich trawen: Jch begere ewer Wercke nirgendes zu. Meines Herren Christi Werck müssens allein thun: Darauff verlasse ich mich. id est. Nullomodo, nec meis nec vestris operibus ego confidam, sed solius mihi Christi opera sufficient. Franciscani his auditis sese mutuo adspicientes erubuerunt, & confusi, turpiterque pudefacti abierunt. VVolf. Centen. 15. pag. 808. reb. de memorabil.

Inter alias introductionis & consecrationis Academiæ VVitebergensis ceremonias iussu Fundatoris Friderici Electoris concionem pro felicibus

almæ

almæ istius Scholæ auspiciis in templo arcis Doctor Iohannes Fleckius Voitlandus cœnobii Steinlausicensis ad Muldam prope Bitterfeldam oppidum in Misnia, habuit, & inter cætera dixit grandi voce: Ab isto candido nostro monte (Solebat hoc nomine VVitebergam vocare) gentes vniuersi orbis Sapientiam & candidam Religionem petent. Verus & Sanctus fuit vates, Deo sit laus. Simul ac Lutherus noster VVitebergam Anno Christi 1508. venit, in summo flore esse nouæ istius Academiæ decus cœpit. Nec minus in oculis omnium & maxima authoritate Lutherus ob dexterrimam docendi rationem & pietatis Zelum habitus est, vt pote in cuius feruore, diligentia, fidelitate & summo pietatis ardore omnes boni aliquam è captiuitate Babylonica nunc demũ imminere vnice sperabant & expectabãt liberationem. D. Martinus Polichius Mellerstadius Francus, omniũ facultatũ Doctor, vir eo seculo celeberrimus & lux mundi vocatus, tenens clauum Vniuersitatis VVitebergensis, singulari curæ sibi habuit Lutherum, idque aliis etiam seueriter iniunxit. Attendite, inquiens, adolescenti Monacho Luthero; eo enim ingenio præditus est, quo nemo alius: Et profecto in præstantissimum virum euadet. Hic monachus aliquando omnes confundet doctores, nouamque doctrinam adferens vniuersam Ecclesiam reformabit. Nititur enim prophetarum & Apostolorum scriptis, & soli verbo Iesu Christi confidit, quod nullus vlla Philosophia Scotistica, Albertistica, Thomistica neque vniuerso tartareo confundere vel euertere poterit.

D. Fleck.

Lutheri accessus in Academiam VVitebergensem.

D. Mellerstadt.

Iohannes Staupitius primarius Augustinianorum per Germaniam non minus in Luthero Spiritum Dei animaduertit, & magna per illius fidelem opẽ Ecclesiæ Iesu Christi pollicitus est, quo ipso satis & ipse sanctũ suum & anxium desiderium, erga repurgationem doctrinæ cœlestis testatus est. Cyriacus Spangenbergius recitat, quod aliquando admiratio mentem Staupitii subierit, qui fieret, quod res longe maxima conficeretur ab humilima plerumque persona, & conuersus ad Lutherum recens in Academiam ad professionem accitum dixerit: Euge mi Martine, hoc mihi plurimum arridet, quod non in tui gratiam, sed honorem Dei, cui nimium dari non potest, omnia tua studia dirigis. Et cum Lutherus Roma rediret VVitebergam, Anno Christi 1412. ætatis suæ vigesimo nono, & nunc instinctu & suasu Electoris Saxoniæ & Academiæ in Doctorem Theologiæ creandus esset, Lutherus vero vehementer abnueret, peteretque vt aptior aliquis alius ad honores istos deligeretur, ibi Staupitius subridens respondit: Noli tantopere, mi Martine, recusare: apparet sane præ foribus esse, quod Deus in cœlo & in terra multa magna negotia sit tractaturus,

D. Staupit.

turus, ad quæ doctorum hominum opera vtetur. Vide Mathesii concionem de vita & morte D. Lutheri.

Simul exstiterunt eo tempore, diuersis in locis clari viri, qui magno tædio aduersus barbariem studiorum & linguarum laborantes plenis velis eo vnice collimarunt, vt diu desideratam artium & Theologiæ lucem in Europæo orbe reaccensam videre possent: inter quos præcipui fuerunt Hieronymus Sauonarola Florentinus iussu Alexandri Sexti Papæ strangulatus & combustus, Anno 1485. Vir eruditione & pietate insignis, cui à Philippo Cominæo tribuitur Spiritus Propheticus, & à Marsilio Ficini vocatur vir Sanctus: & à Francisco Pico Mirandulano comite singulari scripto contra Papam defenditur. Itemque Iohannes Gerson Theologus Parisiensis, Iohannes Geilerus Cæsaris Bergius Argentinæ Ecclesiæ Theologus, Erasmus Rotherodamus, Petrus Mosellanus, Haldericus Huttenus nobilis poeta & eques Francus, Cunradus Celtes, Albertus Crantzius Decanus Hamburgensis, Iohannes Auentinus Bauarus, Andreas Proles, & multi alii, qui vel breui ante Lutherum ex hac vita abierunt, & suspirabundi expectarunt vindicationem ex seruitute Romani Antichristi, vel sub initium in proscenium aduersus Antichristum prodeuntis Lutheri diem renascentis lucis Euangelicæ viderunt & summe exhilarati sunt.

Hieron. Sauonarola.

Ioh. Gerson. Ioh. Geilerus & multi alii.

Quam gestierit Baptista Mantuanus præ tædio nugarum Antichristi videre diem reformationis, declarat hoc ipse in *libr.* 12. Fastorum, vbi sic ait:

Et licet his olim nugis iuuenilibus aures
Præbuerim, tamen, vt melius cum tempore factum est
Iudicium, lus hæc mihi perniciosa videri
Cœpit, & ex grauium cuneis abigenda virorum.

D. Proles.

Doctor Andreas Proles Lipsensis Augustinianus prouincialis, quem Lutherus admodum iuuenis Magdeburgi vidit & audiuit (verba hæc sunt Matthæi Dresseri in Millenario Sexto *pag.* 40.) is sæpius vsurpauit hanc vocem: O fratres, Res Christiana opus habet magna & forti reformatione, quam quidem iam prope instare video. Item. Papæ regnum iam ruinam magnam minatur, quia nimis alte & nimis cito creuit: Hic cum admoneretur, vt ipse curam emendandi Ecclesiam susciperet, respondit: Ego iam ætate adfectus sum: nec tantum habeo roboris atque præsidii, quantum reformationis tantæ opus postulat. Alium vero excitabit Deus Heroem, quem ad omnia summo atque excellente ingenio armabit. Is reformationem

nem adgredietur, errores extirpabit, pericula infracto animo despiciet, perrumpet, & ad exitum illum, quem omnes pii exoptant, rem adducet, &c. Papa libertatis tantæ impatiens, hunc Andream Prolem excommunicauit. Hæc Dresserus.

Franciscus Picus, Mirandulæ comes, datis literis ad Imperatorem Maximilianum, eundem hortatur ad reformationem religionis suscipiendam, in qua epistola hæc sunt verba: Age, inquit, optime Cæsar, excitis, qua ratione potes Christianis regibus, TE, Christo Regum omnium regi, oues suas tam ab hostibus, quam à PERFIDIS PASTORIBVS IAM LIBERATVRO, FIDVM MINISTRVM EXHIBE. vide Dresserum loco dicto, *pag.* 38. *Franc. Picus Mirãdula comes.*

Iohannes de Gerson Gallus, Cancellarius Academiæ Parisiensis circa tempora concilii Constantiensis scripsit inter alia etiam de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia, de defectib. virorum Ecclesiasticorum: de signis ruinæ Ecclesiæ, de negligentia prælatorum, & vehementer vrsit Ecclesiæ reformationem. *Ioh. Gerson.*

Similiter Petrus de Haliaco Cardinalis Cameracensis teste Tritheimio tractatum longe optimum de reformatione Ecclesiæ Romanæ publicauit, & ipsemet concilio Constantiensi obtulit. In quo tractatu non consultorem modo, sed & verum vatem, euentu tandem teste, sese exhibuit. *Petr. de Aliaco.*

Breui tempore ante pudefactas Tezelianas Indulgentias & inchoatum opus reformationis inclaruit Petrus Galatinus Minoritanus Hebraicæ Linguæ callentissimus: is promissiones patribus factas de Christo, nempe Adæ, Noacho, Abrahæ, Isaaco, Iacobo, Moysi, Prophetis, Dauidi & aliis, non solum è sacris literis, sed etiam ex Iudæorum Thalmud & aliis Rabinorum scriptis doctissime extraxit & explicauit, quo ipso labore circa initia renascentis Euangelii, non solum iugulauit delusoriam Iudæorum Religionem, sed & quam serio lucem Religionis expectaret, declarauit. *Petrus Galatinus.*

Eodem isto tempore Biblia Complutensia Hebraica prodierunt in lucem, adiunctis tribus translationibus, Chaldaica, Græca, & Latina Tomis sex, quæ imprimi curauit Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus Franciscus Ximenius, vnice eo intentus, vt fulgor & aurora cœlestis refulgesceret doctrinæ. *Biblia Complutensia.*

In ore omnium circa eadem tempora fuerunt vaticinia quædam subobscura, quæ euentus postea declarauit. Inter alia vero hoc valde tritum fuit: Imperator Fridericus quando adueniet, liberabit sanctum sepulchrum Domini. Hoc vaticinium citius impletum, quam intellectum fuit, vt ple- *Vaticinia.*

ræque Prophetiæ ſeſe habere ſolent. Nam dux Saxoniæ Elector (ſub quo Lutherus Papatum reformare cœpit) Francofurti ab Electoribus vno conſenſu in Imperatorem electus fuit, & re vera Imperator fuerat, ſi ſaltem adſenſum præbuiſſet, ſed propter ſenectutem Carolum Quintum voto ſuo Imperatorem deſignauit & petiit. Perinde autem Deo eſt, quandiu quis Cæſar ſit, modo ſit. Ideoque hic Cæſar Fridericus, id eſt, Elector Saxoniæ ad iſtam eminentiam deſignatus & legitime electus, per prædicationem D. Lutheri ſanctum ſepulchrum, id eſt, ſacram ſcripturam (in qua veritas Chriſti, extincta à Papiſtis, ſepulta iacuit, quam Mendicantes & inquiſitores hæreticæ prauitatis cuſtodierant, ne diſcipuli Chriſti venirent & auferrent) liberauit, & cæt. *vide Tom.* 2. Lutheri German.

Plura non adiicio, ne prolixitate Lectoris offendam humanitatem & beneuolam attentionem: plura ſane ſuppeterent.

SECTIO QVARTA.

De ominibus quæ fauſtum Lutheri ortum, opus reformationis & ruinam Antichriſti Romani præceſſerunt, vel concomitata ſunt.

SICVT ſunt fatales periodi Regnorum & rerumpublicarum, ſiquidem imperia & regna diuinitus conſtituuntur, cuſtodiuntur & mutantur, quaſi in certos quoſdam temporum articulos diſtributa, vt ſint euidentia prouidentiæ ac ſapientiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ diuinæ argumenta ac teſtimonia, vnde cogantur adſentiri mentes humanæ, quod neque confluant & naſcantur Imperia, vel colliſa inter ſeſe ruant & intereant, citius alias, alias ſerius, fortuito vel caſu vel etiam humanis conſiliis & prudentia, ſed potius ſtatuant, quod diuinitus, ſiue colligantur, ſiue tolerentur & eneruentur rurſus ac velut manu tractantur in alienam poteſtatem: Ita certa periodus fuit etiam Tyrannidis Pontificiæ, quæ ingraueſcente nimium idololatria, Sophiſtica, auctiſque multis ſceleribus, libidinibus, tandem per fulgorem cœleſtis verbi diuinitus, Luthero fideles ſuas miniſtrante operas, repreſſa & exploſa eſt.

Nec tamen tanta ſtrages Antichriſti ominibus prægreſſis vel concomitantibus caruit, quibus partim lætis partim tragicis ſignificata fuit ruina tam enormis & pudendæ Tyrannidis, quæ multis retro ſeculis terribiliter

liter Ecclesiæ vere Catholicæ & orthodoxæ parietes presserat. Mundus enim administratur diuina prouidentia & vis quædam diuina continet vitam hominum, & consulit rebus humanis, & ab hac multa significari futura, & aliquid portendi, certum est, & consensu seculorum & vocis diuinæ testimonio suffragantibus, vt annotat Peucerus Diuinat. *pag.* 394.

Et quia Timor Domini requirit, vt eiusmodi signa & omina non ociosis, sed potius attentis contemplemur & obseruemus mentibus: breuiter recenseo in subsequentibus, prodigia & omina, quibus Deus & natura ruinam & confusionem Antichristi, & instaurationem genuini cultus per ministerium B. & Reuerendi patris Dn. D. Martini Lutheri feliciter & fideliter institutam & diuinitus promotam significauit, & toti Mundo manifestare voluit.

In Chronicis Carinthiæ recitat Philippus Theophrastus Paracelsus: Quod Fridericus Barbarossa Imperator in ducatu Carinthiæ ædificauerit templum, cui nomen ad Ingingam: Vt vero de miraculo quodam vobis dicam: Idem Barbarossa Magnus templum illud quibusdam statuis decorauit lapideis multifariis. Earum quædam (authore sine dubio docto quodam & futurorum, ac quod aliquando Ecclesia reformanda foret haud ignaro) repræsentauit Monachum cingulo præcinctum discooperto capite, vt Monachus consueuit esse: supra caput autem illius scriptum erat literis masculis sic, LVTERVS. Hoc tamen ex parte iniuria tempestatum & antiquitatis vix amplius agnosci potest, nisi oculis acute intuearis & diligenter lustres. Quid vero portendat, coniicere facile est cuilibet, & dicit idem Paracelsus. *Lutheri nomen & figura tempore Fr. Barbarossa Imperatoris.*

Ante aduentum Lutheri in curia Papæ vulgaris sermo Romæ fuit: Eremitam aliquem sub Leone Papa exoriturum, qui Papæ triplicem coronam infestaturus esset, & Papatum. Quod vaticinium de fratre Nicolao Heluetio, qui caput Papæ cum diademate triplici in sudo cœlo noctu vidit, intelligi potest: vel de Luthero, vt qui Augustiniani ordinis seu Eremita ordinis D. Augustini, vt communiter vocantur, fuerat, vt è Selneccero & Cyriaco Spangebergio liquet.

Qua ratione Sigismundus Imperator Religionis reformationem præuiderit, recitat Doctor Iacobus Scopperus in Chorographia sua historica his verbis. Sigismundus Imperator cum animaduerteret reformationem concilii Constantiensis in fumum abituram, valde animo dolebat: Et cum aliquando Possenii in Hungaria quietem caperet, apparuit ei in somnis *Sigism. Imperator.*

vir honestæ speciei, in habitu Sacerdotali, qui ei significabat, Papæ & Sacerdotum errores futuro tempore per doctos homines reuelatum iri, qui auxilio quorundam principum Ecclesiam iuxta Dei verbum reformaturi essent.

Iohannes Zyska Cum sub eodem Sigismundo Imperatore Papistæ maxime ex instinctu Romani Antichristi post combustum Iohannem Hussium & Hieronymum Pragensem Bohemis Hæreticis, vt vocabantur, bellum copioso & valido exercitu inferrent, & inter Papistas mentio fieret Bohemorum militaris præfecti fortissimi & intrepidi Herois Iohannis Zyskæ, tantus corripuit totum Romanum exercitum pauor gelidus & repentinus, vt ad fines Bohemiæ nondum viso hoste in fugam relapsus fuerit, cum iactura plurium præstantissimorum militum. Idem is Zyska iussit sibi post mortem detrahi pellem, & eadem classicum castrense integi vel insterni: futurum enim vt à sonitu istius classici & suæ pellis terror & pauor inuaderet hostes Bohemorum: quod etiam postea factum est, & experiẽtia docuit, quod non fuerit falsus augur prædictus iste Iohannes Zyska. Fusius hæc recitant Iohannes Auentinus in annalib. Boiorum, & Cyriacus Spangebergius in historia Pestilentiali, Sebastianus Francus in Cæs. Chronica. Dirum autem istud cõtra sensim ad ruinam inclinantis Papæ Antichristarchiam omen fuisse quis neget?

Imago Crucis Vinariæ in aere conspecta. Cum Anno Christi 1517. Theses D. Lutheri de indulgentiis primum in lucem prodiissent, inclyti hi tres Saxoniæ Principes: Fridericus, Item Iohannes, & huius filius Iohannes Fridericus, cum in nocte natiuitatis Christi Vinariæ ex Monasterio post mediam noctem iuissent cum multis ministris, super arce ibidem in sudo & sereno cœlo sanguinei coloris crucem conspexerunt, quæ lucide & proprie coruscabat. Quo Deus illis significare voluit, iam instare tempus, in quo sincera de cruce & merito Christi doctrina, contra incestam Papæ doctrinam, iterum sit prædicanda, ob quam Euangelicam prædicationem, Saxoniæ domus & tota pariter Germania persecutionem, crucem & calamitates sustentura sit. Hiobus Fincelius Parte 2. de Miraculis

Roma occupata. Triste Pontificio regno omen fuit, quod Imperator Carolus Quintus Anno Christi 1527. Romam vrbem occupauit & subegit. In cuius occupatione Papa in mole Hadriana circumcirca milite obsessus, multa inuitus audiuit scommata & dicteria. Milites etenim altissima sæpius voce exclamarunt ad atrium istud Pontificis: Lutherum faciemus Papam: Cuicunque hoc placuerit, eleuet manum suam: ilico prompti omnes exporrexerunt manus & clamitarunt: Lutherus Pontifex, Luthe-

Lutherus Pontifex, & cet. Quin etiam Cardinalium pileis ornarunt milites sua capita, longasque induerunt togas purpureas, & asinis insidentes hinc inde per vrbem solenniter grassati sunt, hisque ludibriis tempus fefellerunt, simulque bilem spectanti omnia ex palatio suo, Pontifici mouerunt. Adamus Reusnerus in historia de rebus gestis Fronspergiorum.

Anno Christi 1517. cum P. Leo decimus vltra triginta Cardinales crearet, à quibus ex pacto quinquaginta millia aureorum susceperit, facta est Romæ tempestas ingens, fulminis & tonitrui, quæ templum, in quo creati erant, percussit, atque imaginem Iesu pueruli è gremio Deiparæ & claues è manibus Petri excussit. Quod omen multi interpretabantur portendere ruinam sedis Romanæ, carminaque acerba scripserunt in eandem. Eodem anno, quo hæc sunt facta Martinus Lutherus Theologus summus veram fidem contra hipocrysin docere incepit, Papatusque deinceps paulatim corruere non desiit. Steph. Zegedin. in spec. Pontific. *pag.* 114. *Tempestas Romæ.*

Anno Domini 1521. quo Rhodum expugnabat Solymannus, in ipsis Christi natalibus, dum Leo decimus suum exiret conclaue, ad primam in aurora Missam celebrandam, subito post tergum eius tectum quoddam marmoreum, pulcerrime exstructum cecidit, ac multi ex satellitio eius inde perierunt. Hoc omine significauit Deus Papatum ob atrocia & nefanda in eo flagitia breui periturum. Idem ibidem. *Murus Romæ collapsus.*

Anno Christi 1496. Papasellus Romæ in Tyberi inuentus, & vitulus monachus Fribergi in Misnia natus est, de quo supra. Vide, si placet in scriptis Dn. Philippi & Lutheri prolixam explicationem super vtroque isto dirissimo omine. *Tom. 2. Ienens. fol. 286. prior. edit.* *Papasellus in Tiberi & Vitulus Monachus.*

Pessimum omen contra Papam fuit etiam prodigiosa multitudo Monachorum, quæ toti fere Romano Imperio, vt Erasmus loquitur, formidabilis fuit. Id quod suo etiam calculo Cardinalis Campegius comprobauit, alicui suorum amicorum dicens: Ominabar ego & sæpius cogitaui, tam immensam Monachorum multitudinem tandem Ecclesiæ magnum malum daturam, vt recitat Iacobus Scopperus in Chorographicis. *Maxima copia Monachorum.*

Sub initium reformatæ religionis monstrosos monachos ipsa Natura sic abominata est, vt patet in Monacho vitulo Fribergensi, & Papaſello Tyberino Romano: Seorsim dum Oceanus espuendo ad littora sequestrauit pisces Monachos habitu & vertice prorsus monastico, vt superius ex Peucero, & Gesnero patet. *Monachi Marini.*

Quin etiam spectra Monachorum eo tempore nonnunquam visa sunt, quod spiritus tenebrarum lucem Euangelii ferre non posset; exque his Ger- *Spectra Monachorum.*

maniæ locis aliorſum cum ſuis mancipiis recederet. Quo ſimul ſignificatum eſt iudificationes Monaſticas nunc ſuum ſortitas eſſe infamem finem.

Lux enim & fulgor cœleſtis veritatis abigit ſpiritus illos, qui ſuas res libenter in tenebris expediunt, accedente clara luce vmbræ & tenebræ euaneſcunt, quemadmodum olim naſcente filio Dei, & canone Apoſtolorum per omnia mundi climata percrebreſcente, Diabolica Ethnicorum & gentilium oracula obmutuerunt & euanuerunt.

Spirensia spectra.

Huc pertinent ſpectra Spirenſia Rhenum transuecta Monachos mentita, de quibus elegantiſſimam elegiam Georgius Sabinus ſcripſit, quam etiam ob leporem & piam explicationem D. Chytræus integre intexuit in hiſtoriam ſuam Auguſtanæ confeſſionis, quam publicauit Matthias Ritterus, Eccleſiaſtes Francofurdienſis ad Mœnum, Anno Chriſti 1578.

Satan tentat D. Lutherum.

Doctiſſimi Melanchtonis relatu auditum eſt, inquit Iohannes VVierus *lib.* 1. de præſtigiis Dæmonum *capit.* 17. *pagin.* 87. Lutheri ædes acceſſiſſe Monachum, & fores vehementer pulſitantem. Cui cum famulus aperiret, ac ſciſcitaretur quid vellet: num domi eſſet Lutherus, quærit Monachus.

Re cognita, Lutherus eum ingredi iubet, quod nullum multo tempore vidiſſet Monachum. Ingreſſus hic, habere ſe quoſdam errores Papiſticos ait, quorum nomine libenter cum ipſo conferret: Propoſuitque Syllogiſmos quibus haud difficulter à Luthero ſolutis, alios protulit explicatu minus faciles.

Vnde offenſus nonnihil Lutherus in hæc prorupit verba, Multum mihi faceſſis negocii: aliud etenim, quod iam agerem erat: ſimulque ſurgens, loci à Monacho propoſiti explicationem oſtendit, atque in eiuſmodi collatione manus Monachi, non eſſe auium vnguibus diſſimiles animaduertens, inquit Lutherus: ¡Tune is es? Auſculta! Sententia hæc aduerſus te pronunciata eſt: & mox locum in Geneſi commonſtrat: Semen mulieris conteret caput ſerpentis.

Quibus Lutherus ſubiecit, Nec cunctos tu degluties. Hoc dicto victus Dæmon indignabundus, ſecumque murmurans, abiit, eliſo crepitu non exiguo. Cuius ſuffimen tetri odoris dies aliquot redolebat Hypocau-

ſtum

ftum. Hæc ex ore Domini præceptoris Philippi VVietus loco dicto.

Anno Christi 1516. proximo ante confusas Tezelii impudentias & indulgentias. ditissimæ argentifodinæ in valle Ioachimica ad fines Bohemicas circa montes Sudetes repertæ sunt (vt annotat Iohannes Funccius *fol.* 167. Chronol.) ita vt Dominus Deus illi ditioni benedixerit in terrenis bonis, cui mox daturus erat benedictionem cœlestem, prædicatione Euangelii per ministerium D. D. Lutheri: Cuius domesticus & quotidianus auditor fuit etiam Iohannes Mathesius Rochlicensis Misnicus, qui sub Luthero & Melanchtone multiiugam eruditionem sibi comparauit, & tandem prorsus diuino nutu gubernatus in prædictam vallem Ioachimicam delatus, primum ludi literarii Magister, ac dein pastor Ecclesiæ fidelissimus ac vigilantissimus exstitit, cuius pietas & constantia eximia, cæteræque virtutes, admirabilis denique, ac pene diuina facundia & in docendo dexteritas singularis nunquam satis digne prædicari poterit: *Diuites fodinæ Metallicæ.*

Id quod Georgius Fabricius testatur de eo his versiculis.

Quidquid habet pulchri Germanica lingua nitoris
Ingenio cœpit comptius esse tuo.
Siue tuos euoluo libros, miramque Sareptam
Siue venustatis carmina tincta fauo:
Nectareum miror laticem-------&c.

Mathesii illius dictum Cabalisticum de repurgatione religionis, quæ etiam valli Ioachimicæ, in qua simul vberiores Metallicæ fodinæ inuentæ scaturire cœperant, tandem illuxit, hoc fuit: *Dicta Cabalistica Vaticinantia.*

eCCe fLorent VaLLes CVM euangeLIo.

Admirabile vaticinium de tempore & aduentu D. Lutheri, quo contra Antichristum Romanum scribere cœpit: in literis huius versiculi numerum anni repræsentantib. contineri, quod est apud Christi fideles admiratione

& notatu dignissimum. tIBI CherVBIn & seraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant. Aiunt pii viri incipiente Luthero contra Papam scribere, tum demum angelos, qui prius conticuisse videbantur, de integro in laudem iterum erupisse. Sepultum enim antea Christi meritum in lucem extulisse & veram hominum fidem in ea sola defigendam instaurasse.

Imago Papæ in fodinis Eislebianis inuenta.

Theodorus Zvvingerus Medicus Philosophus & Polyhistor clarissimus, Basiliensis olim Academiæ professor, in Theatro vitæ humanæ, *volum 4. lib.* 1. prodigii loco recenset, lapidem quendã Eislebii (quæ patria est D. D. Martini Lutheri) ex puteo effossum superiore ætate, qui Pontificis imaginem in throno sedentis & gemmam in dextro pollice accurate contemplantis habuerit. De hoc prodigio sic Cyriacus Spangebergius in Chronico Mansfeldico: Portentum est certissimum, quod Eislebii in comitatu Mansfeldensi, ex profundissima fodina facies quædam, illaborato cupro metallo concreta, Papam cum triplicato suo capitis diademate ad vnguem repræsentans, est effossa. Quæ sine dubio portendebat, iam tempus esse, quo Pontificum nequitia, quæ sub cœno meretricio latuerit hactenus, à quodam eius viciniæ ciue in clara luce sit prostituenda. Viderunt autem hoc ostentum D. Martinus Lutherus Philippus Melanchton, D. Ionas, D Cruciger, D. Basilius Monnerus & illustrissimus princeps Iohannes Fridericus Elector Saxoniæ. Hactenus ille.

Solertissimus & diligentissimus indagator & explicator rerum metallicarum Georgius Agricola, aliquoties, præsertim *lib.* 1. de ratione fossilium recenset: Naturæ industria effingi in venis metallicis subterraneis per aliquot orgyas absconditis, inprimis in lapide fissili imagines & formas variorum piscium, auratarum, percarum & similium, vt vsu & experientia compertum sit: Sed qui horum omnium necessario veram rationem à Natura adferre & adserere, vel etiam speciose probabilem possit, eum quis audire & videre gestiat. Etenim miraculum est stupendum & magnum, quod Natura ad significandam doctrinæ cœlestis repurgationem & explosionem superstitionum & idololatricorum cultuum Pseudochristi Romani, res diuinas, atque adeo veritatem ipsam in mutum simulachrum & lapides transtulerit, & fissilibus quasi typis aureis impresserit Baptismum Christi in Iordane, effigiem Christi, & similia, quæ aliquando Illustrem & generosum Dn. Albertum comitem Mansfeldium & M. Cyriacum Spangebergium aliis spectatum exhibuisse constat. Nec dubites Christiane lector, quin ipsa Natura rerum exhorreat & abominetur falsam doctrinam & mores Romani Baalis: Quid signet aliud annuli imaguncula, quem Papa

in

in dextro pollice contẽplatur, quam splendorẽ falsæ doctrinæ, corã iudicio humanæ rationis sic fulgentem? Sic quid signet imago Papæ triplici corona redimiti, & veste Põtificali aureis quasi filis contexta & purpurata amicti aliud, quã ꝙ cœlum & terra, imo viscera terra abscondita execrentur superbiã, luxum, arrogantiam & effœminatã mollitiem Papæ Romanistici? qui contra & præter omne ius tam diuinum quam humanum constituat se Dominum in cœlo super angelos, in terris super homines hominumque eminentes potestates, in inferno super Diabolos, tribuatque sibi potentiam cœlestem, terrestrem, infernalem, vel constituat se Dominum Asiæ, Africæ, Europæ? Sic certe apparet à comparatione, quam Papa nihil habeat commune cum Christo & Apostolis. Hi enim non se ipsos, sed Christum prædicant. Papa autem prædicat seipsum, suas glorias & potentias. Apostoli requirunt fidem in filium Dei; Papa autem requirit obedientiam in Sathanicas auaritiæ suæ leges & consuetudines, &c. Sicut autem illas imagines Natura in lucem edidit, ita gloria Christi & turpitudo Antichristi satis tum detecta est. Sed ad alia.

SECTIO QVINTA.

De natiuitate & iuuentute Lutheri.

LOCVS qui nascentem excepit Lutherum, est oppidum Eislebiense, Cheruscorum, ad fauces iugi Hercinii in vetusto comitatu generosorum & illustrium comitum Mansfeldensium, qui tractus propter conterminos in vniuersa Germania celebres comitatus, Svvartzburgensem, Regensteinium, Honsteinensem & Stolbergicum inprimis amœnus & situ percommodus est, Ecclesiis & Scholis pie & recte constitutis celebratissimus: ingeniis præterea, opibus, optimisque hominibus affluentissimus, amplus, cultus & bene fructuosus. Eislebia autem sic dicitur à ferro seu metallo, ac si dicas, Ferri taberna vel fodina: Eisen Leube: siquidem Metallum & æris copiam è terræ visceribus abundanter vicinæ fodinæ largiuntur, id quod aceruі scoriarum seu recrementorum isthic reliqui demonstrant. Vnde & Sarepta quædam Mansfeldica merito dici potest. *Eisleben.*

Licet vero locus & oppidum istud in vniuersa Germania celebre satis sit & commendatum, præcipuam tamen laudem & gloriam sibi vendicat eo nomine quod patrias ministrauerit cunas Martino Luthero, Theologo nimirum illi, qui Tyrannidem & Idolomaniam Pontificiam tam late dif-

Notissim.a laus Comitatus Mansfel. fusam, vt totum Orbem Christianum complecti videretur, fregit ac debilitauit, doctrinamque puram ex puris fontibus Israelis haustam, postliminio in lucem reuocauit, & per totam Germaniam, vicinaque regna aliquot, scriptis, concionibus, & coram Imperio vniuerso exterisque nationibus confessione aperta constantique propagauit. Si enim Athenarum laus summa fuit, quod Platonem aluisset: Sicilia Empedocle ciue suo lætata fuit: Si summa gloriæ parte collocarunt omnes illi, qui certatim vendicarunt ceu ciuem suum veterem & cæcum hominem & Poetam Homerum, siquidem Colophonii eum sibi arripuerunt; Chii suum esse iactarunt, Smyrnei suum gloriati sunt, Salaminii rursus suum sibi adsignarunt, adeo vt in tanto certamine Appion Grammaticus eum ab inferis reuocatū interrogare voluerit de Patria, Aeliano teste *lib.*13. de varia historia. Longe solidior gloriæ laus & splendor redundat in illustrem Comitatū Mansfeldicū, ob prognatum ex illo fortissimum Christi Athletam Doctorem Martinum Lutherum, qui spiritu Heliæ diuinitus armatus & animatus egit triumphum, & reportauit victoriam, omnibus Alexandri Magni, & Iulii Cæsaris similiumque triumphis anteponendum: longe etiam maiorem sapientiam è sacris literis erutam Germaniæ, imo toti Ecclesiæ Iesu Christi patefecit, quam vnquam Plato vel Empedocles & similes alii principes sapientum huius seculi, vnde & ob merita & eximia dona Lutheri patria eius & vniuersa Germania excellentius, & vberiore inclarescit gloria, quam olim Græcia & quæuis alia siue terra, siue regio, per suos sapientes quantumuis celeberrimos.

Non facile præ inuidia & fastu tolerant aliæ nationes talem Heroa Lutherum nimirum Antichristi domitorem è Germania ortum suum trahere: quid enim è Germania boni? dicere solent. vt etiam tumidi aselli Pharisæi excæcati aiebant aduersus Christum *Iohann.* 7. *versicul.* 52. Scrutare & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit. Recognoscunt hi nostro tempore se eminentissime doctos, quia sint Itali, quemadmodum scribit Christianus Francken Professor Philosophiæ in Cæsareo Iesuitarum Gymnasio Viennensi de disputatione, quæ aliquando intercesserit sibi cum Paulo quodam Campano Pragensis collegii Rectore, qui, cum nugas suas, Christiano illo Franckio eum pressius vrgente, non posset defendere, tandem proclamarit, se Italum esse: hocque nomine sapientem se intelligi voluerit, ad quam fastuosam & arrogantem vocem istius frigiduli disputatoris Campani Itali Franckius quæsierit ex eode, num & in Italia asini gignerentur? Vide epistolam illius Christiani Francken, ad Paulum

Flo-

Florenium, S. Theologiæ Doctorem & Professorem breui colloquio Iesuitico præfixam & editam Lipsiæ Anno 1580. Cum Antistheni quidam obiecisset, quod matrem haberet Phrygiam: Et Deorum, inquit, mater è Phrygia est. Ridiculum arbitrans cuiquam probro dari patriam, cum in damnatissimis regionibus nonnunquam nascantur omnium felicissima ingenia, Laert. *lib.6.cap.1.*

Quanquam quod in Martyribus laudat Basilius (concione de 40. Martyribus) id ego in Luthero etiam nostro iudicandum censeo: non eum vsque adeo solidam & integram laudem è patria terrestri, vbi in lucem est editus, sibi habuisse, sed potius ex ea, quam omnes pii sibi communem habent, nimirum Ecclesia Dei, quæ verissima est patria sanctorum, cuius ciuem & membrum esse maxima laus est. Patria (inquit Plato 5. de legibus) magis est amanda quam mater, quia est quiddam diuinum. Hoc dictum recte accommodatur ad Ecclesiam, quæ est mater nostra, & est quiddam diuinum. Mater quidem, quia nos natos in peccato & reos iræ Dei regenerat ex aqua & spiritu: & regenerat nos non ad hanc breuem & fugacem ac miseram vitam, sed ad æternam beatitudinem. Pro hoc materno officio debemus profecto gratitudinem Ecclesiæ matri. Deinde Ecclesia est quiddam diuinum, quia est templum Dei & Spiritus sancti & est columna veritatis, vt ait Paulus 1.*Tim.*3.*v.*15. *Vera Piorum patria.*

Natus est autem anno Christi 1483. die decimo Nouembris, pridie Martini Episcopi hora vndecima ante mediam noctem. Qui dies & annus maxime ominosus est. Nam eodem die Pugna Varnensis commissa fuerat, Anno nimirum Christi 1444. Ante Lutherum natum vero, Anno trigesimo nono, in qua pugna maximam Christiani acceperunt cladem ad Euxinum pontum & ad oppidum Varnense. Et quidem optimis conditionibus inter Turcam Amurathem & Ladislaum Regem Hungariæ induciæ factæ fuerant, verum Papa Eugenius miserat legatum suum cardinalem Iulium Cæsarinum & fœdus pacis & induciarum dissuadens autor extiterat rumpendi fœderis, ex illa antiqua Antichristi regula, Hæreticis non esse seruandam fidem. *Dies natalis D.M.L.* *Pugna Varnensis.* *Papa soluit pacta induciarum.*

Sic prælium acerrime commissum est, & in eodem occubuit ipse Hungarorum Rex Ladislaus vna cum Cardinale legato Pontificio, qui fuerat Regi author nomine Papæ discindendi fœderis. Eodem inquam die post hanc pugnam Anno nimirum trigesimo nono nascitur Martinus Lutherus in solatium totius veræ Ecclesiæ, vt pudefactionem fœdifragi Pontificis & Antichristi, qui per tot secula retro Ecclesiã sanctorum

tristissimis subinde cladibus affecerat, Imperatores Romanos non solum suis calcauerat pedibus, sed & Turcico Tyranno vendiderat & prodiderat, sicut Optimo Maximo Heroi Diuo Friderico Barbarossę tempore Hadriani Quarti & Alexandri tertii Pontificum magna cum iactura Christianitatis euenerat.

Hierony. Sauonar. a. Martyr. Anno eodem natiuitatis Lutheri Hieronymus Nicolai Sauonarola, Florentinus, Italus Dominicani ordinis Theologus, concionator eximius, sanctæ fidei & veritatis cœlestis radiis illustratus, ob adsertionem eiusdem, vna cum duobus sociis Syluestro Florentino & Dominico de Pisa, ordinis prædicatorii postulatu Papæ Alexandri sexti (qui fœda cloaca Sathanæ fuit) viuus primum laqueo destrangulatus, & deinde ardentibus pyræ flammis obiectus est, sic vsque plus quam Turcica & Gigantea rabies Romani Draconis pectus sub natalitia Lutheri aduersus veræ Ecclesiæ confessores obsederat.

Nicolaus Eremita. Eodem hoc anno Nicolaus Eremita Vndervvaldensis in Heluetia, vxore relicta, ex qua mares quinque & totidem fœmellas susceperat, in solitudinem sese contulit & in ea viginti & vnum annos sine cibo & potu vixit, vitæ sanctimonia insignis, vulgo der Bruder Claus von Vnderwalden: is in solitudine vidit hoc anno Lutheri natalitio, visionem nimirũ capitis Pontificii triplici diademate coronati, de cuius facie tres exirent gladii, & tres alii rursum in eandem tenderent, vt Dn. D. Nicolaus Selneccerus in historia de D. Luthero recitat ex Carolo Bouillo Veromanduo Philosopho & Mathematico. Quod ostentum procul dubio inmanem Antichristi Tyrannidem & grauissimas pœnas nunc tandem vltrici manu papatui inmittendas adumbrauit. Fusius hæc commemorat cum Bouillo, Iohannes Stumphius & Hospinianus.

Parentes Lutheri. PARENTIBVS natus est noster Lutherus, honestis & integerrimis, patre Iohanne Luthero & Margaretha, matre, fœmina laudibus pudicitiæ & pietatis honoratissima: quorum precibus mox die sequente proxima, quæ Martino Episcopo sacra erat per Baptismi fœdus & ἐπερώτημα Christo in templo Sancti Petri insertus & nomen Martini indeptus est. Pater eius Iohannes Luther oriundus fuit ex pago quodam, cuius nomen Mora, prope Schmalkaldium ad conterminos limites Thuringiæ Franciæ, & Hassiæ sito, qui domicilio suo Eislebium translato, ibidem in fodinis ærariis & lapidum fissilium officinis de labore manuum suarum honeste victitauit.

Elegantius Elegantissime & grauiter Dn. Senior Mathesius hæc attingit, I. concione de

ne de vita, rebus gestis & morte Dn. D. Martini Lutheri: Verba eius ad afficiendum lectoris animum subiicio: Gott wolte auß Japhets vnnd Thubals nachkommen / vnnd Teutschen Sarepthanern vnnd Bergleuten / seine Kirche am Ende der Welt refermiren / vnnd der Leviten vnnd Geistlichen vermengete Lehre vnnd Pagament durchs Feuwer oder Ofen gehen / vnnd wider Reine Plick treiben vnnd brennen lassen / wie die Propheten hievon reden vnnd weissagen. Darumb muste dieser geistliche Schmeltzer in einer ehrlichen Bergstadt von guten Bergleuten geboren vnnd vom löblichen Gesegnetem vnnd wolgewonnenem Berggut erzogen werden / & cæt. *verba Mathesii.*

Bene nasci præclarum est, & Aristoteles *libr.* 1. de animal. εὐγένειαν maxime deprædicat, & alias quasi felicitatis partem non infimam commemorare solet. Filius enim non raro gerit similitudinem patris, & habet domesticum exemplum sibi propositum, quod intueatur, & ad quod vitæ suæ rationes cogat & componat. Est etiam in iumentis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, & equis dignitatem adfert parentum generositas: & in maximas arbores excrescunt, quæ ex præstantissimis seminibus coalescunt. Quamquam autem non sic generis splendorem & claritatem extollimus, vt cum Iudæis deliremus, qui Abrahamum iactitare solent patrem, sed operibus & imitatione fidei & morum non exprimunt. *Honestum bene nasci.*

Nec consentimus in Græcorum gentilium amentiam, qui fastuosa affectabant familiæ & prosapiæ nomina titulosve, dum Cecropidæ, Pelopidæ, Alcmeones, Aeacidæ, Heroes, Heraclidæ, Semidei, Dij, Iouis, Solis & Lunæ filii dici voluerunt. Sicut nec commiscemus nos cum tumidis illis nostro tempore buccinatoribus, qui suos fuliginosos familiarum è quibus prognati sint, titulos, ampullatos clypeos & similes vendere solent fumos, ipsi interim parum ingenuis & generosis nobilitati motibus & moribus. Sed loquimur de felici εὐγενείᾳ sicut Christianos decet & par est, qui scimus nec ex semine nec ex voluntate viri, nec ex carne procreari Dei filios, sed dicimus, sæpe Deo sic volente contingere, vt ex bonis bonus fructus edatur: Sicuti ex Basilio patre & Sacerdote, & Emmelia matre pientissima Basilius Magnus & Sacerdos & pientissimus procreatus est: Ita ex Iohanne Luthero & Margaretha parentibus & piis & honestis, pium & honestum filium Martinum Lutherum prognatum adserimus, & quidem non sine Dei voluntate.

Contra verissimam hanc relationem de natiuitate & honestis parenti- *Impudentes*

Calumnia Papicolarũ in Lutheri parentes.

bus D. D. Martini Lutheri, ſcelerati aliquot Pontificis canes ſtrinxerunt ſtylum, & partim matrem, partim patrem Lutheri miſerrime lancinarunt, vt infelix nota ipſimet ſoboli Martino Luthero inureretur: quia ipſa calumniandi libidine Sathan nil agit aliud, quam vt fœdiſſime totam, quam è verbo DEI profeſſus eſt, Lutheri doctrinam conſpueret.

Ieſuita quidam ſuperioribus annis ad D. D. Saccum Theologum Magdeburgẽſem ſcripſiſſe & Lutheri matrem accuſaſſe, quod fuiſſet balneatrix quæ ex illegitimo concubitu peperiſſet filium iſtum Martinum Lutherum, legitur in poſtillis D. Sigf. Sacci in ſermone de Lutheri vocatione & eius rebus geſtis ſingulariter habito.

Sic recitat Iohannes VVierus Medicus Iuliacenſis & Philoſophus clariſſimus, *lib.* 3. de præſtigiis dæmonum, quod circa finem conciliabuli Tridentini Epiſcopus quidam in famoſo ſatis aliquo oppido, de ſuggeſtu Eccleſiaſtico palam recitauerit pro concione, Lutherum eſſe natum ex Dæmoniaco concubitu, quia Diabolus ſub ignota ſpecie mercatoris & artificis gemmarii venerit VVitebergam, & in diuerſorio multis muneribus & blanditiis in ſui conſuetudinem & concubitum pellexerit hoſpitis filiam, poſt quem concubitum Diabolus euanuerit, nec vſquam poſtea viſus ſit: puella vero intumuerit & enixa ſit puerulum, Lutherum, qui ex inſtinctu patris ſui Diaboli tantas in Chriſtiano orbe turbas dederit, quem turbatorem docti omnes VRSVM nominent, nec dignus recognoſcendus ſit, cuius nomen coram Eccleſia de cathedra nominetur.

Quin etiam quidam Theologiæ Papiſticæ Doctor, S. Fontainus Gallice conſcripſit hiſtoriam catholicam de ſtatu Religionis noſtro tempore: in qua inter cætera nugatur, probabilem eſſe opinionem literarum monumentis propagatam, Margaretam videlicet Lutheri matrem ex Diaboli concubitu concepiſſe, qui aliquoties ante cum ea fuiſſet congreſſus, quam Iohanni Luder matrimonii fœdere iungeretur, & cæter.

Sic nimirum ſcribunt & mentiuntur iſti nugarum inſtitores & Bæoticæ ſues, quæ libentius ſeſe volutant in turbido & cæcoſo errorum Papiſticorum oceano, quam vt ad limpidos Iſraelis fonticulos per Lutheri ſanctum miniſterium adduci ſe patiantur: Res profecto ſanguineis deploranda lachrymis: Perinde eſt enim, ac ſi elegantiſſimum Medicum te rectæ valetudini adſerere volentem in turbidum cœnum & fœdiſſimũ lutum proſternas, pugnis & calcibus impetas, & ſanitatem phrenetice à te

repellas. ô inauditam Antichristi inebriantis vino fornicationis adseclas & adoratores suos vim, robur & potentiam! ô superbe & ingrate Lucifer, quomodo de cœlo cecidisti! Sed audiamus, quid respondeant viri fideles, historicæ veritatis amantes, ad tantas vitilitigatorum istorum nænias, furias & debacchationes.

VVierus loco dicto sic respondet, & iudicat simul: Lutheri profectò doctrinam, inquiens, aliis veritatis machinis impugnare & conuellere oporteret, non eiusmodi figmentis, *Alioqui vulgus intelliget.* Hæc ille. *Dilutio istarum Papisticarum calumniarum.*

Audiamus Dn. præceptorem Philippum Melanchtonem, qui organon illud cœleste Lutherum penitius nouit, quam isti corui & Scarabæi Romanistici. Sic autem habent verba & Testimonium Melanchtonis. Vetus familia est, & late propagata mediocrium hominum cognomine Luther, in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium, parentes vero Martini Lutheri primum in oppido Eisleben, vbi Martinus Lutherus natus est, domicilium habuerunt. Deinde migrarunt in oppidum Mansfeldt, vbi pater Iohannes Lutherus etiam Magistratus officium gessit, & propter integritatem omnibus bonis viris carissimus fuit. In matre Margaretha coniuge Iohannis Lutheri, cum cæteræ erant virtutes honestæ matronæ conuenientes, tum vero præcipue lucebant in ea pudicitia, timor Dei & inuocatio, intuebanturque in eam cæteræ honestæ mulieres, vt in exemplar virtutum. Hæc vere pientissimus Dn. præceptor Philipp. Melanchton. *Testimonium Melanchthonis.*

Reuerendus vir M. Antonius Probus, pastor Ecclesiæ Eislebiensis ad S. Nicolaum per multos annos: in oratione de Luthero, quam impotenti nugatori Alberto Hungero opposuit, sic inter cætera: Quidam Lenonum spurii, inquit, Romano in fornice nati, indigni hominis vocabulo, absterso omni à vultu pudore, adeo frontem perfricuerunt, vt audacter & impudenter mentiri non vereantur, Lutherum ex fœdo & illegitimo concubitu originem traxisse: cum toti Germaniæ, & inprimis huic Mansfeldensi comitatui constet, eum legitimo coniugio, ex piis, honestis, sanctitate vitæ & morum commendatis, nec vllis manifestis criminibus obnoxiis parentibus natum. *Testimonium Antonii Probi.*

Sed quid à turpissimis & sceleratissimis Romani sterquilinii rasis & sempiternis infamiæ notis adspersis bestiis aliud nobis expectandum erat? Si mentiris, ait Chrysippus, etiam quod verum dicis, mentiris. Et mendaces hoc lucrari solent, vt cum vera dixerint, eis fides

tamen non habeatur. Increpet igitur te Dominus, Sathan, cum isto tuo turpi & aperto mendacio. Hæc Reuerendus & pius ille Eislebiensis Theologus.

Iuuentus Lutheri.

In iuuentute porro à parentibus pie educatus & per domesticam disciplinam ad omne virtutum genus adsuefactus est puerulus adhuc Lutherus. Et vt bonas addisceret literas in scholam primum patriam informandus traditus est: & vsus est pædagogo Doctore Georgio Aemilio Mansfeldensi Poeta, Mathematico & Theologo circa annum Christi 1493. qui charissimi patris instar pulsionem adhuc Martinum vlnis in Scholam Eisslebiensem gestauit. E patria adultior factus vna cum Iohanne Reineccio coætaneo, & in cursu studiorum æquali socio dimissus venit Magdeburgum in Saxoniam, quod ibi celebris Schola esset triuialis, præ cæteris Scholis Saxonicis Vrbicis: Fuit tum adolescens primum supergressus annum ætatis tertiodecimum, Anno Christi 1497.

Princeps Magdeburgi ostiatim mendicat.

Eodem hoc anno in claustris Nudipedum Monachorum Magdeburgi degit ex illustri quadam familia princeps, qui expiare volens peccata sua, persuasus sic à fratribus istis funigerulis siue mendicantibus per plateas stipem ostiatim collegit, pallore & macie fere enectus: is à Luthero, tum scholastico, tunc visus est non sine magna compassione, quod duos Franciscanos non onustos iuxta baiulantem optimum principem robustos & obesos cerneret incedere. Refertque D. Sigfridus Saccus, quod prædicti isti Monachi Magdeburgenses ciborum copiam, cui non sufficerent sæpe subtus in terram intra cœnobii muros defossam sepelierint, ne per ciuitatem innotesceret, nimium esse, quod quotidie istis deuoratoribus Monachis ostiatim daretur: Retulit mihi, inquit D. D. Saccus, qui per annos non paucos in cœnobio prænominatorum Monachorum vixit.

Lutherus in Schola Eisnacensi.

Cum vero adolescens Lutherus per annum vnum Magdeburgi studiis dedisset operam, de consilio parentum & aliorum ei bene consulentium est profectus in scholam Isenacensem Turingiæ, vbi susceptus est à cognata quadam sua hospitio: verum ex eleemosynis ostiatim hic conquisitis vixit, commoratusque est propter studium Grammatices, quæ istic solidius & dexterius nonnihil inculcabatur, per integrum quadriennium: & felices tamque celeres in rudimentis linguarum fecit progressus, vt breui temporis spacio vis eloquii & acerrimi ingenii in eo præ omnibus reliquis commilitibus splendere inceperit.

Papicola ex

Suggillant hic Papicolæ paupertatem Lutheri adolescentis ostiatim

stipem

ſtipem quærentis, & expetunt potius gloriam huius ſeculi, & purpuratum Antichriſti Romani ſplendorem, ſimileſque fumos & criſtas vanitatis humanæ, ſtemmatum, familiarum, & cæt. Verum vt Iuuenalis habet Satyr. 8. *probrant noſtru Eccleſiu Lutheri paupertatem.*

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice claro
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos?

Nam (vt Seneca in Herc. furente) Qui genus laudat ſuum, aliena laudat: Doctrina ſed vim promouet inſitam, Rectique cultus pectora roborant, ſicut Horat.*lib.4.od.4.* habet.

Recte dicit Salomon:*prouerb.19.verſicul.* 1 Melior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quam qui praua labia habet & ſtultus eſt, vel diues in prauis itineribus ſuis *cap.* 28. *ibid. verſicul.* 6. Nec in finem obliuio erit pauperis apud Deum (*Pſalm 9.verſicul.*13.) Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in ſalutari tuo. Nouit enim Dominus (*Pſalm.37.verſicul.*18.) dies iuſtorum, propterea non confundentur tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.

Paupertas Luthero adoleſcenti fuit calcar ad pietatem & diligentiam, & adſiduitatem in precum exercitio & ſtudiorum curriculo. Sicut Beatus Auguſtinus ſuper *Pſalm.*76. Omnis Philoſophiæ, inquit, nobis magiſtra eſt paupertas. Non ita laudamus Ioſeph, quum frumentum diſtribuebat, ſicut cum carcerem inhabitabat. Adſtipulatur S. Auguſtino Poeta Venuſinus, qui de ſe ipſo dicit:

Et laris & fundi paupertas impulit audax
Vt verſus facerem. *lib.2.Epiſt. ad Flor.*]

Idem Luthero adoleſcenti accidit, Nam durum hoc paupertatis onus, ſtimulus illi fuit, ſummo annitendi ſtudio, vt in literis ac pietate indies proficeret.

Sic alias comparatum eſſe, docet commentarius experientiæ, vt difficulter virtutes ac artes veneretur, qui ſecundis ſemper fertur velis & ventis. Plurimis ſiquidem (vt Seneca epiſt. 17. ait) ad eruditonem aditum *Notentur ſolatia contra paupertatem.*

præcludunt diuitiæ, vsque adeo, vt si animo vacare velis, vel pauperem, vel pauperi similem te esse oporteat. Quare vt Chrysostomus 15 super Epist. ad Ebræos ait: Si te quoque paupertatis caminus excoquit, noli despondere animum. Hæc enim tibi est manuductrix ad virtutem, est vnctio Athletica ad labores, est exercitatio ad doctrinam: est portus denique tranquillus ad gloriam.

Exceptio contra ignauos pauperes.

Nec tamen hoc patrocinatur ignauis ventribus mendicantium Monachorum & similium stellionum & vagabundorum erronum, quibus spõte suscepta inopia non est stimulus & incitamentum ad virtutem & pietatem, sed potius argumentum nequitiæ & ignauiæ, vt non immerito ille apud Plaut. dixerit in Rudente. Nimis homo nihil est, qui piger est. Nimisque id genus odi ego male! Dei omnipotentis præceptum est & voluntas, vt in sudore vultus tui vescaris pane *Genes. 3. versicul.* 19. Et labores manuum tuarum manduces, *Psalm. 127. versicul.* 2. Quod ipsum etiam in bene constitutis Rebuspub. diligenter vrgetur. Apud Argos lege constitutum erat, vt qui videret desidiosum aliquem per vrbem vagari, & stipem mendicando quærere, illius nomen ocius ad Magistrum, qui loco censoris erat, deferret: & rationem, vnde victum quæreret, quidque artificii tractaret, reddere cogeret. Sic lex Sardoa in huiusmodi ignauos circumcelliones pœnas ignauiæ satis acres olim definiuit, & vnum quemque laborum, victus totiusque vitæ rationem reddere coegit, vt est apud Alexand. ab Alexand. *lib. 3. genial cap. 3.*

Solatium pro pauperibus Scholasticis.

Pauperes Scholastici saltem, quoties tenui nonnunquam quadra vel eleemosynis victitare coguntur, exemplum pauperis adolescentis Lutheri, viui & vberrimi solatii plenum sibi præfigant, nec despondeant animum, propter difficultates, quib. quasi impedita & salebrosa est via & aditus ad gloriam & lucem scientiarum, linguarum & artium: Sed reminiscantur, quod Deus in altis habitans humilia respiciat in cœlis & in terra, suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus *Psalm. 112. v. 7.*

Es gehöret zu einem Schuler Patientia. Reicher Leute Kinder lernen selten etwas: sie können nichts leiden: Armer Leute Kinder/ die sich der partecken versucht haben / als D. Luther zu Eysenach/ vnnd Philippus/ der nach Eyern gesungen/ &c. Wie dann etwere Kirchen vnnd Schuldiener deß meistentheils nach brodt gesungen / vnnd auß Elisæ Topff mit Kraut erzogen seyndt: Die dienen trewlich: was so zärtlich erzogen / beim Butter Töpfflein vnnd mit Wein vnd Bier / das dienet vnfleissig vnnd vnwillig / wil Sammat tragen/ zum Bier gehen/ guter gesell seyn/ das seind böse Kinder / Schul

vnnd

vnnd Kirchendiener / wann man zumal das Kärtlein darzu kennet / &cæt. verba sunt Dn. Senioris Mathesii in Postillis Propheticis Lipsiæ impressis Anno 1588. apud Iohann. Beier Dominica Quasi modo geniti *pagin.* 130, *fac.* 2.

SECTIO SEXTA.

De Luthero Academico & Monacho Erphordiensi.

NATVS annos viginti, relicta Schola Eisnacensi, adolescens Lutherus, non rus olens, quod aiunt, sed ad maiora adspirans, concessit in vicinam Academiam Erphordiensem, idque suasu parentum & amicorum, qui id vnice suaserunt, quo nimirum illud ad literas natū & factum ingeniū in florentissima & ciuitate, & Academia omnium Musarū sede & arce magis excoleretur. Nec res hæc felicibus caruit auspiciis & successibus: Lutherus alacriter studia Academiæ adgressus, sic vsque à meta studiorum hactenus triuialium progressus est, vt in altioribus istis æquales suos facile præcurreret. Nam ingenio ita acuto, memoria adeo præclara, industria tam indefessa, quæcunque prælegerentur & per disputationum congressus disquirerentur auide hausit & cognouit, nihilque neglexit quod esset alicuius momenti & reconditioris in literatura omnigena elegantiæ & pulchritudinis. Præterea mores in eo splenduerunt probi & modesti, vultus non toruus, sed constantiæ argumentum præ se ferens, gestus concinnus & compositus: bonis extitit omnino charus & iucundus, nemini exosus & molestus, ita vt non solum in hisce primitiis negociosi ocii Academici odor quidam nascentis virtutis, constantiæ, pietatis candoris & erga veritatem inuicti roboris statim in eo fragraret, sed & anno ætatis vigesimo secundo laboris veluti præmium debitum, gradum in Philosophia Magisterii summo cum adplausu & adsensu totius Academiæ consecutus sit.

Academia Erphordiana.

Mores Lutheri in Academia.

Magister Martinus Lutherus.

Dehinc Monasticam vitam complexus in monasterium Eremitarum Beati patris Augustini sese abdidit: Qua occasione & intentione id factum sit, recitat Selneccerus ex Matthesio, quod nimirum quidam suorum commilitonum miserabiliter confossus interierit: & insuper intempesto & horrisono aliquando fulmine iuuenis studiosus Lutherus terrefactus fuerit, vnde in seria cōtemplatione iræ diuinæ & rigidi extremi iudicii idē Lutherus votum fecerit, semet Augustinianis Eremitis adsociaturū, Deum

Lutherus Monachus & tentatus.

missaticis sacris placaturum, & vitam æternam bonis operibus & satisfactionibus promeriturum: sicut talis deuotorum hominum eo tempore opinio & intentio præcipue fuit.

Lutherus Papista sed studiosus Bibliorum Lector. Sic Lutherus non præ ignauia, ruditate, vel paupertate, sed studio pietatis Monachus Erphordiensis factus, adsiduæ lectioni Bibliorum se totum addixit, vtpote quæ antea nunquam vel viderat, vel legerat, vnice id in votis habuit, vt sibi eo vsque saltem vita prolongaretur, donec istud volumen Latinorum Bibliorum perlegisset, quo facto, se promptum esse mundo valedicere & mori. Sic didicit ex ipsis fontibus sacrarum literarum doctrinam sacrā Ecclesiæ, & simul summa disciplinæ seueritudine se ipsum rexit, & omnibus exercitiis lectionum, ieiuniorum & precum omnes reliquos in cœnobio fratres superauit. Hactenus etiam diligentissime Sententiarios, vt vocantur, legerat, & in disputationibus publicis labyrinthos aliis inexplicabiles diserte multis admirantibus multoties explicauerat. Accedente vero tunc lectione Bibliorum, sorduerunt illi scripta absurdorum Scholasticorum, vtpote in quibus non loqueretur Spiritus Sanctus, sed potius speculationes ociosorum ingeniorum, non raro absurdissima barbaries: Contra vero S. Biblia propinarent solidum pietatis nutrimentum, lac & vitam vere viuam.

Melanchton. Quam serio & deuote Lutherus sese diuinis meditationibus exercere solitus sit, recitat D. Melanchton dilectus Germaniæ & communis præceptor, vbi sic in eius vita ait: Sæpius cogitantem (Lutherum) de ira Dei aut pœnarum exemplis, subito tanti terrores concutiebant, vt pene exanimaretur. Ac vidi ipse, cum in quadam doctrinæ disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocauit, vbi hanc sententiam crebro repetitam miscuit inuocationi: Conclusit omnes sub peccatum, vt omnium misereatur, &c.

Strigelius. Cum Dominus Lutherus adhuc esset Monachus (verba sunt Victorini Strigelii *lib.* 1. Hypomn. Dialect.) & incideret in lectionem Psalmi tricesimi primi, In te Domine speraui: in Iustitia tua libera me: Ac cogitaret, Psalmum loqui de iustitia actiua, ita huius dicti lectione consternatum fuisse, adfirmat, ac si fulmine esset ictus. Sic enim intellexit: In Iustitia scilicet actiua, qua iudicas & punis nocentes. sicut Iustitia tua puniuisti Pharaonem in mari rubro. Sed natiua & vera sententia dicti in Psalmo: Libera me in Iustitia tua, scilicet promissa in Euangelio, qua nos iustificas, imputando nobis alienam obedientiam & meritum, videlicet Christi. Hæc Iustitia nobis est grata & dulcis. de hac Paulus 2. *Cor.* 5. vt nos Iustitia essemus

mus Dei per eum, id est, vt essemus iusti & placentes Deo per Christum. Hæc Victorinus.

Et senis cuiusdam sermonibus, in eodem Augustiniano collegio Erphordiæ sæpe confirmatus tum fuit Lutherus, cui consternationes, pauores & tentationes suas circa articulum de iustificatione & remissione peccatorum gratuita recitauit: Senex iste fluctuantem deduxit ad Symbolum, quo dicitur: Credo remissionem peccatorum: simulque hunc articulum sic interpretatus est: Non solum in genere credendum esse aliquibus, vt Dauidi & Petro, &c. sed mandatum Dei esse, vt singuli homines remitti sibi peccata firmiter credant: Adiecitque pro confirmatione testimonium Diui Bernhardi è concione de Annunciatione Mariæ, vbi hæc essent verba: Sed adde vt credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo dicens: Remissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hunc Lutherus pium senem multoties commendare solitus est, cuius nimirum ductu & viua consolatione ad lectionem & intellectum Diui Pauli Apostoli penetrarit, cum quo B. Augustini Psalmorum enarrationem & librum inprimis de Spiritu & litera contulerit, ac genuinam sanæ doctrinæ sententiam de victima Christo, eiusdem meritis, morte & expiatione, de gratuita hominis peccatoris iustificatione per fidem in Christum optatissime perspexit, ita vt aliquoties ingemiscendo deuote in hæc verba eruperit: ô beata culpa, quæ talem meruisti redemptorem.

Senex Monachus Erphordianus.

Nec tamen prorsus reliquit, inquit Dn. Melanchton Sententiarios, Gabrielem & Cameracensem pene ad verbum memoriter recitare poterat, diu multumque legit scripta Guilielmi Occam, cuius acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat. Sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat & optime meminerat.

Lutherus in Patrum & Scholasticorum scriptis exquisite versatus.

Commoratus est autem in isto collegio Augustiniano Erphordiæ per integrum quadriennium, nec tamen sine maximis quas perpessus est molestiis. Nam Monachi reliqui animaduertentes diuinum huius iuuenis fratris ingenium & heroicos motus cœperunt aduersus eum inuidiæ pruritu luere: imposuerunt illi ceu nouitio vulgares & sordidos labores, vtpote expurgationem contignationum, templi custodiam, horologii directionem: & vt à lectione Bibliorum eum abstraherent, iniunxerunt ei non raro lectionem Sophisticorum scriptorculorum: vel emiserunt eum mendicatum per ciuitatem cum sacco Monastico, vt colligeret panes, frumentum, oua, pisces, carnes, pecunias: Dixerunt enim isti ventres & Somatô-

Monachi: vitam Monasticam non studiis priuatis, sed potius mendicando & conquisitionibus huiusmodi quotidianis augeri. Academia tamen Erphordiensis pro ciue & membro suo Luthero intercedendo obtinuit, vt istis sordidioribus occupationibus subleuaretur, & studiis Theologicis immorari posset.

Monastica hodierna vita non amplius qua olim.

Sic vsque nostro seculo cœnobia degenerarunt à pristino suo nitore, laude & vigore. Olim in Monasticis secessibus regnauit professio Theologica, frugalitas, vigilantia, precatio, ieiunia, castigatio carnis, mortificatio veteris Adami & perpetuum pœnitentiæ salutaris exercitium: nec vacuefactis nidulis emptæ sunt hæ fraternitates, vt nunc fit, sed sponte motu pietatis & amoris erga studia Theologica talia fiebant vota, quemadmodum eadem hac intentione Magister Martinus Lutherus ad illud genus vitæ inductus fuit, sperans se hac ratione Deo placentem fore & sibi maiorem palæstram Deo inseruiendi patere: sed misere deceptus est: siquidem Missaticis abominationibus & profanis murmurationibus annos iuuentutis se detriuisse, postea lamentabiliter deplorauit sæpius, vt ex eius scriptis passim manifestum est.

Tritheimius de vita Monastica.

Adscribo ex Chronico Hirsaugiensi ad annum 1190. vbi Iohannes de Trithemio Abbas Spanheimensis, vir suo seculo clarissimus & doctissimus his verbis commentatur. Erat, inquit, his temporibus in Monasteriis hæc consuetudo celeberrima, vt Scholæ Monachorum in singulis pene cœnobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi qui non solum in scripturis diuinis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Geometria, Musica, Poesi & cæteris omnibus secularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant: Sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur. Et paulo post: Multi ex Monachis propter scientiam literarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sublimati sunt, qui ordinem suum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Hactenus ille.

Ex quibus intelligit quiuis, quod in Monasteriis antiquitus puram & humanis cogitationibus celsiorem vitam cœnobitæ egerint, nec vagati fuerint per populos, sed eloquia diuina addidicerint, eademq; meditantes ac docentes, ministerio Dei dicauerint, eundemque pro communi salute adsidue inuocauerint. Sic celsissimus olim & potentissimus princeps Elector Heinricus Leo inprimis carũ sibi habuit Abbatem Sanct-Aegidianum intra muros Brunsuicenses, nomine Heinricum patria Belgam Bruxellensem,

Abbas Brunsuiga Egidianus.

ſem, virum religione & pietate, literis & omnigena eruditione præſtantem, quem adſociauit ſibi etiam in itinere Hieroſolymitano, circa Annum Chriſti 1171. & religioſiſſime cum Sultano Turcarum Principe & eius ſacerdotibus de perſona & diuinitate Spiritus ſancti Turcis extreme exoſa differentem audiuit, ſicut commemorat Albertus Crantzius in Saxon. *lib.6.capitibus* 29.*&* 30.& aliquot ſequentibus.

Sic primi & priſci illi in Germania Epiſcopi fuerunt doctores & interpretes ſacrarum literarum, vnde nomen Cathedralibus templis adhuc remanet, quod ea ſupremam habeant Cathedram, ex qua vna cum Epiſcopo totius docentium ac diſcentium collegii inſpectore ac gubernatore, reliqui etiam Canonici, ſiue ſacræ ſcripturæ canonicæ profeſſores Theologiam aliaſque artes & linguas docebant, & iuniores ad miniſterium verbi in Eccleſia & alia officia, tam Eccleſiæ quam Reipublicæ neceſſaria, recte obeunda præparabant & excolebant, id quod repræſentant adhuc in cathedralibus templis nomina & tituli, Decani, Præpoſiti, Scholaſtici, Cantoris, Coadiutoris, Cuſtodis, &cæt. Conſtat etiam, quod Diuus Heinricus ſecundus huius nominis Romanorum imperator Otthonis Magni nepos, princeps Bauariæ, fundator templi Cathedralis Bambergenſis, iuuentutem ſuam contriuerit in Collegio Hildesheimenſi, quod circa annum Chriſti 1000. quoad ſtudium Sacroſanctæ Theologiæ & humaniorum artium & linguarum cum primis in orbe Chriſtiano celebre fuit. *Nomina nunc remanent vetus antiquæ receſſit.*

Condonet mihi beneuolus lector quod hanc παρέκβασιν fuſius nonnihil quam par erat, interſero: fit hoc ideo vt lectoris animus perpendat, quæ religio & pietas quoque Lutherum in iuuentute compulerit ad vitæ genus Monaſticum, nimirum vt coleret frugalitatem, vigilantiam, ſtudium precationis ardentis, ieiunia & exercitium pœnitentiæ, & hæc omnia coniungeret cum adſidua lectione ſacrarum literarum & meditatione rerum cœleſtium. Verum optimus & doctiſſimus iuuenis expertus fuit ſtatim in hac iuuentute ſua, nihil antiquæ deuotionis & diſciplinæ amplius in iſtis clauſtris reſtare: Sed priſcam iſtam ſanctimoniam refrixiſſe & omnia pene ſuis mendis hypocriſi & corruptelis ſcatere & intolerabiliter fœtere.

Et notatu dignum eſt, quod initio pater Lutheri huic voto Monaſtico filii ſui, cum propterea Erphordiam veniſſet, palam contradixerit, & filium qui pauorem & metum ſuum, præ quo votum feciſſet, prætēdebat, ſic alloqu- *Inuito parente Lutherus Monachus factus.*

tus

tus fuerit: vide, ne metus & terror tuus sit Diabolica illusio: cum certum sit, Deum velle, vt liberi parentibus suis obediant, eorumque consiliis vtantur, illisque sese subiiciant. Quibus verbis adeo perculsum & fractum fuisse animum suum fatetur Lutherus, vt donec tandem Monastica cuculla liberaretur, quod post multos demum annos factum est, scrupulum istum animo eiicere non potuerit, vt D. Selneccerus commemorat. Deprecatus est etiam apud parentem hanc inobedientiam suam, quod ipso inuito Monasticum fecisset & iniisset votum, vt patet ex epistola ad Iohannem Lutherum patrem suum scripta, quæ præfixa est libello de votis Monasticis.

SECTIO SEPTIMA.

De vocatione VVitebergensi prorsus legitima, & Doctoratu Martini Lutheri.

QVo anno Magister Martinus Lutherus VVitebergam venerit, & professionem isthic Theologicam apprehenderit, hoc Eteosticho exprimit Iohann. Stolsius

Mittitur Albiorin Christo auxiliante Lutherus,
Quantus erat vates! Gloria quanta Scholæ?

HOc est: Anno Christi 1508. ætatis vero suæ anno vigesimo sexto currente. Equidem Elector Saxoniæ, Fridericus Sapiens, ante sexennium in oppido, vt supra commemoratum est, VViteberga Academiam plantauerat, quæ vt ad optatam nominis & famæ celebritatem & gloriam adscenderet, nulli parsum est operæ & diligentiæ in conquirendis excellentioribus & celebrioribus in omni literaturæ genere doctoribus. Claruit eo tempore præstantissimus vir Dn. Doctor Iohannes Staupitius cœnobiorum Augustinianorum in Misnia & Thuringia inspector & generalis per Germaniam Ephorus: Is M. Lutherum præclaris donis, Pietatis Zelo, diligentia indefessa, eruditione solida, eloquentia singulari, iudicio maturo & ingenio solerti instructum nouerat, sapientissimo ita & serenissimo principi Electori Friderico & Ecclesiæ VVitebergensi suggessit è re totius Electoratus Academiæ & Ecclesiæ futurum, si Monachus iste Lutherus Erphordia VVitebergam euocaretur ad munus Theologicum in Ecclesia & Schola obeundum; hominem enim illi moli, per Dei gratiam, esse parem.

Staupitius promotor Lutheri.

Vocatus

Vocatus ita est Lutherus, nihil tale cogitans ex improuiso, per literas, & Sapientissimi Electoris, & Reipub. VVitebergensis, sicut ipse ex Pathmo suo ad Ecclesiam scribens tangit, se à Republ. VVitebergensi quoque legitime vocatum esse multis precibus & gemitibus. *Tom. 9. VVitebergen. fol.* 104. Sicut idipsum luculenter iisdem ferme verbis testatur in scripto suo ad Canonicos. Vocationi legitimæ Lutherus in timore Domini paruit, & nihil cunctatus VVitebergā è Thuringia transiit, qua de re, & subito discessu suo ipse ad Iohannem Braunium pastorem Eisenacensem sic scribit: Tam fuit subitaneus meus discessus, vt pene meos familiares lateret. Sum itaque nunc iubente vel permittente Deo VVitebergæ. Quod si statum meum desideras, bene habeo, Dei gratia, &c. Pie & grauiter obiuit Lutherus opera & labores functionis, quæque antea inter tentationum & meditationum conflictus in monasterio ex S. Bibliis de sacrificio mortis Christi, de gratuita remissione peccatorum per solam fidem in merita & vulnera Christi fundatam didicerat, ea sedulo VVitebergæ propagare cœpit. Publice legens in Academia omnia ad canonem S. literarum, ceu ad obrussam, vt Cicero loquitur, exegit, quo ipso simul absurda Scholasticorum, Thomæ, Gabrielis, Occam, Bonauenturæ, Scoti, Alberti & similium principia sic potenter quassauit & euertit, vt frustra aduersus eum congrederentur Sophistæ: Vnde etiam Martinus Polichius Mellerstadius, trium facultatum Doctor, eo tempore lux Mundi nominatus, in hæc verba ad quosdam suos collegas & auditores conuersus eruperit: Monachus iste omnium nostrorum doctorum doctor & reformator erit: experiemini: totam Ecclesiæ Romanæ faciem demutabit: innititur enim solis sacris literis, contra quas ne portæ inferorum consistent: nedum ratio humana, vel Sophistica, quæ veluti stipulæ consumetur & euanescet.

Insperata & legitima vocatio Lutheri.

D. Mellerstadius de Lutheri ingenio & sanctis laboribus.

Annos natus viginti nouem, post Christum vero Anno 1511. Romam profectus est Lutherus, sumptus ad iter necessarios suppeditante Serenissimo Electore Saxone: Controuersia enim quadam in re Augustinianos fratres VVitebergæ distraxerat, ad quam sopiendam Pontificis authoritatem requirendam putarunt. Lutherus ergo Romam profectus, vidit ibidem sanctissimum & beatissimum (scilicet) totius Ecclesiæ caput & sponsum: vidit Synagogæ & curiæ Romanæ mores Epicureos & Sodomiticos: vidit Sacrificiorum siue Missificorum proiectam profanitatem, impietatem & vanitatem extremam.

Lutherus proficiscitur Romam.

Lutherus sibi tacite gratulatus fuerat, quod Romam videre sibi nunc contigisset qui locus secundum vulgi opinionem maiorem sanctimoniam præ se ferret quam alii: Celebrauit etiam Missam cum magna deuotione,

pro aliquibus è sua cognatione, quos adhuc in purgatorio detineri opinabatur: Siquidem ex tenebris superstitionum Antichristi nondum vir Dei emerserat. Priusquam vero Lutherus vnam absolueret missam, alii iuxta eum in vicino altari, vt vocant, septem celebrarant, & sacris istis deproperatis ad Lutherum dixerunt: Tu nondum peregisti? quin properas: passa, passa i. e. festina: Cur tamdiu Christum in missificio detines? quin remittis virgini Mariæ Matri filium suum, &cæt. Didicit ita intelligere istud Mantuani:

Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cinadis
Seruit, honorata diuum Ganymedibus ædes.

Rebus suis ergo apud Papam transactis, non sine perturbatione & animi mœrore VVitebergam reuersus & de tanta impietate prolixe ad suos conquestus est, quam nunquam sibi, nisi vidisset ipsemet, persuadere potuisset. Gratulatus tamen sibi tandem est, quod Romam in fœda ista impietate & impuritate vidisset suismet oculis coram: Nam fuit hoc ei calcar postea, & incitamentum, vt fortius & animosius vniuersum Antichristi regnum impugnandum inuaderet.

Gradus Doctoris. Cæterum cum Roma ad suos labores & professionem rediisset, de sententia sapientissimi & serenissimi Domini Electoris Friderici & Academiæ oblatus est Magistro Martino Luthero gradus in Theologia Doctoris, Elector etiam liberaliter sumptus & impensas suppeditare voluit: Quod ipsum cum Staupitius Luthero denunciaret, primum honores istos serio recusauit, prætendens imbecillitatem corporis, & quod diuturna vita sibi non restaret: esse alios doctiores & donis excellentioribus dotatos, &c.

Staupitius festiuo vultu contra, Noli, inquit, frater mi Martine honores istos respuere: Honos iste tibi simul onus erit. Deus enim breui magna negocia in cœlo & in terra expediet, ad quæ etiam tua opera & fidelitate vtetur, sicut & aliorum doctorum virorum. Dixit hæc eo tempore Staupitius, nec sine spiritu Prophetico, quemadmodum euentus postea ad oculum posuit & euicit. Deo soli laus.

Huic ergo legitimæ vocationi & promotioni morigeratus Lutherus in Theologia gradum Doctoris Anno Christi 1512. die 18. Octobris qui Lucæ sacer est, adsumpsit, nec bona conscientia præfracte recalcitrare diu potuit:

tuit: tantum abest, vt ex ambitione tumida vel aliorum contemtu ad istam adspirarit dignitatem, sicuit multi Theologastri hoc in more habent positum, parum attendentes Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, sed potius priuatæ gloriæ aucupes & excubitores.

Auctus honoribus in Theologia supremis alacriter Lutherus perrexit in sua professione, & versit grauiter fontes sacratissimorum Bibliorum, prælegit etiam publice epistolam Pauli ad Romanos, ac repudiatis Scholasticorum spinis, vepretis & Meandris, è verbi Diuini limpidis scaturiginibus monstrauit, quid esset lex, peccatum, vires hominis non renati, iustitia legis & Euangelii, vera pœnitentia, &c.

E quibus omnibus ceu quotidianis eo tempore lectionibus, cuilibet non bardo iam tum apparere potuit, D. istum Lutherum spiritu sancto excitatum ad oppugnandum & refutandum errores Antichristi Romani.

Inprimis anno proximo ante turbas Tezelii proposuit publicam disputationem contra scholasticorum Theologorum sententiam, de libero arbitrio, in qua adserit hominem non renatum, vel spiritualiter iterum mortuum, non habere liberum arbitrium in rebus spiritualibus, legem perfecte impleri non posse, Christum esse nostram iustitiam: Et sanctos pro impetrando auxilio inuocandos non esse: voluntatem humanam absque diuina gratia tantum ad peccandum propensam, ideoque nec liberam esse. Scripsit de hac re postea ad Erasmum Roterodamum iustum volumen.

Hoc loco Papicolæ contentiose allatrant D. Lutheri vocationem: quæ sit prorsus secundum eorum sententiam irrita, vana, illegitima, quia non sit vocatus, rasus, vnctus, ordinatus per Episcopum vel Papam Romanum, penes quos solos sit potestas vocationis & ordinationis. *Calumnia papicolarum contra vocationem Lutheri.*

Vt pro conclusione huius sectionis halophantis his & Papæ aniteršariis aliquid respondeatur, & Lutheri viri Dei sancta vocatio & ordinatio ad oculum demonstretur: Primo quærimus iuste: Quis vocauerit & ordinauerit ipsosmet Papas & Episcopos, ad suas in Ecclesia adfectatas functiones vel dignitates? Nam vt taceam plurimos emisse Pontificiam sedem, alios vi & armis eã occupasse: rursus alios fraude, venenis & similib artib. sustulisse antecessores suos, vt istã dignitatẽ possiderẽt ipsi. Vicissim semel simulq; non raro duos tres vel plures antipapas eosdẽ honores scepti ũ personatáq; dignitatẽ adfectasse & iactasse, seq; inuicẽ ꝓscripsisse, excõmunicas *Resp. 1.*

se, deleuisse: horum vt totas farragines taceam: quis (saltem quæro) vocauit nequissimam meretriculam Iohannem Papissam Moguntinam? Si dicatis, Papicolæ, fabulam esse: An non ex Luitprando Ticinensi & quidem ex eius *libro 3. de Imp gest. capit.* 12. quod circa annum Christi 905. Marozia scortum Vrbis Romanæ nobile extulerit ad dignitatem Papalem cumprimis inexplebilis suæ libidinis sacrificulos, cuiuis notum & obuium? Negare non potestis, nisi adhibeant Iesuastri limam expurgatoriam. Sic Theodora istius Maroziæ mater itidem infamis meretrix elegit & ordinauit in solium Papale Iohannem Archiepiscopum Rauennatem, qui Iohannes Octauus nominatus fuit: Marozia vero vicissim hunc matris suæ Pamphilum sede sua deturbauit, substituto spurio suo Iohanne duodecimo, quem ex Sergio Papa eius nominis tertio superioribus annis ipsa conceperat.

Marozia Scortum Romæ.

Eadem ratione Mathilda comitissa Vrbanum Secundum ad sedem pontificiam euexit. Iohannes huius nominis 24. Papa semetipsum elegit ordinauitque ad istam dignitatem. Etenim armis plus quam religioni deditus ille miles profanus Bononiæ (vbi ad eligendum Pontificem conuenerant) legatus multa dira patribus comminatus fuit, nisi sibi gratum Pontificem eligerent. Ipsis quærentibus quem vellet: Date mihi, inquit, Petri chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro: quo accepto, ipse pallium suis humeris iniiciens: Ego, inquit, Papa sum. Et sic temerarius iste miles per summam & irreligiosam tum impudentiam tum impietatem semetipsum in Romanum Papam elegit, vocauit, & ordinauit, vt habet Bal. *lib.6.* in vita *Iohann.* 23. Eadem ratione Bonifacius octauus solium Papale conscendit Cœlestino prius per astutas fraudes inde deturbato: Damasus Secundus antecessoris sui Clementis cancellarius fuit, & ambitione accensus Dominum suum veneno sustulit, vt in sedem eius sese violenter & Sathanice intruderet, vt constat ex Platina, Balæo, & plurimis aliis. Summatim: quis putet hodie legitimam esse vocationem in illegitima Romanensium Ecclesia? Vbi colligunt non suffragia, sed pecunias & eligunt Episcopos: vbi non nisi astus, fastus, vis, fraus, argentum, stupra, Simonia sunt vsitatissima media ad istas adspirandi dignitates. Qua fronte & fiducia hi vultures, lupi & cinædi sibi vendicent ius examinandi alios circa formam vocationis, siquidem illi ipsi ceu lupi in vineam Domini violenter & fraudulenter, semetipsos ingesserunt & intruserunt, & idem in Ecclesia sunt, quod in vestibus tineæ, in horreis mures atque vermes in oletibus erucæ, locustæ, bruci, in metallis rubigo, aper in vinea, Catilina & Clodius in ciuitate. Ab his velis cupiasve vocari & ordinari vel examina-

ri ad ministerium verbi? Apage sis! quis non exspuat! proh enim scelus, proh mores!

Pro secundo quis tam sit tardi & bardi motus, qui vel manibus non palpet, Papam Romanum cum suis locustis, ranis & harpyis grande committere sacrilegium in eo, quod electionem & vocationem doctorum & ministrorum verbi eripuit Ecclesiæ. & ad se solum transtulit, prætendens penes Episcopos ad minimum esse vocare & ordinare confirmareque ministros verbi. Lutherum vero non ab Episcopo suam vocationem habere, sed à presbyteris & laicis saltem. Verum dum hunc Luthero nostro occinunt Papicolæ coccysmum, quid aliud faciunt, quam quod propriam inscitiam & ruditatem suam plenis decantant tibiis. Vbi enim in Euangelica historia vel Epistolis vel in actis Apostolorum Synodicis vnquam legerint, quod in primitiua Ecclesia, ad cuius ideam quam proxime fieri potest, sese Ecclesia hodierna accommodet, pium & necessarium est, hæc distinctio, quam Papicolæ inter Episcopos & presbyteros comminiscuntur obseruata, vel, vt deinceps obseruaretur instituta sit, vt si præco Euangelicus ab Episcopo ordinaretur, recognosceretur eius vocatio vel ordinatio rata, si vero à presbytero id fieret, haberetur coram Deo irrita & nullius valoris? Nuspiam hoc in vniuersis sacrarum literarum spaciis inuenerint: Sed potius constat quod discrimen istud inter Episcopum & presbyterum prorsus sit in se vanum: si quidem hi, qui titulo presbyterorum notantur *Actor.* 20. *versicul.* 17. *mox versiculo* 28, in exhortatione Apostoli dicantur Episcopi. Resp. 1.

Imo ipse Petrus (quem Papistæ omnino Papam & Episcopum Episcoporum fuisse clamose contendunt) se nuncupat presbyterum, quando scribit 1. *Epist.* 5. *vers.* 1. Presbyteros, qui inter vos sunt, precor ego συμπρεσβύτερος, &c. Sic palam est, iuxta Apostolorum Theologiam presbyteros esse Episcopos, & Episcopos vicissim presbyteros. Resp. 3.

Quod autem εὐταξίας ἕνεκα olim antequam Antichristus vires nimium præualescendo adquireret, constitutum fuerit, vt distingueretur presbyter ab Episcopo, & presbyter diceretur, qui vni præesset Ecclesiæ, Episcopus vero, qui totis Ecclesiis & visitationi presbyterorum multorum præesset: sane non diffitemur. Constat etenim hoc ipsum ex Concilio Niceno Can. 4. & 17. Chalcedonensi *capit.* 6. Sardiceno, Can. 13. & 21. Antiocheno Can. 10. Carthaginensi 4. Can. 2, & innumeris aliis: Præferimus tamen Conciliis, consuetudinem & libertatem vetustioris & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ potestatem ordinandi ministros verbi presbyteris & Episcopis indifferenter permisit, quod apertissime de Timotheo docet Apostolus, 1.

I 3 *Timoth.*

missaticis sacris placaturum, & vitam æternam bonis operibus & satisfa-ctionibus promeriturum: sicut talis deuotorum hominum eo tempore o-pinio & intentio præcipue fuit.

Lutherus Papista sed studiosus Bibliorum Lector. Sic Lutherus non præ ignauia, ruditate, vel paupertate, sed studio pietatis Monachus Erphordiensis factus, adsiduæ lectioni Bibliorum se totum addixit, vtpote quæ antea nunquam vel viderat, vel legerat, vnice id in votis habuit, vt sibi eo vsque saltem vita prolongaretur, donec istud volumen Latinorum Bibliorum perlegisset, quo facto, se promptum esse mundo valedicere & mori. Sic didicit ex ipsis fontibus sacrarum literarum doctrinam sacrã Ecclesiæ, & simul summa disciplinæ seueritudine se ipsum rexit, & omnibus exercitiis lectionum, ieiuniorum & precum omnes reliquos in cœnobio fratres superauit. Hactenus etiam diligentissime Sententiarios, vt vocantur, legerat, & in disputationibus publicis labyrinthos aliis inexplicabiles diserte multis admirantibus multoties explicauerat. Accedente vero tunc lectione Bibliorum, sorduerunt illi scripta absurdorum Scholasticorum, vtpote in quibus non loqueretur Spiritus Sanctus, sed potius speculationes ociosorum ingeniorum, non raro absurdissima barbaries: Contra vero S. Biblia propinarent solidum pietatis nutrimentum, lac & vitam vere viuam.

Melanchton. Quam serio & deuote Lutherus sese diuinis meditationibus exercere solitus sit, recitat D. Melanchton dilectus Germaniæ & communis præceptor, vbi sic in eius vita ait: Sæpius cogitantem (Lutherum) de ira Dei aut pœnarum exemplis, subito tanti terrores concutiebant, vt pene exanimaretur. Ac vidi ipse, cum in quadam doctrinæ disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocauit, vbi hanc sententiam crebro repetitam miscuit inuocationi: Conclusit omnes sub peccatum, vt omnium misereatur, &c.

Strigelius. Cum Dominus Lutherus adhuc esset Monachus (verba sunt Victorini Strigelii *lib.* 1. Hypomn. Dialect.) & incideret in lectionem Psalmi tricesimi primi, In te Domine speraui: in Iustitia tua libera me: Ac cogitaret, Psalmum loqui de iustitia actiua, ita huius dicti lectione consternatum fuisse, adfirmat, ac si fulmine esset ictus. Sic enim intellexit: In Iustitia scilicet actiua, qua iudicas & punis nocentes, sicut Iustitia tua punuisti Pharaonem in mari rubro. Sed natiua & vera sententia dicti in Psalmo: Libera me in Iustitia tua, scilicet promissa in Euangelio, qua nos iustificas, imputando nobis alienam obedientiam & meritum, videlicet Christi. Hæc Iustitia nobis est grata & dulcis. de hac Paulus 2. *Cor.* 5. vt nos Iustitia essemus.

mus Dei per eum, id est, vt essemus iusti & placentes Deo per Christum. Hæc Victorinus.

Et senis cuiusdam sermonibus, in eodem Augustiniano collegio Erphordiæ sæpe confirmatus tum fuit Lutherus, cui consternationes, pauores & tentationes suas circa articulum de iustificatione & remissione peccatorum gratuita recitauit: Senex iste fluctuantem deduxit ad Symbolum, quo dicitur: Credo remissionem peccatorum: simulque hunc articulum sic interpretatus est: Non solum in genere credendum esse aliquibus, vt Dauidi & Petro, &c. sed mandatum Dei esse, vt singuli homines remitti sibi peccata firmiter credant: Adiecitque pro confirmatione testimonium Diui Bernhardi è concione de Annunciatione Mariæ, vbi hæc essent verba: Sed adde vt credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo dicens: Remissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hunc Lutherus pium senem multoties commendare solitus est, cuius nimirum ductu & viua consolatione ad lectionem & intellectum Diui Pauli Apostoli penetrarit, cum quo B. Augustini Psalmorum enarrationem & librum inprimis de Spiritu & litera contulerit, ac genuinam sanæ doctrinæ sententiam de victima Christo, eiusdem meritis, morte & expiatione, de gratuita hominis peccatoris iustificatione per fidem in Christum optatissime perspexit, ita vt aliquoties ingemiscendo deuote in hæc verba eruperit: ô beata culpa, quæ talem meruisti redemptorem. *Senex Monachus Erphordianus.*

Nec tamen prorsus reliquit, inquit Dn. Melanchton Sententiarios, Gabrielem & Cameracensem pene ad verbum memoriter recitare poterat, diu multumque legit scripta Guilielmi Occam, cuius acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat. Sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat & optime meminerat. *Lutherus in Patrum & Scholasticorum scriptis exquisite versatus.*

Commoratus est autem in isto collegio Augustiniano Erphordiæ per integrum quadriennium, nec tamen sine maximis quas perpessus est molestiis. Nam Monachi reliqui animaduertentes diuinum huius iuuenis fratris ingenium & heroicos motus cœperunt aduersus eum inuidiæ prurito liuere: imposuerunt illi ceu nouitio vulgares & sordidos labores, vtpote expurgationem contignationum, templi custodiam, horologii directionem: & vt à lectione Bibliorum eum abstraherent, iniunxerunt ei non raro lectionem Sophisticorum scriptorculorum: vel emiserunt eum mendicatum per ciuitatem cum sacco Monastico, vt colligeret panes, frumentum, oua, pisces, carnes, pecunias: Dixerunt enim isti ventres & Somató-

Monachi: vitam Monasticam non studiis priuatis, sed potius mendicando & conquisitionibus huiusmodi quotidianis augeri. Academia tamen Erphordiensis pro ciue & membro suo Luthero intercedendo obtinuit, vt istis sordidioribus occupationibus subleuaretur, & studiis Theologicis immorari posset.

Monastica hodierna vita non amplius qua olim.

Sic vsque nostro seculo cœnobia degenerarunt à pristino suo nitore, laude & vigore. Olim in Monasticis secessibus regnauit professio Theologica, frugalitas, vigilantia, precatio, ieiunia, castigatio carnis, mortificatio veteris Adami & perpetuum pœnitentiæ salutaris exercitium: nec vacuefactis nidulis emptæ sunt hæ fraternitates, vt nunc fit, sed sponte motu pietatis & amoris erga studia Theologica talia fiebant vota, quemadmodum eadem hac intentione Magister Martinus Lutherus ad illud genus vitæ inductus fuit, sperans se hac ratione Deo placentem fore & sibi maiorem palæstram Deo inseruiendi patere: sed misere deceptus est: siquidem Missaticis abominationibus & profanis murmurationibus annos iuuentutis se detriuisse, postea lamentabiliter deplorauit sæpius, vt ex eius scriptis passim manifestum est.

Tritheimius de vita Monastica.

Adscribo ex Chronico Hirsaugiensi ad annum 1190. vbi Iohannes de Trithemio Abbas Spanheimensis, vir suo seculo clarissimus & doctissimus his verbis commentatur. Erat, inquit, his temporibus in Monasteriis hæc consuetudo celeberrima, vt Scholæ Monachorum in singulis pene cœnobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi qui non solum in scripturis diuinis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Geometria, Musica, Poesi & cæteris omnibus secularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant: Sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur. Et paulo post: Multi ex Monachis propter scientiam literarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sublimati sunt, qui ordinem suum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Hactenus ille.

Abbas Brunswiga Egidianum.

Ex quibus intelligit quiuis, quod in Monasteriis antiquitus puram & humanis cogitationibus celsiorem vitam cœnobitæ egerint, nec vagati fuerint per populos, sed eloquia diuina addidicerint, eademq; meditantes ac docentes, ministerio Dei dicauerint, eundemque pro communi salute adsidue inuocauerint. Sic celsissimus olim & potentissimus princeps Elector Heinricus Leo inprimis carũ sibi habuit Abbatem Sanct-Aegidianum intra muros Brunsuicenses, nomine Heinricum patria Belgam Bruxellensem,

sem, virum religione & pietate, literis & omnigena eruditione præstantem, quem adsociauit sibi etiam in itinere Hierosolymitano, circa Annum Christi 1172. & religiosissime cum Sultano Turcarum Principe & eius sacerdotibus de persona & diuinitate Spiritus sancti Turcis extreme exosa disserentem audiuit, sicut commemorat Albertus Crantzius in Saxon. *lib.6.capitibus* 29.*&* 30.& aliquot sequentibus.

Sic primi & prisci illi in Germania Episcopi fuerunt doctores & interpretes sacrarum literarum, vnde nomen Cathedralibus templis adhuc remanet, quod ea supremam habeant Cathedram, ex qua vna cum Episcopo totius docentium ac discentium collegii inspectore ac gubernatore, reliqui etiam Canonici, siue sacræ scripturæ canonicæ professores Theologiam aliasque artes & linguas docebant, & iuniores ad ministerium verbi in Ecclesia & alia officia, tam Ecclesiæ quam Reipublicæ necessaria, recte obeunda præparabant & excolebant, id quod repræsentant adhuc in cathedralibus templis nomina & tituli, Decani, Præpositi, Scholastici, Cantoris, Coadiutoris, Custodis, & cæt. Constat etiam, quod Diuus Heinricus secundus huius nominis Romanorum imperator Otthonis Magni nepos, princeps Bauariæ, fundator templi Cathedralis Bambergensis, iuuentutem suam contriuerit in Collegio Hildesheimensi, quod circa annum Christi 1000. quoad studium Sacrosanctæ Theologiæ & humaniorum artium & linguarum cum primis in orbe Christiano celebre fuit.

Nomina nunc remanent veteris antiquæ recessus.

Condonet mihi beneuolus lector quod hanc παρέκβασιν fusius nonnihil quam par erat, intersero: fit hoc ideo vt lectoris animus perpendat, quæ religio & pietas quoque Lutherum in iuuentute compulerit ad vitæ genus Monasticum, nimirum vt coleret frugalitatem, vigilantiam, studium precationis ardentis, ieiunia & exercitium pœnitentiæ, & hæc omnia coniungeret cum adsidua lectione sacrarum literarum & meditatione rerum cœlestium. Verum optimus & doctissimus iuuenis expertus fuit statim in hac iuuentute sua, nihil antiquæ deuotionis & disciplinæ amplius in istis claustris restare: Sed priscam istam sanctimoniam refrixisse & omnia pene suis mendis hypocrisi & corruptelis scatere & intolerabiliter fœtere.

Et notatu dignum est, quod initio pater Lutheri huic voto Monastico filii sui, cum propterea Erphordiam venisset, palam contradixerit, & filium qui pauorem & metum suum, præ quo votum fecisset, prætendebat, sic alloquutus

Inuito parente Lutherus Monachus factus.

tus fuerit: vide, ne metus & terror tuus sit Diabolica illusio: cum certum sit, Deum velle, vt liberi parentibus suis obediant, eorumque consiliis vtantur, illisque sese subiiciant. Quibus verbis adeo perculsum & fractum fuisse animum suum fatetur Lutherus, vt donec tandem Monastica cuculla liberaretur, quod post multos demum annos factum est, scrupulum istum animo eiicere non potuerit, vt D. Selneccerus commemorat. Deprecatus est etiam apud parentem hanc inobedientiam suam, quod ipso inuito Monasticum fecisset & iniisset votum, vt patet ex epistola ad Iohannem Lutherum patrem suum scripta, quæ præfixa est libello de votis Monasticis.

Sectio Septima.

De vocatione VVitebergensi prorsus legitima, & Doctoratu Martini Lutheri.

QVo anno Magister Martinus Lutherus VVitebergam venerit, & professionem isthic Theologicam apprehenderit, hoc Eteosticho exprimit Iohann. Stolsius

Mittitur Albiorin Christo auxiliante Lutherus,
Quantus erat vates! Gloria quanta Scholæ?

HOc est: Anno Christi 1508. ætatis vero suæ anno vigesimo sexto currente. Equidem Elector Saxoniæ, Fridericus Sapiens, ante sexennium in oppido, vt supra commemoratum est, VViteberga Academiam plantauerat, quæ vt ad optatam nominis & famæ celebritatem & gloriam adscenderet, nulli parsum est operæ & diligentiæ in conquirendis excellentioribus & celebrioribus in omni literaturæ genere doctoribus. Claruit eo tempore præstantissimus vir Dn. Doctor Iohannes Staupitius cœnobiorum Augustinianorum in Misnia & Thuringia inspector & generalis per Germaniam Ephorus: Is M. Lutherum præclaris donis, Pietatis Zelo, diligentia indefessa, eruditione solida, eloquentia singulari, iudicio maturo & ingenio solerti instructum nouerat, sapientissimo ita & serenissimo principi Electori Friderico & Ecclesiæ VVitebergensi suggessit è re totius Electoratus Academiæ & Ecclesiæ futurum, si Monachus iste Lutherus Erphordia VVitebergam euocaretur ad munus Theologicum in Ecclesia & Schola obeundum: hominem enim illi moli, per Dei gratiam, esse parem.

Staupitius primotor Lutheri.

Vocatus

Vocatus ita est Lutherus, nihil tale cogitans ex improuiso, per literas, & Sapientissimi Electoris, & Reipub. VVitebergensis, sicut ipse ex Pathmo sino ad Ecclesiam scribens tangit, se à Republ. VVitebergensi quoque legitime vocatum esse multis precibus & gemitibus. *Tom.* 9. VVitebergen. *fol.* 104. Sicut idipsum luculenter iisdem ferme verbis testatur in scripto suo ad Canonicos. Vocationi legitimæ Lutherus in timore Domini paruit, & nihil cunctatus VVitebergā è Thuringia transiit, qua de re, & subito discessu suo ipse ad Iohannem Braunium pastorem Eisenacensem sic scribit: Tam fuit subitaneus meus discessus, vt pene meos familiares lateret. Sum itaque nunc iubente vel permittente Deo VVitebergæ. Quod si statum meum desideras, bene habeo, Dei gratia, &c. Pie & grauiter obiuit Lutherus opera & labores functionis, quæque antea inter tentationum & meditationum conflictus in monasterio ex S. Bibliis de sacrificio mortis Christi, de gratuita remissione peccatorum per solam fidem in merita & vulnera Christi fundatam didicerat, ea sedulo VVitebergæ propagare cœpit. Publice legens in Academia omnia ad canonem S. literarum, ceu ad obrussam, vt Cicero loquitur, exegit, quo ipso simul absurda Scholasticorum, Thomæ, Gabrielis, Occam, Bonauenturæ, Scoti, Alberti & similium principia sic potenter quassauit & euertit, vt frustra aduersus eum congrederentur Sophistæ: Vnde etiam Martinus Polichius Mellerstadius, trium facultatum Doctor, eo tempore lux Mundi nominatus, in hæc verba ad quosdam suos collegas & auditores conuersus eruperit: Monachus iste omnium nostrorum doctorum doctor & reformator erit: experiemini: totam Ecclesiæ Romanæ faciem demutabit: innititur enim solis sacris literis, contra quas ne portæ inferorum consistent: nedum ratio humana, vel Sophistica, quæ veluti stipulæ consumetur & euanescet.

Insperata & legitima vocatio Lutheri.

D. Mellerstadius de Lutheri ingenio & sanctis laboribus.

Annos natus viginti nouem, post Christum vero Anno 1511. Romam profectus est Lutherus, sumptus ad iter necessarios suppeditante Serenissimo Electore Saxone: Controuersia enim quadam in re Augustinianos fratres VVitebergæ distraxerat, ad quam sopiendam Pontificis authoritatem requirendam putarunt. Lutherus ergo Romam profectus, vidit ibidem sanctissimum & beatissimum (scilicet) totius Ecclesiæ caput & sponsum: vidit Synagogæ & curiæ Romanæ mores Epicureos & Sodomiticos: vidit Sacrificiorum siue Missificorum proiectam profanitatem, impietatem & vanitatem extremam.

Lutherus proficiscitur Romam.

Lutherus sibi tacite gratulatus fuerat, quod Romam videre sibi nunc contigisset qui locus secundum vulgi opinionem maiorem sanctimoniam præ se ferret quam alii: Celebrauit etiam Missam cum magna deuotione,

pro aliquibus è sua cognatione, quos adhuc in purgatorio detineri opinabatur: Siquidem ex tenebris superstitionum Antichristi nondum vir Dei emerserat. Priusquam vero Lutherus vnam absolueret missam, alii iuxta eum in vicino altari, vt vocant, septem celebrarant, & sacris istis deproperatis ad Lutherum dixerunt: Tu nondum peregisti? quin properas: passa, passa i. e. festina: Cur tamdiu Christum in missificio detines? quin remittis virgini Mariæ Matri filium suum, &cæt. Didicit ita intelligere istud Mantuani:

Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cinædis
Seruit, honoratæ diuum Ganymedibus ædes.

Rebus suis ergo apud Papam transactis, non sine perturbatione & animi mœrore VVitebergam reuersus & de tanta impietate prolixe ad suos conquestus est, quam nunquam sibi, nisi vidisset ipsemet, persuadere potuisset. Gratulatus tamen sibi tandem est, quod Romam in fœda ista impietate & impuritate vidisset suismet oculis coram: Nam fuit hoc ei calcar postea, & incitamentum, vt fortius & animosius vniuersum Antichristi regnum impugnandum inuaderet.

Gradus Doctoris.

Cæterum cum Roma ad suos labores & professionem rediisset, de sententia sapientissimi & serenissimi Domini Electoris Friderici & Academiæ oblatus est Magistro Martino Luthero gradus in Theologia Doctoris, Elector etiam liberaliter sumptus & impensas suppeditare voluit: Quod ipsum cum Staupitius Luthero denunciaret, primum honores istos serio recusauit, prætendens imbecillitatem corporis, & quod diuturna vita sibi non restaret: esse alios doctiores & donis excellentioribus dotatos, &c.

Staupitius festiuo vultu contra, Noli, inquit, frater mi Martine honores istos respuere: Honos iste tibi simul onus erit. Deus enim breui magna negocia in cœlo & in terra expediet, ad quæ etiam tua opera & fidelitate vtetur, sicut & aliorum doctorum virorum. Dixit hæc eo tempore Staupitius, nec sine spiritu Prophetico, quemadmodum euentus postea ad oculum posuit & euicit. Deo soli laus.

Huic ergo legitimæ vocationi & promotioni morigeratus Lutherus in Theologia gradum Doctoris Anno Christi 1512 die 18. Octobris qui Lucæ sacer est, adsumpsit, nec bona conscientia præfracte recalcitare diu potuit.

tuit: tantum abest, vt ex ambitione tumida vel aliorum contemtu ad istam adspirarit dignitatem, sicuit multi Theologastri hoc in more habent positum, parum attendentes Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, sed potius priuatæ gloriæ aucupes & excubitores.

Auctus honoribus in Theologia supremis alacriter Lutherus perrexit in sua professione, & vrsit gnauiter fontes sacratissimorum Bibliorum, prælegit etiam publice epistolam Pauli ad Romanos, ac repudiatis Scholasticorum spinis, vepretis & Meandris, è verbi Diuini limpidis scaturiginibus monstrauit, quid esset lex, peccatum, vires hominis non renati, iustitia legis & Euangelii, vera pœnitentia, &c.

E quibus omnibus ceu quotidianis eo tempore lectionibus, cuilibet non bardo iam tum apparere potuit, D. istum Lutherum spiritu sancto excitatum ad oppugnandum & refutandum errores Antichristi Romani.

Inprimis anno proximo ante turbas Tezelii proposuit publicam disputationem contra scholasticorum Theologorum sententiam, de libero arbitrio, in qua adserit hominem non renatum, vel spiritualiter iterum mortuum, non habere liberum arbitrium in rebus spiritualibus, legem perfecte impleri non posse, Christum esse nostram iustitiam: Et sanctos pro impetrando auxilio inuocandos non esse: voluntatem humanam absque diuina gratia tantum ad peccandum propensam, ideoque nec liberam esse. Scripsit de hac re postea ad Erasmum Roterodamum iustum volumen.

Hoc loco Papicolæ contentiose allatrant D. Lutheri vocationem: quæ sit prorsus secundum eorum sententiam irrita, vana, illegitima, quia non sit vocatus, rasus, vnctus, ordinatus per Episcopum vel Papam Romanum, penes quos solos sit potestas vocationis & ordinationis. *Calumnia papicolarum contra vocationem Lutheri.*

Vt pro conclusione huius sectionis halophantis his & Papæ aniversariis aliquid respondeatur, & Lutheri viri Dei sancta vocatio & ordinatio ad oculum demonstretur: Primo quærimus iuste: Quis vocauerit & ordinauerit ipsosmet Papas & Episcopos, ad suas in Ecclesia adfectatas functiones vel dignitates? Nam vt taceam plurimos emisse Pontificiam sedem, alios vi & armis eã occupasse: rursus alios fraude, venenis & similib. artib. sustulisse antecessores suos, vt istã dignitatẽ possiderẽt ipsi. Vicissim semel simulq; non raro duos tres vel plures antipapas eosdẽ honores sceptrũ personatáq; dignitatẽ adfectasse & iactasse, seq; inuicẽ ꝓscripsisse, excõmunicas- *Resp. 1.*

ri ad ministerium verbi? Apage sis! quis non exspuat! proh enim scelus, proh mores!

Pro secundo quis tam sit tardi & bardi motus, qui vel manibus non palpet, Papam Romanum cum suis locustis, ranis & harpyis grande committere sacrilegium in eo, quod electionem & vocationem doctorum & ministrorum verbi eripuit Ecclesiæ. & ad se solum transtulit, prætendens penes Episcopos ad minimum esse vocare & ordinare confirmareque ministros verbi. Lutherum vero non ab Episcopo suam vocationem habere, sed à presbyteris & laicis saltem. Verum dum hunc Luthero nostro occinunt Papicolæ coccysmum, quid aliud faciunt, quam quod propriam inscitiam & ruditatem suam plenis decantant tibiis. Vbi enim in Euangelica historia vel Epistolis vel in actis Apostolorum Synodicis vnquam legerint, quod in primitiua Ecclesia, ad cuius ideam quam proxime fieri potest, sese Ecclesia hodierna accommodet, pium & necessarium est, hæc distinctio, quam Papicolæ inter Episcopos & presbyteros comminiscuntur obseruata, vel, vt deinceps obseruaretur instituta sit, vt si præco Euangelicus ab Episcopo ordinaretur, recognosceretur eius vocatio vel ordinatio rata, si vero à presbytero id fieret, haberetur coram Deo irrita & nullius valoris? Nusquam hoc in vniuersis sacrarum literarum spaciis inuenerint: Sed potius constat quod discrimen istud inter Episcopum & presbyterum prorsus sit in se vanum: si quidem hi, qui titulo presbyterorum notantur *Actor. 20. versicul. 17. mox versiculo 28.* in exhortatione Apostoli dicantur Episcopi. *Resp. 1.*

Imo ipse Petrus (quem Papistæ omnino Papam & Episcopum Episcoporum fuisse clamose contendunt) se nuncupat presbyterum, quando scribit *1. Epist. 5. vers. 1.* Presbyteros, qui inter vos sunt, precor ego συμπρεσβύτερος, &c. Sic palam est, iuxta Apostolorum Theologiam presbyteros esse Episcopos, & Episcopos vicissim presbyteros. *Resp. 3.*

Quod autem εὐταξίας ἕνεκα olim antequam Antichristus vires nimium præualescendo adquireret, constitutum fuerit, vt distingueretur presbyter ab Episcopo, & presbyter diceretur, qui vni præesset Ecclesiæ, Episcopus vero, qui totis Ecclesiis & visitationi presbyterorum multorum præesset: sane non diffitemur. Constat etenim hoc ipsum ex Concilio Niceno Can. 4. & 17. Chalcedonensi *capit. 6.* Sardiceno, Can. 13. & 21. Antiocheno Can. 10. Carthaginensi 4. Can. 2. & innumeris aliis: Præferimus tamen Conciliis, consuetudinem & libertatem vetustioris & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ potestatem ordinandi ministros verbi presbyteris & Episcopis indifferenter permisit, quod apertissime de Timotheo docet Apostolus, 1.

negatores fideliter adserere & tueri vellet, id quod etiam debito studio, cum æterno innumerabilium animarum bono & salute effectum dedit. Ad legitimam hanc suam vocationem sese solenni protestatione refert multoties, & eam pluris se æstimare dicit, quam totius mundi thesauros, siquidem ea ratione publice vocatus sit ad pure docendum Euangelium Christi & expurgandas sordes hæreticorum. Adscribo ipsiusmet Lutheri verba, quibus suam vocationem magnificat & dilaudat solide: In Epistola ad Fridericum Electorem, quæ exstat *Tom. 2. Ien. Germ.* editionis prioris *fol.* 57.

Lutherus solatium sensit diuum in legitima sua vocatione & Doctoratu.

In hunc fere sensum scribit: Se Euangelium non ab hominibus, sed de cœlo per Dominum nostrum Iesum Christum accepisse, vnde iure sese Dei seruum & Euangelistam profiteri possit: Ibidem inquit: Præter suum consilium & voluntatem eo vsque hoc religionis negocium progressum esse, sortiturum etiam præter consilium & voluntatem suam euentum optatum, nec inferorum portas hoc Dei consilium impedituras. Et contra Regem Angliæ *Tom* 2 *Ien. fol.* 548. Certus sum dogmata mea me habere de cœlo, quibus etiam triumphaui aduersus illum, qui in minimo vel nouissimo vngue plus habet roboris & astutiæ, quam omnes Papæ & reges & Doctores, &c. Et *Tom.* 5. *Ien. fol.* 99. editionis secund. Deus me (inquit) contra vos Papistas incitauit, vt essem vobis vrsus & Leo in via: nomen meum vos quiescere non sinet, donec vel conuertamini vel funditus pereatis. Item *f.* 275. *ibid.* Vita mea carnifex, mors mea Diabolus vobis erit.

Inprimis vero vt ante dictum est, legitimam suam vocationem ad Doctoratum decantat, qua etiam sæpe in grauissimis tentationibus & difficilimis negotiis sese sustentauit, desperandum sibi esse dicens, in hac tam dura prouincia, si eam sine legitima vocatione & mandato suscepisset. *Tom.* 5. *Ien. f.* 502. Im Brieffe von Schleichern.

Nec prætereundum illud, quod vir Dei in Glossa, auff das vermeinte Keiserliche edict *Tom.* 5. scribit his verbis. Ego Doctor Martinus Lutherus vocatus & coactus sum, vt Doctoratus insignia acciperem: inuitus & contra voluntatem meam, & iuramento me obstrinxi, quod fidem Christianam vellem adserere, defendere & demonstrare ex sacris literis, Propheticis & Apostolicis scriptis. Huic vocationi & doctrinæ meæ pertinaciter sese opposuit Papatus: Sed iacta est alea, Pontificii euentum experientur. Commentar. *in Psalm.* 82. *Tom. Ien.* 5. *f.* 157.

Ridi-

Ridiculi sunt ergo ψευδώνυμοι Iesuitæ & Papicolæ, quod vocationem hanc prorsus legitimam D. Lutheri allatrant, & labefactare frustra elaborant: cuius recta ratio per omnes suas circumstantias fortissime omnes illos Sycophantas confundit.

Obiectio Iesuitica & eius dilutio.

Prætexunt vero adhuc ex præfatione Lutheri ante primum Tomum, sic inquientis, verba: Initio solus eram. Hic clamant isti: sibi igitur honorem sumsit, nec vocatus à Deo velut Aaron. *Heb.* 5. sed vltro sine diuina dispensatione se intrusit & præfecit, &c. Verum cohærentia verborum aperte declarat, hoc velle virum Dei, quod circa prima initia aduersus impietates sedis Romanæ non habuerit in illo opere παραστάτας adstites & auxiliatores, quorum auxilio subleuari potuerit, sed hanc glaciem sibi primo fuisse confringendam. At satis de his. Transeo ad reliqua.

SECTIO OCTAVA.

De occasione reformatæ religionis, & valido conflictu aduersus indulgentias aruscatoris Tezelii.

Hans Tezel.

ACCEDO nunc, Christo propitio, ad initium motuum & disputationum aduersus indulgentias Antichristi, quarum scruta χράυματα, ramenta & fragmina, turpissimis & blasphemis fabulis & stercore prædicti Antichristi Romani scatentia viro Dei Doctori Martino Luthero ansam præbuerunt, tantis contradicendi nugis & ipsimet Papæ Romano. Et licet initio lux Euangelii tenuibus præfulgere ceperit initiis: Paulatim tamen per cõflictus disputationum plusculum Lutherus in palæstram protractus & anilibus aduersariorum, partimque minacibus scriptis coactus, plenius veritati cœlesti testimonium præbuit. Vnde lux Euangelica ex Vitebergensi Schola ceu ab albente Septemviratus Saxonici mõte radios & gloriam suam in vniuersam augustissime proiecit Germaniam, imo totum Christianum orbem. Et vt, Christianus lector, maiori cum luce hos iucundos olim sub Dei patrocinio & gubernatione peractos labores & occasionem tantarum tentationum cognoscat, licet hæc omnia iam pridem superis & inferis nota sint, non grauabor tamen altius repetere & παχυμερῶς, recitare statum istius temporis, quod proxime antegressum fuit & concurrit cum initio horum certaminum, vt sic facilius iudicium fiat, quam optatus fuerit Lutheri aduentus, & quod diuinitus fuerit excitatus.

Decer-

D. Georgius Maior spectator inter certaminum.

Decerpo igitur paucula, ex commonefactione historica Doctoris Georgii Maioris, cum olim abiit Magistratu Scholastico, 18. die Octob. Anno Christi 1567. Vitebergæ habita, quæ sic, vt sequitur, habent: Factus sum, inquit D. Maior, ciuis huius Academiæ, anno postquam instituta primum fuit, nono. Is erat annus post Christum natum millesimus quingentesimus vndecimus. Adductus sum in has terras mandato & sumptibus Illustrissimi principis Friderici tertii Ducis Saxoniæ, Electoris, cuius memoriam, monumenta sapientiæ in Imperio, & iacta huius Academiæ fundamenta, & hic sparsa semina purioris doctrinæ posteritati ita consecrarunt, vt nomen Sapientis, quod meruit cunctorum ordinum summa adprobatione, nulla sit vnquam abolitura vetustas. In huius aula plane puer educatus sum inter adolescentes Symphoniacos. Reperi autem in his regionibus hæc vera & solida ornamenta ac præsidia rerumpublicarum. Politiam legibus honestissimis, iudiciis publicis ac priuatis optimo ordine constitutam ac sanctioris seueriorisque disciplinæ, institutis, moribus, studiis, exemplis adeo celebrem, vt à priuata honestate ac humanitate singulorum, à publica grauitate, tranquillitate, securitate in locis omnibus hæ regiones sedes & officina iustitiæ ac humanitatis esse prædicarentur.

Principes reperi, sapientiæ, iustitiæ, æquitatis, moderationis togatæ bellicæque, virtutis laude cumulatissimos & opum subsidio instructissimos, cæterisque in Germania authoritate antecellentes.

Nobilitatem certatim vestigia suorum principum sectantem, æmulo pace belloque studio & diuitiis affluentem.

Academias artium ac disciplinarum optimarum studiis refertas, è quibus deinceps religio, humanitas, eruditio, & quidquid est politioris doctrinæ ortum, inque omnem Germaniam, ceu coloniis distributum est.

Vrbes denique florentes iis rebus omnibus, quæ ad bene beateque viuendum requiruntur, & honestis ac liberalibus exercitiis, cultu hominum & mundicie, elegantia victus, commoditate ædificiorum, varietate commerciorum, vbertate rerum fruendarum, omnibus denique humanitatis officiis præ reliquis in Germania maxime commendatas.

Vnum deerat, LVX VERITATIS EVANGELICÆ. Nam passim in Ecclesiis profundissima caligine obrutis atque oppressis, sonabant pro voce filii Dei somnia commentaque humana, & pro cultibus diuinitus man-

datis in iisdem idololatriæ & superstitiones inuectæ, Monachorũ imposturis & Romani Pontificis Tyrannide comprobatæ atque stabilitæ.

Hæc D. Maior, tanquam bifrons Ianus spectans simul temporum statum ante reuelatum & post reuelatum Antichristum.

Dn. Reuchlinus. Breui ante Tezelianum impetum, prodierat Iohannes Reuchlinus vel Capnion, totius Sueuiæ triumuir natione Germanus ex oppido Phorcensi Sueuico oriundus, trium linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritissimus, qui exustionem librorum Hebraicorum, quicunque penes Iudæos inuenirentur, cum baptizatus Iudæus Pfefferkorn Halæ Saxonum ignitis forcipibus excruciatus cremaretur, à Theologis Coloniensibus decretam & mandatam serio dissuaserat, quod multum Christianitati possent prodesse: Huic Reuchlino Lutherus etiam eo tempore constanter adstipulatus est.

Erasmus Roterodamus quem scopum potissimum respexerit. Prodierat etiam Dialogus Erasmi Roterodami de Iulio 2. pontifice mortuo, cuius interlocutores sunt, Iulius, Genius, & S. Petrus: in quo Dialogo Pontificum sceleratam vitam & mores salso & mordaci perfuderat aceto: Sed Erasmi scopus semper eo tempore fuit, vt linguarum & eloquentiæ studia resuscitarentur, quo nomine postea etiam D. Luthero nonnihil suffragabatur. Quod autem parum curaret reformationem religionis & puritatem verbi cœlestis, palam eius inconstantia & mollities arguit. Nam sensim aliter & sinistre de Luthero sentire & scribere occœpit: maluit enim Erasmus hominum, præsertim Magnatum, quam Dei fauorem retinere.

Deus excitat Lutherum. Sic purioris doctrinæ Theologicæ Lux vnice defecit eo tempore, nec quisquam palam Bestiæ Babylonicæ contradixit.

Misertus tandem Optimus Maximus misericordiarum benignissimusque pater tantæ cladis & miseriæ, clementer respexit populum suum. Et sicut olim cum Asiam nouis legibus & institutis reformare constituisset, Heroico Alexandri Magni robore & impetu ad hoc vtebatur: cumque Israelitas ex tristissima & molestissima Aegyptiorum seruitute tandem liberaturus esset, Moysen tantæ rei destinauit, quem etiam præstantissimis & communem imbecillitatis humanæ mensuram transcendentibus donis & præsidiis, sapientia, authoritate successuque rerum gerendarum singulari exornabat, vt tantæ moli par esset: Eadem ratione etiam exitauit Dn. Doctorem Martinum Lutherum, eumque Heliæ spiritu & inuicto animi robore, eloquentia & autoritate exornauit, cum Germaniam & vicina regna Pontificiæ seruitutis iugo eximere & perpetuo deinceps vindicare vellet, vt excusso isto turpi turpis Antichristi iugo, & auerruncatis idololatriæ inueteratæ

ueteratæ quiſquiliis, depulſiſq; Cimmeriis iſtis tenebris gloria & ſplendor auguſtiſſimæ cœleſtis veritatis poſtliminio refulgeſceret. Qua vero id ratione & occaſione inchoatum ſit, breuiter & plene tamen ſubiicio.

Conſtat ex Nigrino & Bucholtzero, præſertim vero ex Chronico Citicenſi Pauli Langii, viri inter monachos docti & diligentis, Iohannis Trithemii Abbatis Spanheimii quondam diſcipuli, quod Leo 10. Papa inter alios præcipue Syluestrum Prieriatem Monachum Dominicanum Sacri Palatii Magiſterio ſublimarit, & Thomam Caietanum totius ordinis prædicatorii generalem Magiſtrum crearit, & paulo poſt ad Germaniam miſerit: Simul etiam vna vice & eodem tempore Papa Leo creauerit triginta & vnum de nouo cardinales, à quibus ex pacto quingenta millia aureorum acceperit: promiſerat enim eis grandia, inquit Langius. Geſta ſunt hæc anno à nato Chriſto ſupra milleſimum, quingenteſimum decimo ſeptimo, qui annus multis & magnis rerum memorabilium hiſtoriis præ aliis admiratione dignus eſt & notabilis. *Papa, Leo decimus auri ſitiens.*

Sequuta eſt poſt Cardinalium illorum creationem, vt Stephanus Zegedinus ex Balæo & aliis annotat in ſpeculo Pontificum *pagin.* 114. ingens fulminis & tonitrui tempeſtas, in qua fulmen de cœlo percuſſit templum illud, in quo Cardinales iſti creati fuerant, atque Ieſum puerulum è gremio Deiparæ imaginis & claues è manibus ſimulachri S. Petri excuſſit.

Quod omen multi interpretati ſunt portendere ruinam ſedis Romanæ, & Deum horribilem Simoniam & nundinationem Pontificum deteſtari, breuique futurum, vt Idololatricus cultus imaginum & abuſus clauium per verbi Dei ſinceram prædicationem euerteretur.

Cum vero, inquit P. Langius, de patrimonio Diui Petri, Papa prædictis Cardinalibus ſatisfacere nequiuiſſet, aut forſan detrectaſſet, attamen vt omnes iuxta condictum ditaret & magnificaret, excogitato modo, ſeu potius dolo, quatuor ad diuerſas mundi partes legatos, quatenus ſub prætextu Turcarum infinitam colligerent pecuniam, cum ſummis & pleniſſimis miſit indulgentiis, vt pecuniam tali aſtu collectam copioſe inter Cardinalium nouas creaturas diſtribueret: Præterea ex cunctis fidelium regionibus, præſertim Germania, mendicantibus indulgentiarum commiſſariis, ſub ſpecie fabricæ Baſilicæ S. Petri, pecuniam omnimodis adgregare feruentiſſime adniſus eſt technis: tametſi ad dictæ fabricæ conſummationem, prædeceſſor eius Iulius Pa-

pa, qui eandem magnifice & operose inceperat, thesaurum reliquerit innumerabilem: nihilo secius & lente & segniter cœptum opus progreditur. Nec mirum, cum secti lapides interdiu, noctu ad palatium grande Florentinorum de Medicis dictum, quod nunc construitur, clam deferantur, & ipsa pecunia collecta, non in vsum fabricæ, nec contra Turcas, sed inter amicos Papæ & Cardinales distribuatur.

Hac ratione & intentione Indulgentiarum præcones in Germaniam penetrarunt, inter quos primarius fuit Iohannes quidam Tezelius, Monachus Dominicanus Pirnensis Misnicus: qui iam antea ob sceleratas libidines Oeniponti iussu Maximiliani Imperatoris inclusus sacco in aquis suffocandus fuisset, nisi intercessione Electoris Saxoniæ inde liberatus euasisset.

Albertus Marchio Brandeburgensis Archiepiscopus Moguntinus.

Iste vero Tezelius ceu vas tinniens passim in Germania discursauit, & de indulgentiarum summa &ináudita gratia classicum cecinit, idque eo confidentius, quod conductus esset ab Alberto Marchione Brandenburgensi, primate Magdeburgensi, Episcopo simul Moguntino Electore, qui ad extruendum templum D. Petri Romæ, & pro pallio Episcopali debebat triginta aureorum millia: Atque vt hoc auri pondus in confiniis Germaniæ conuasaretur, gnauiter suas buccinator indulgentiarius Tezelius nauauit operas, & quidem tanto impudentius, quanto Sycophanta iste indoctior fuit. Iactauit non modo peccatorum remissionem viuentibus, sed & liberationem mortuorum è purgatorii ignis æstu & tormentis, modo impenderetur pecunia, qua in ærarium indulgentiarum illabente & clangente, mox anima subleuaretur ad cœlos: præterea vero exposuit libertatem vescendi lacticiniis & ouis per dies alioqui vetitos: Crucem ligneam insigniis Papæ insignitam æque esse efficacem, ac crucem in qua Christus pependisset, adseruit: indulgentiarum item prædicatione plurimas animas saluatas, quam Euangelio, quod ipse sanctus Petrus vnquam prædicasset, effutiuit: Similiter: si quis Deiparam virginem (quis non exhorreat) temerasset, vel etiam grandissima in futuro designaret peccata, eum tamen absolutum iri, modo satisfaceret ærario indulgentiarum.

Blasphemia Tezelii.

Fuerunt autem indulgentiæ res mediæ, & tales quæ concedebãtur: Græci nominarunt satisfactionem, ἐπιτιμίαν id est mulctam vel pœnam quæ delinquenti imponitur. Vocabulum Germanicum Büß est nomen conueniens satisfactioni: quia cruciabant multos homines istis phantasiis mulctarum seu satisfactionum: Omne enim [illegible] vertitur in nigrum Monachum, vt dici solet de euidentibus excessibus. Ibi Pontifices & Episcopi

ſcopi instituerunt venditiones indulgentiarum, id eſt, relaxarunt pœnas Canonicas quæ alioqui fuerunt iniuſtæ, & tantum ideo vendebant vt extorquerent pecuniam. Sicut multum pecuniæ conflabant papicolæ iſto modo, ita vt Maximilianus Imperator ſæpe deliberarit de abolitione iſtarum indulgentiarum, etiam ante Doctorem Lutherum, ſed quomodo id faceret ignorabat. Sed ne longius abeam, ad priora reuertor.

Hi blaterones prædicti ceu mendaciorum non alatorum publici inſtitores cum ſuis his theatralibus commentis ἀφορμὴ fuerunt, vt tandem poſt ludos ad ſeria procederetur. Per integrum octennium debuit hæc Romanorum indulgentiarum gratia per Germaniam durare, vt ſic cariſſima patria probe ab his vulturibus exhauriri non ſine infinita Chriſtianorum animarum ſtrage & cæde, poſſet: Verum in principio rumuſculus iſte de tantis in Chriſti meritum mortemque blaſphemiis, & tot animarum peſſundatione ad aures & mentem Reuerendi Zelotæ D. Lutheri percrebuit, qui diuino ardore accenſus & cœleſti inflammatus igne aduerſus nauſeoſos iſtos Oreſtæorum ſomniorum propolas Spiritu ſancto eum ſimul armante proſilit, & contra indulgentias Papales diſquiſitionem Theologicam, theſibus nonaginta quinque comprehenſam propoſuit, & publice die 31. Octobris hora 12. in vigilia omnium ſanctorum (non ſine omine: Etenim omnium fidelium & ſanctorum res tunc agi debuit) foribus templi omnium ſanctorum, quod arci electorali intra mœnia Vitebergæ contiguum eſt, adfigi curauit: cum ſubiuncta proteſtatione, vt ſi quiſquam meliorem poſſit ad ſalutem monſtrare viam, prodeat: ſe ei libenter ceſſurum, & Deo daturum gloriam: quin etiam ſe propoſitiones illas iudicio Eccleſiæ prompte ſubmittere. *Lutheri theſes Tezelio oppoſita.*

Poſt hæc ſcriptis miſſiſque peculiaribus literis ad primatem Germaniæ & Electorem Moguntinum, indulgentiarum Buccinatores ceu nimis impudicos & blaſphemos accuſat, & eos refrenari petiit, ſimulque ſuas propoſitiones illis oppoſitas tranſmiſit Lutherus, inſuper eiuſdem argumenti literas ad ipſummet papam Leonem 10. miſit, cum humili obſequiorum ſuorum oblatione, licet prima vice ab vtroque nullum tulerit reſponſum. Quid enim fulmine ſcripturarum ἐμβεβροντημένοι facti & attoniti derepente è ſtiua & calcaribus reſponderent? *Lutherus ſcribit ad Papam & Albertum.*

Licet vero Lutherus tum temporis nondum ex tenebris nugamentorum Antichriſti emerſerit, maſcule tamen indulgentiarum vanitatem in prænominatis propoſitionibus patefecit, & ſimul buccinatores earundem quaſi naſo ad ſcripturas protraxit.

Propolæ ipſi & præfecti indulgentiarum audito & viſo Lutheri conatu, *Lutherus*

Hæresiarcha proclamatur.

vehementer excanduerunt (& merito: Deo laus) & sursum deorsum cursitantes oculisque micantes infremuerunt, Lutherum hæresiarcham vociferantes. Nec defuerunt, qui pro Papa & eius nugamentis adsilirent in auxilium & præfectis concionatoribusque indulgentiarum ad latus starent, inter quos primipilares fuerunt Doctor Conradus VVimpina, Doctor Iohannes Eccius, Syluester Prierias Dominicanus Iacobus Hochstratus, itidem Dominicanus, sed prodigiose indoctus. Hi Luthero primum sed frustra restiterunt, & cum velut esset hæreticus, (vt hoc scomma papicolæ contra nos statim in naso & procinctu habere solent) indignissime traduxerunt.

Papistici Doctores aliquot resistũt Luthero.

VVimpina conscripsit contrarias theses contra propositiones Lutheri: verum horribilibus paradoxis easdem confarserat: adserens Papam præualere scripturis: esse sponsum Ecclesiæ, & parem S. Petro, nec posse errare, & similia plura nugalia, ceu abortum passus protulerat. Eccius peperit scriptum quod contra Lutherum infeliciter obeliscos nominitauit. Prierias chartulas laboriose esudauit, quibus infinitam Papæ in spiritualibus potestatem iactauit: sed omnes hi imbelles Papæ promachi, nullius S. scripturæ gnari, nullis etiam scripturis armati contra Lutherum prodierunt: sed delituerunt sub patrocinio & brachio carneo Papæ, ceu post Aiacis clypeum. Hochstratus editis aliquot frigidulis pagellis nil aliud vrsit, nisi vt Papa, Imperator & principes contra Lutherum flammas expedirent. Sic nimirum omnes reliqui quoque suaserunt, optantes videlicet, vt gladio Pauli Castrensis potius, quam Pauli Tharsensis contra Lutherum Papa procederet, & disputationem eiusdem, eodem cuneo, quo olim Alexander Magnus nodum Gordium, hoc est, fulmineo & ancipite dispesceret gladio & bipenni.

Lutherus pergit fortiter.

His sanguinariis & inscientissimis nugatoribus Lutherus scriptis publicis respondit, exprobrans eis ruditatem in sacris Bibliis, & crudelitatem sui sanguinis siticulose cupidam: pariter thesium suarum contra indulgentiarum fragmenta & buccinatorum impudicos vlulatus editarum, pleniorem intexuit explicationem, non sine maiore cœlestis veritatis elucidatione, vt sic paulatim magis magisque lux Euangelii effulgesceret & Germaniæ eminentiores vibraret oculos.

Etsi vero nundinatores contra Lutheri disputationem & frenduerunt & scriptitarunt, sic tamen repressi sunt vi veritatis, quæ in prædictis Lutheri propositionibus victrix eminus triumphabat, vt præ pudore in sinum tacite confusi, caudam (quod est in diuerbio) inter crura reflexerint, & quouis Piscandro timidiores facti, non amplius propudiosas & putentes indul-

gentia-

gentiarum merces exponerent: imo Archiepiscopi & Episcopi in Ecclesiis suis has ærruscationes & vilissimas nugas & quisquilias, præ confusione & αὐτοκαταχείσει deponere, suspendere vel supprimere cogerentur. Nam populus vulgi sensim retraxit manus, nec amplius, quid tantis nugis impendere voluit, sed exsibilauit, &c.

Cum autem Halæ Saxonum & per Saxoniam nundinæ illæ prohibitæ & sublatæ essent, fuit fama publica, vt scribit Paulus Langius in Chronico Zitisensi, quod cassatio ista primo & vnico anno centum millium aureorum priuationem Romanensibus intulerit. *Iacturæ*

Proinde pius Lector pensitare poterit, quam inæstimabilis pecunia duntaxat per Germaniam collecta fuisset, si expilatio & sacrilega ista depeculatio per octennium integrum extendi debuisset. Ne putes tantas diuitias & tanta spolia aduersus Turcas, vel ad Fabricam fani S. Petri, aut etiam in captiuorum è manu Turcici Tyranni redemtionem adhibita fuisse, sed potius inter Cardinales vel amicos alios Romani Antichristi distributa, vere etenim cecinit Mantuanus-

Neglecto superum cultu, spretoque tonantis
Imperio, Baccho indulgent, venerique ministrant:
Sacra ferunt auro: nummis altaria condunt:
Auro vina libant: auro laquearia fulgent:
Scorta tegunt gemmis: canibus conuiuia ponunt:
Exuuiis inopum culti, ditesque rapinis:
Successu elati superos Acherontaque rident, &c.

Scribit in eundem hunc sensum Hermannus Bonnus in Chronico Saxoniæ, quod circa has turbas Tezelianas Legatus Leonis 10. Papæ nomine Arcamboldus inter alios in Saxoniam venerit, qui ex indulgentiis tantum quæstum fecerit, vt etiam argenteis patinis more principum, cum pransitaret vel cœnitaret, vteretur. Sic constat, quod quidam frater ordinis mendicantium prænominatarum indulgentiarum per Saxoniam cōmissarius, moriens duo millia aureorum, quos ex pœnitentium lacrymis (vt ipse dicere solitus fuit) conrasera & extraxerat, in extremis reliquerit. Et ita intelligi potest historiola de Petro Bembo Cardinale citante locum quendam ex Euangelio, cui subridens Papa responderit: Bembe, Bembe, quantas diuitias nobis dedit ista fabula de Christo? vide Iohannem VVolf. c.16.p.76. & orationem D. Timoth. Kirchneri de scripturæ autoritate Lit. A.3.f.1. *Magnus thesaurus ex indulgentiis.*

Contra nefandam & inexpletam Leonis 10. Papæ auaritiam Christianus quidam eo seculo Poeta sic ingemiscendo scribit.

Chriſte

——Christe precamur
Poplitibus flexis, summo delabere cælo
Atque hostem posterne tuum. Sat Christe malorum
Perpessum humanum genus est: Sat curia nequam
Antichristi ouium deglubit. Perde nefandam
Romanistarum rabiem, fuluique Leonis
Infandos ausus, &c.

SECTIO NONA.

De adsensu & suffragiis Euangelio, passim datis, licet à quibusdam timide & oblique.

LVx verbi Dei optato eluxit, & multorum obtinuit adsensum & suffragia de quibus mixtim paucula ὡς ἐν ἐπιτομῇ διαβραχέων delibabo. Non enim instituti mei est in præsentia longius repetere, quæ alias in Iohannis Schleidani & plurimorum aliorum absolutis hac de re scriptis editisque commentariis lectorum oculis plene subiiciuntur, ne videar, ac si post Homerum Iliada scribere ridicule tentem.

Primi applausores Lutheri.

Primi autem Lutheri contra Papam adplausores extiterunt Eremitæ, Professores & Senatores Vitebergenses. Eremitæ enim Augustiniani, Vitebergæ statim initio veritatis lucem adspexerunt, reliquerunt conditionem

1. *Monachi VVitebergæ.*

Monasticam & aliud vitæ genus amplexi sunt, vt patet ex epistola Lutheri ad Electorem Saxoniæ Fridericum de tradendo Monasterio Augustiniano, quæ extat *Tom. 2. Ienensi, fol. 514. a.* Similiter ex conclusionibus

2. *Professores Academici.*

Augustinianorum Vitebergæ, *Tom. 2. Ienens. fol. 1. a* idem elucescit.
Similiter Academici Professores Vitebergæ mox Anno Christi 1518. pro Martino Luthero literis ad Papam Leonem Decimum, ad Cardinalem & Carolum Miltitium datis deuote intercesserunt, & vt eius causa æque secundum Dei verbum & omnem moderationem cognosceretur, vt patet *Tom. 1. Ien. pag. 106. & 102. 105.* Eadem intentione & motu scripserun iidem pro causa Martini Lutheri ad Serenissimum Electorem Saxoniæ Fridericum Sapientem, *Tom. 1. Ien. fol. 135.*

3. *Senatus & ciues.*

Sic Senatus populusque Vitebergensis maturtime veritati Euangelicæ patefecit fores & corda, templa & Scholas tandemque vna cum Senatu Academico Canonicos Vitebergenses peculiari scripto consentienter hortatus est ad suscipiendum Euangelium Iesu Christi & abrogandam Missæ abomina-

ominationem & impios ritus, idolomaniam, ceremonias & abusus, vt conspicuum est *Tom.2. Ien.p.512.*

Ipse celsissimus & Christianissimus princeps Elector Saxoniæ Fridericus vidit statim initio Lutherum causam fouere bonam, si modo ad verbum Dei censeretur, nec voluit consentire, vt Lutherus vel vi vel fraude extra suum siue pelliceretur, siue abduceretur sine saluo conductu territorium: Et licet Opt. Max. heros longe ante prospiceret, latius hanc flammam vagaturam & sequuturas magnas discordias, maluit tamen (tranquillitatis publicæ nihilominus amantissimus) omnes actiones & consilia sua ad communem salutem orbis terrarum, vt ex multis rebus intelligi potest, pie & religiose referre, quam vt infinita animarum millia pessum irent, occasionem & aditum per desertionem iustæ Lutheri causæ patefacere. *Elector Saxonia.*

Erasmus eo tempore ad Vdalricum Huttenum scribens, Non tutum est se miscere his negociis, in quibus, si quis liberius aut æquius dixerit statim dicitur Lutheranus. *Erasmus Vulpecula.*

Ipsemet Diuus Imperator Maximilianus 1. immortali nominis & meritorum gloria celeberrimus heros auus Caroli 5. causæ Lutheri clementissime fauit, agnouitque Ecclesiæ Romanæ κακοδοξίαν & deprauatos mores, sicuti non obscure patet ex Epistola, quam ad Leonem 10. Papam misit Anno 1518. die 5. Augusti *Tom.1. Ien. fol.99.* *Imperator Maximilianus.*

Idem Optimus Heros cum in comitiis Augustæ vidisset Lutherum præsentem compellauit, ac demulsis eius humeris ad circumstantes, Hem proh Deum, inquit, sinite nobis quæso hunc monachum mures capere, vt annotat Casp. Hedio in Eccles. Hist. Et Doctorem Degenhartum Pfeffingerum Electoris Saxoniæ Legatum iussit hoc mandati referre: scilicet vt hunc Monachum tutaretur, & bene haberet ac tractaret: breui enim eius operam valde necessariam futuram, contra iniurias & conatus Romanensium. Legerat enim Imperator Lutheri disputationem contra ærusca torem illum venditorem indulgentiarum, Tezelium. Ex Hondorfio citat VVolfi. *cent. 16. pag.114.*

Albertus Crantzius Theologiæ Doctor & Academiæ Rostochiensis Rector Magnificus Anno Christi 1482. & postea Lector & Decanus in Collegio Hamburgensi, qui Saxoniæ, Vandaliæ, Daniæ & Sueciæ Chronicon ad annum Christi 1504. pertexuit, vir suo tempore clarissimus vixit vsque ad annum Christi 1517. quo & mortuus est, vt annotat Paulus Eberus in Calendario *pag.408.* Is priusquam ex hac vita abiret, vidit & legit propositiones Lutheri contra indulgentias, dixitque: se quidem eas adprobare, *Albertus Crantzius.*

ſed tamen metuere, ne tantis conatibus impar à potente Papa ſupprimatur: ideoque Luthero ait: ô frater abi in cellam tuam, & dic: miſerere mei Deus. Vide Saxoniam D. Chytræi *pag.* 196.

Idem Crantzius ſæpius conqueri auditus eſt de Tyrannide, erroribus & abuſibus Eccleſiæ Romanæ, & interrogatus, cur ipſe tam craſſis erroribus non reſiſteret, reſpondit: ſe tam arduo negocio neque eruditione, neque ætate parem eſſe, neque vnius hominis ingenium ad res tantas ſufficere, niſi diuinitus iuuetur. Antonius Probus contra Epicuream Alberti Hungeri orationem *lit. c. 3. fol. 2.* citat hæc è præfatione Metropoleos Crantzij.

D. Fleck. Iohannes Fleckius Monachus Steinlauſicenſis prope Bitterfeldam ad Muldam, hoc nomine bene audiit, quod nullam per totam vitam noluerit celebrare Miſſam: & accuſatus pigritiæ reſponderit: longe aliam eſſe cauſam. Is in refectorio primum vidit propoſitiones Lutheri de indulgentiis. Ibi cum alioqui ſilentium præſtandum de more eſſet, præ gaudio ridens & geſtiens (fuit enim grandi & pleno corpore) dixit: Ha ha ha, **Er iſt kommen der es euch thun wirdt / der Schwan ſahet an zuſingen.** O quanti referret adhuc vnum talem Monachum habere, vt dignis modis exciperemus Papam. Et ad Lutherum ſcribens ait: Venerabilis D. Doctor, pergite & vrgete pedes veſtros: Et mihi diſplicuerunt hi abuſus Papiſtici. Illyr. in Catal. Teſt. veritatis, circa finem.

D. Iohan. Auentinus. Quo tempore Lutherus impugnauit indulgentias & æruſcatorem Tezelium in ſummo ætatis & nominis flore & gloria fuit Iohannes Auentinus: Is non minus Lutheri cauſæ fauit, vt patet ex his eius verbis, quæ leguntur in tractatu eius ſingulari de fœdis abuſibus Reipublic. Eccleſiaſticæ, & Politicæ: Quiſquis demum (inquit Auentinus) ſit Lutherus ille, ſit vel hæreticorum deterrimus: manifeſtum tamen cuiuis eſt, Principes illos & ciuitates, qui eum fouent, paci ſtudere, nec innoxio ſanguine manus polluere, ſed ſuam cuique religionem liberam relinquere: fouere etiam, adeoque in precio habere viros doctos, bonas artes, honeſtatem, adeoque liberalia iis ſtipendia decernere, qui ingenuas diſciplinas, linguas & pietatem profitentur: nec ſe muneribus corrumpendos obiicere indoctis Monachis & ſiti ſanguinis irreſtinguibili taliſcentibus. Inter eos vero, qui Lutherum impugnant, munera regnant: Viri docti & pii crudeliter eiiciuntur vel necantur, nec cuiuſquam verba, niſi Monachorum, quos recte lutum ſanguine maceratum dixeris, valent, nulla ibi eruditionis, nulla pietatis, nulla honeſtatis ratio habetur.

Item. Videmus quod eos, qui Lutherum impugnant, & ex inſtinctu in-
doctorum

doctorum monachorum multum Christiani sanguinis profuderunt, bello Turca impetat. Quo ergo intendunt insanæ illæ Monachorum vociferationes, quibus cœlo terram miscentes, omnem malorum culpam in solum Lutherum transferunt? Item. Quidam Ecciani sunt, quidam Lutherani nominantur. Illi Romanum Episcopum plus quam Deum faciunt: Hi in ordinem redigunt. Hactenus Auentinus.

Adplausum etiam Luthero eiusque piissimæ causæ sonore dedit Huldaricus Huttenus, Nobilis Eques Francus Literarum pariter ac armorum gloria præstantissimus & Hierophantes incomparabilis. Scripsit enim palam ad Equites, Cardinales, Abbates, Episcopos, præpositos, & vniuersum Sacerdotum Concilium Vormatiæ congregatum, ne veritati cœlesti vim inferrent, his verbis: Video vos per potentiam opprimere veritatem, maxime iam, quando Martinum Lutherum, hominem vita & moribus probatum, vt ne ab inimicis quidem vobis improbatus ibi sit, prædicatorem veritatis & Euangelicæ doctrinæ dispensatorem fidelissimum, per scelus & iniquitatem adfligi à vobis, lacerari & concerpi video. *Huldrich von Hutten.*

O egregios vos, qui desperata probatissimarum scripturarum autoritate diffisi ratione & testimoniis, mutantes clypeos Danaumque insignia vobis aptantes: id est ad pessimas artes inito refugio, armati fraude & dolis, nouo certandi vsurpato genere, edictis oppugnare nos paratis. Et post pauca. Euangelium neque ipsi prædicatis, neque prædicari ab aliis, nisi magna interposita cautione sinitis: timentes, ne vobis tangatur vlcus. Ac LVTHERO, quia veritatem dixit vobis exitium molimini: alios qui optima conscientia Tyrannidi vestræ reclamamus, auferre è medio cogitatis. *Amara veritas.*

Hæc & alia multa aduersus papicolas eo tempore scripsit Huttenus, è quibus satis liquet, in vtras partes animo & calamo propensus esset. Sed nimis mature fatis concessit, Anno nimirum Christi 1523.

Adiunxit sese his Euangelii confessoribus etiam Philippus Melanchton Palatinus hactenus studiosus bonarum artium & linguarum in Academiis Heidelbergensi & Tubingensi. Et postquam gradu magisterii Tubingæ Anno Christi, 1514. ætatis, 18. auctus esset, & insuper Græca ode Epigrãmatib. Erasmi Roterodami præfixa, & oratione de liberalibus artib. publice habita, quæ extat 1. *Tom.* declam. Philipp. *p.* 310. insuper etiam versione cuiusdam cõuiualis quæstionis de notis Pythagoricis ex Plutarcho, sicut & editione Græcæ Grammaticæ inclaruisset, statim proximo anno, post im- *P. Melanch.*

L 2 pugnatas

pugnatas indulgentiarum merces Vitebergam ad professionem Græcę linguæ Tubinga euocatus est, plane adhuc iuuenis: Quam Spartam nactus Philippus, masculè adstitit Martino Luthero, & non solum deinceps omnem doctrinam quasi vagam & dissipatam ad certam redegit rationem & methodum, sed & sacrarum literarum explicator solertissimus ac fidelissimus exstitit, & præceptor tandem communis omnium doctorum per Germaniam digne salutatus est.

Taceo plures alios, qui cunis renascentis Euangelii adsistentes Luthero & eius contra Pontificem triumphabundæ causæ adstipulati sunt, vt ita Lux veritatis cœlestis indies magis elucesceret & tandem totum Germaniæ complexum augustissime compleret, & sensim Illustrissimi aliquot imperii per Germaniam Principes ad hanc lucem adducerentur, qui postea magno consensu veritati testimonium in publicis comitiorum solennitatibus constantissime perhibuerunt.

Principes imperii aliquot.

Et hinc est, quod Maximilianus Imperator ad Leonem 10. Papam serias dedit literas 5. Augusti Anno 1518. Augustæ obsignatas, in quibus solenniter protestatur: Rem esse magni momenti: vt igitur Papa Lutheri causam executiendam suscipiat. Multos enim Luthero, qui hæreticus quidem à Prieriate, Eccio, Hochstrato, & cæt. censeatur, adhærere, etiam magni nominis viros. Vnter welchen auch Gewaltige vnnd eines grossen Ansehens Leute seyndt.

Imperatoris Maximiliani I. litera ad Papam.

SECTIO DECIMA.

Quanto nisu & molimine Antichristus Romanus & eius adseclæ, & cicadæ Euangelio IESV CHRISTI restiterint.

IN æstu adflictionum & inter terribilia mundi terriculamenta, spectra & crepitacula misericors misericordiarum pater verbi sui lampada reaccendit & exsuscitauit, cuius splendorem etiam aduersus iras diras & minas omnium cacodæmonum potentissime custodiuit. Impugnatio stationariorum & nundinatorum, qui olidas indulgentiarum merces venum exposuerant, & adsertio piæ doctrinæ de gratuita remissione peccatorum & huius primula propagatio non diu Papam prædictarum nugarum proseminatorem latere potuit: Syluester Prierias palatii papalis Magister statim hæc Romam per literas Papæ significauit; periculum nimirum esse in

Syluester Prierias delator Lutheri.

mora:

mora: expediendum esse contra hæreticum Lutherum ignem, pontum, funem & omne cruciatuum genus. Vinea enim Romanæ Ecclesiæ cæsum iri: Maturrime malo occursandum esse. Accessit huc fama publica, quæ cito Alpes transuolitans ad Antichristi penetrauit aures & mentem, qui sentiens animam suam satis potenter peti, primum astu, sed Satanico prorsus, Lutherum vt Romam sententiam suam dicturus veniret citauit. Lutherus ægrotanti vel morbum simulanti Leoni in specu vel lustro suo cubanti diffisus extra tegumenta sua nolens prodire, comparere recusauit: Et petiit, in Germania vt audiretur propediem: tum se paratum esse, iudicium sanctissimi patris audire.

Fama publica.

Lutherus citatus Romã, vt cũ ouicula corã Lupo causam suã ageret.

Attamen vt Papa voti sui compos fieret, & Lutherum extra Germaniam pertraheret, cum eoque pro libitu procederet, (sicut olim Herodes se puerulum IESVM adoraturum simulabat) misit in Germaniam Thomam Caietanum (qui breui ante, pro adsentatiunculis suis & suppatasytationibus Cardinalitiam à Papa reportauerat dignitatem) ad Comitia Augustana, vt is ope Cæsaris Lutherum primum Augustam, protraheret ibique custodiæ mandatum, inde Romam deinceps mitteret, vtque id ipsum facilius obtineret, simul ad Electorem Fridericum Pontificis literas attulit, cum hac ἐπιγραφῇ, Vnserm geliebten Sohn/dem Edlē Herren Friderich zu Sachsen/&c. *Tom. 1. Ien. f. 10. 1.*

Caietanus.

Vox Iacobi sed manus Esau.

Deus consilia & mentes autem ita flexit & direxit, vt Caietanus Lutherum audierit, qui eo venit, etiam saluo conductu ab Imperatore munitus, & congreditur bis cum Caietano, à quo iussus est simpliciter dicere, REVOCO. Nec tamen Cardinalis errores reuocandos solide expressit, sed Papæ potestatem iuxta decreta Pontificia supra scripturas extulit, quas Lutherus contra, omnibus decretis & humanis placitis longissime præposuit. Egerunt etiam de fide iustificante, eamque multis scripturæ dictis demonstrauit Lutherus, petens, vt Caietanus benigne secum ageret, & errorem in hac adsertione demonstraret, aut reuocationem non vrgeret, ne conscientiam suam, diuinis scripturis fretam, sauciaret. Quibus auditis Caietanus, pœnas à Pontifice iam constitutas minatus est. Verum Lutherus à Papa ad Concilium publicum appellauit, nec sine periculo cum Iohanne Staupitio & VVenceslao Linkio Augusta tum discessit, & Vitebergam reuersus est.

Lutheri congressus cum Caietano.

Notabile autem est, quod fastuosus ille Cardinalis inter alia ad Lutherum Augustæ dixerat: Tune opinaris, inquiens, Principes in hoc periculo tibi fore sospitatores contra voluntatem sedis Romanæ? Tu quis es? Quota pars orbis terrarum? Vbinam manebis? Cui Lutherus: sub cœlo,

Crista & cornua Caietani.

ait manebo, & tutus ero: Domini est terra, & omnes eius fines & plenitudo.

Carolus Miltitius eques Misnicus aduersus Lutherum habet animum sub vulpe latentem.

Hac cum non successisset, via aliam ingressus est Papa, & misit Carolum Miltitium nobilem Misnicum, cubicularium suum, cum aurea rosa, quam Electori Saxoni offerret, & sic expeditius Lutherum extra Germaniæ fines proijceret. Sed quam dolose & fraudulenter iste cum Luthero egerit, Deus autem omnes istas insidias & artes impedierit & pudefecerit, prolixe recitat Iohannes Schleidanus, *lib.1.pag.* 9. Habuit autem Miltitius septuaginta breuia Apostolica, (de quibus Schleidanus tacet) vt si Princeps Fridericus Lutherum traderet, sicuti Papa per Rosam flagitabat, per singula oppida adfigeret vnum, & ita tutus perduceretur Romam.

Et licet diu cum Luthero blandissime conuersaretur, eique oscula figeret cum lachrymis, & simul impudentiam indulgentiariorum detestaretur, prodidit tamen Luthero cor suum Miltitius dicens: ô Martine, ego credebam, te esse senem aliquem Theologum, qui post fornacem sedens ita secum disputasset: Nunc autem video, te esse aduc integrum ætate, & validum. Ego si haberem 25. millia armatorum, non confiderem te posse à me Romam perduci: exploraui enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent. Ecce vbi vnum pro Papa stare inueni, tres pro te contra Papam stabant. Illud vero ridiculum erat: Explorauerat etiam mulierculas & puellas in hospitiis, quidnam de sede Romana sentirent? illæ vt ignaræ vocabuli, & sellam domesticam cogitantes, Respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneasne an lapideas. Selnec. de Luth.

Disputatio Lipsiensis.

His ita rursus in euanidos conuersis fumos, incaluit disputatio Lipsensis, inter Eccium & Carolostadium: Lutherus autem vna eo profectus, ab Eccio prouocatus est, & disputatum fuit de antiquitate & primatu Romanæ Ecclesiæ: Eccius Romanam Ecclesiam ratione successionis, sedis S. Petri, antiquissimam esse contendit: id quod frigidulis saltem niti decretis Pontificum Lutherus contra adseruit, quæ decreta ab annis quadringentis solum in Ecclesia nota fuissent, & pugnarent cum Nicæno Concilio, sacris literis & vetustioribus historiis Ecclesiæ noui testamenti. Decimo quarto demum die disputatio finita est, & postea à Luthero edita vt patet ex 1. tomo Latino Ienens. Acta autem hæc sunt anno Christi 1619.

Mors Imperatoris Maximiliani I. Cui succedit Carolus V.

Eodem hoc anno naturæ debitum persoluit Opt. Max. Imperator Diuus Maximilianus I. in cuius locum communi suffragio Electorum & statuum Imperii successit Carolus V. Maximiliani Cæsaris nepos, Philippi Arichiducis Au-

cis Austriæ filius, Hispaniæ Rex, vt habet Schleidanus *lib.* 1. & Funccius Chronol. *p.* 167.

Lutheri literæ ad Carolum v.

Ad hunc augustissimum Imperatorem Carolum v. scripsit Lutherus, petiitque ne maiestas illius sinat se præoccupari ab aduersariis suis, nec condemnet non auditum vel conuictum Lutherum: literæ exstant hæ *Tom.* 1. Ien. *f.* 212.

Bulla Anathematis Antichristica.

Anno sequente 1520. die 14. Iun. obsignata prouolat bulla Papæ aduersus Lutherum condemnatoria ceu hominem hæreticum, qui nullibi gentium debeat sustineri & tolerari, vt videre est *Tom.* 1. Ienens. *fol.* 256.

Marin. Caracciolus Hieron. Aleander.

Quin etiam misit Pontifex duos præcipuos legatos suos, Marinum Caracciolum & Hieronymum Aleandrum eodem anno ad Fridericum Electorem Saxonem, qui tum temporis Coloniæ in comitatu Cæsaris Caroli v. hærebat, & petiit, vt Lutheri doctrina & persona è medio tolleretur. Verum iniquis his postulatis Sapientissimus Elector noluit adquiescere. Nihilominus tamen Legati isti Lutheri libros, quotquot ad manus habere poterant publice solenniter Coloniæ combusserunt: pro quo heroico facto Papa eis postea imposuit galerum & insignia Cardinalitiæ dignitatis. Schleidanus.

Lutheri exuruntur libri Coloniæ.

Anno proxime insequuto, Lutherus Vormatiam euocatus est, vt prolixe Schleidanus commemorat. Quo Lutherus etiam saluo conductu Cæsareo profectus est: In itinere bono animo Martinus Bucerus obuiam Luthero progessus Oppenheimiæ, ne ingrederetur Vormatiam, memor exempli Iohannis Hussii, cui fides non fuisset seruata, & quidem Libros iam tum Vormatiæ combustus esse.

Lutherus VVormatiæ.

Bucerus dissuadet Luthero ingressum in vrbem.

Respondit autem Lutherus: si tot Cacodæmones essent in vrbe Vormatia, quot ibidem sunt in tectis ædium tegulæ, tamen ingrediar: neque enim confessioni veritatis, in tam illustri & amplo, Cæsaris & principum conuentu & consessu deero. Quam etiam cordatum testimonium Euangelio Iesu Christi ibidem præstiterit vir Dei, constat ex actis Imperii publicis, Hedione item, Schleidano, Selneccero & infinitis aliis copiose.

Lutherus à Cæsare & Academiis condemnatus.

Regressus tandem Vormatia Lutherus, à Cæsare proscribitur, à Parisiensibus, Louaniensibus & Coloniensibus condemnatur, & in caput eius totus conspirat Auernus, idcirco clam, per taciturnos & fidos equites Misnicos in itinere simulata quadam violentia prope Altenstein ex curru abripitur Lutherus, & in arcem VVartburgensem, ab hominum frequentia remotam abducitur, & tanquam captiuus reconditur: Habuerat secum in curru Nicolaum Amsdorfium, quem vna cum vectore

Pathmus Lutheri.

bene

nia grassatus, sed tandem per Electorem Iohannem, ducem Saxoniæ, Philippum Lantgrauium Hassiæ, Albertum Comitem Mansfeldensem, Truccelium Sueuum & alios, cæsus fuit, vt Schleidanus recenset, *lib.* 4. Libentissime hoc Pontificii adscripsissent Luthero & nouo (vt solent loqui) Euangelio, si vlla ratione potuissent: Lutherus autem multis scriptis seditiosos eo tempore rusticos compescuit, vt videre est Tom. Germanico Ienens. *fol.* 113. & 123 & 141. *Luth. in publ. scri. bit contra seditiosos rusticos.*

Anno Christi 1526. habuit Lutherus nouum antagonistam, nimirum ducem Georgium, qui Euangelio non parum oblocutus fuit & Luthero infensus extitit hostis, vt manifestum est *Tom.* 3. Ienensi, *fol.* 189. Eodem hoc anno excitauit Satanas Casparum Suenckfeldium de Ossing ex nobili & antiqua familia in Silesia natum, qui stipatus à Valentino Crautvvaldio Canonico Lignicensi, & Iohanne Sigismundo VVernero Ecclesiaste Lignicensi turbas non paucas dedit & errores tetros de verbis Testamenti Cœnæ & ministerio verbi & multis aliis articulis disseminauit, vnde mutato nomine Stenckfeldius dici cœpit; D. VVigandus huius acta prolixe recitauit, vt ex publicis eius editis scriptis constat. *Dux Georgius Saxo.* *Suenckfeld.*

Anno 1527. Anabaptistarum secta plurimum acquisiuit vires quæ ceu Chimera quædã in multa abiit capita. Quidam enim dicti sunt Extatici, alii Libertini, alii Hutitæ, alii Augustiniani, alii Monasterienses, quidam rursus, vel Adamiani, vel Mennonistæ, vel Abecedarii, vel Frankistæ, vel Flemingenses vel Fratres caritatis, &c. Qui de his plura scire gestit, D. VVigandi Anabaptismum inspiciat. *Anabaptistæ*

Omnes hi fanatici nil fuerunt aliud nisi quædam strumæ Ecclesiæ & pustulæ, & monstra & squammæ Antichristi, cum quibus vir Dei Lutherus spirituales suas exercuit pugnas.

Eodem hoc anno in grauissimum Lutherus illapsus morbum potentissimas tentationes in anima sua sensit, vicit tamen eas auxilio Spiritus S. & lumine ac consolatione viuifica cœlestis verbi restitutus etiam fuit corporis sanitati pristinæ; fideles nauantibus Doctoribus Medicinæ suas operas. *Tom.* 3. Ien. *fol.* 402. *Lutherus morbo correptus.*

Combustus est hoc eodem anno Leonhardus Cæsar in Bauaria propter adsertionem veritatis Euangelicæ voce Episcopi Passauiensis ad ignem condemnatus, die 16. Augusti, Scherdingæ vide *Tom.* 3. Ienens. *fol.* 409. *Leon. Cæsar in Bauaria combustus.*

Cæterum Anno Christi 1529. promulgatum est decretum Spirense aduersus Euangelicos & requiritur restitutio Missæ, sed Euangelici principes & ciuitates contra istud decretum cum Dei gloria & hominum salute pugnans *Decretũ Spirense contra Euangelicos ordines.*

M

grans publice protestati sunt, vnde origo nominis PROTESTANTIVM Euangelicis dati primum fluxit, vt habet Schleidanus *lib.6.*

Magna Comitia Augustana. Sequuta sunt Augustana Comitia Anno 1530. per totum Europæum orbem clarissima & celebratissima, in quibus confessio fidei ab ordinibus protestantium solenniter Carolo V. Imperatori exhibita fuit, totam historiam descripsit Schleidanus Comment. *lib.7.*

Chytræi historia confessionis Augustanæ. Imprimis vero Dn. D. Chytræus Theologus Rostochinus iustum de his comitiis volumen conscripsit quod Francofurti ad Mœnum impressum publice extat. Et acta horum comitiorum plurima ex parte *Tom.5.* Ienensi Germanico, sicut à Spalatino & aliis connotata fuerunt inserta sunt & incipiunt *fol. 33.* Pontificii tum spirarunt ignem & flammas aduersus status Euangelicos.

Clemens 7 p. crudelis. Matæologi papicolæ multos libros aduersus Lutherum editos Augustæ in comitiis venum exponi curarant: Et animus Clementis 7. papæ fuit, prorsus in sanguine suo natantem cernere Germaniam, quo etiam Bononiæ in coronatione Cæsaris omnia consilia direxerat anno proxime antegresso, vt nimirum Lutherani armis delerentur. Quo Marcellus Palingenius Italus, poeta Stellatus festiuus Monachorum & Antichristi exagitator manifeste alludit in suo Capricorno siue *lib.10. pag.287.*

Atque rogant quidnam Romana ageretur in vrbe?
Cuncti luxuriæ atque gulæ furtisque dolisque
Certatim incumbunt, nosterque est sexus vterque
Respondit: sed nunc summus parat arma sacerdos
Clemens, Martinum cupiens abolere Lutherum
Atque ideo Hispanas retinet nutritque cohortes:
Non disceptando, aut subtilibus argumentis
Vincere, sed ferro mauult sua iura tueri
Consilium valeat, valeant commenta Lutheri.
Pontifices nunc arma iuuant, sunt cætera nugæ,
Nec præcepta patrum, nec Christi dogmata curant, &c.

Campegius. Cardinalis Campegius in comitiis his Augustanis non dubitauit crudelitatem suam his verbis prodere: Cæsarem vel regna omnia sua in discrimen ponere potius debere, quam confessionis progressum ferre: potius Lutheranos vi opprimendos esse.

Episcopus Saltzburg. Et Matthæus Langus Episcopus Saltzburgensis, Res (dixit) eo deductæ

ſunt, vt partem vnam ab altera deleri neceſſum eſſet. Selneccerus & Chytræus ſæpius dictis locis. Ipſemet Imperator vltimo in comitiis decreto proteſtantibus exilium ſeuere minatus fuit.

Huiuſmodi pluribus aliis animi principum & ciuitatum proteſtantium tentati fuerunt: vt abſtraherentur à defenſione veritatis, ſed remitto lectorem ad Schleidanum & reliquos, qui de his omnibus plenas conſcripſerunt hiſtorias.

Dehinc pacis conditiones à proteſtantibus receptæ ſunt Anno 1532. quibus Cæſar pacem publicam totius Germaniæ ſanxit, & ne religionis cauſa cuiquam vlla crearetur moleſtia, edixit, ad vſque concilii tempus: aut ſi nullum fiat, tantiſper, donec per ordines imperii alia fuerit inuenta ratio diſſidium hoc ſanandi. Proteſtantes inuicem, qui tum ſeptem erant principes & ciuitates viginti quatuor, obedientiam & officium Cæſari & auxilia aduerſus Turcam detulerunt, vt è Schleidano fuſius *lib.* 8. habes. *Pax religionis.*

Anno ſequente contra Euangelicos à Georgio Duce Saxoniæ inſtituta fuit ſæua perſequutio & in exilium aliquot ciues Lipſenſes eiecti fuerunt, vt Schleidanus habet *libro* 9. vide etiam *Tomum* 6. German. Ienenſ. *fol.* 6. *Exules quidam ciues Lipſenſes.*

Eadem ſub temporum tempeſtate exarſit funeſtus furor Anabaptiſtarum, non minus quam Papa aduerſus euangelii curſum dira minantium: horum ductores & anteſignani fuerunt Sartor quidam nomine, Iohannes Leidenſis Hollandus Rex: Bernhardus Rotmannus initio bonus Lutheranus, ac poſtea tanto fœdior Apoſtata, Hermannus Strapeda: Bernhardus Knipperdollingius ante hac conſul Monaſterienſis, & Bernhardus Krechtingus paſtor quondam Gylthuſianus: qui magnifice iactarunt ſe nunc peculiare mundi regnum erecturos omneque impium peſſundaturos: facultates omnes in commune contulerunt, Polygamiam probarunt & exercuerunt, viſionibus & raptibus plurimum tribuerunt, multa homicidia deſignarunt, ſed tandem per Philippum Haſſiæ Landgrauium & Epiſcopum Monaſterienſem nidus eorum, vrbs Monaſterienſis expugnatus eſt, & tres prius dicti eorum Coriphæi, Iohannes Leidenſis, Knipperdollingius & Krechtingus candentibus forcipibus primum lacerati, aduſti & tandem mucrone *Tragœdia Anabaptiſtarũ Monaſterienſium in VVeſtphalia.*

M 2 tranſ-

transacto confossi & inclusi cancellatis caueis ferreis de summitate editiotis turris ad S. Lampertum suspensi sunt, quemadmodum historia horum omnium extat publice autore Antonio Coruino ad Georg. Spalatinum VVitebergæ excusa Anno 1536. Vide eadem de re *Tom.6.* Ien. *f.315.&316.*

Concilium Mantua.

Annis sequentibus serio vrsit Imperator vt concilium indiceretur à Papa vt pax Ecclesiæ restitueretur, cui tandem spe vindictæ aduersus Lutheranos opprimendos gratificatus est Papa & indixit Mantuæ celebrandum concilium, quo audito conuenerunt iussu principum protestantium, præcipui totius Germaniæ Theologi, qui Augustanā confessionē professi sunt: Et de volūtate principum & Theologorum Lutherus certa conscripsit capita Religionis Euangelicæ proponenda & defendenda in futuro concilio, siue Mantuæ siue alibi cogendo, *Tom.6.* Ienens. *fol.509.*

Antinomi.

Subotti sunt deinceps Antinomi, autore Iohanne Islebio Agricola Scholæ Islebiensis Rectore & professore homine leui & profano, qui post Lutheri obitum vna cum Iulio Pflugio Episcopo Naumburgensi & Michaele Heldineo alias Sidonio Episcopo Meisburgensi impium librum INTERIM conscripsit: Contra hunc fanaticum Lutherus sex disputationibus publice & solenniter habitis processit, & errores ipsius grauiter è verbo Dei perstrinxit.: inspice *Tom.7* Ienens. German *fol.285.*

Studiosus adolescens Lutetia combustus.

Interea nec Antichristus cum suis squammis quieuit, nam Tholosanus quidam adolescens nobilis & literarum studiosus viginti circiter annorum, Parisiis fuit exustus propter esum carnis, vt recenset Schleidanus ad annum 1538. *lib.12.* Celebratum quoq; est Anno Christi 1540. colloquium Haganoæ de quo Lutherus ad Serenissimum Electorem Iohannem Fridericum sic inter alia: Weil Magister Philippus jetzt mit gen Hagenaw zeucht zuhören der Falschen Larven fürgeben / die vns mit Frauwen mahlen wollen wie sie ... / so sie doch vnsere Feinde / gewißlich all vnser verderben suchen / &c. *Tom.7.* Ienens. Germ. *fol.390.*

Conuentus Haganoæ.

Robertus Barnus in Anglia Martyr.

Circa idem tempus in Britania Londini combustus est, Robertus Barnius Doctor Theologus cuius Martyrii gloriosi historiam recitat Lutherus ibidem *fol.391.* & Sleidanus *lib.13.* Secuta mox sunt colloquia VVormaciense & Ratisbonense quibus vnice pontificii studuerunt vel minis vel armis cursum & progressum Euangelii impedire. Vide Schleidanum *lib 14.* Grauis quoque persecutio in Anglia præside Bartholomæo quodam Chassanæo iurisconsulto æstuauit, vt ibidem Schleidanus.

Colloq. VVormaciense & Ratisbonense.

Persecutio in Anglia.

Hermannus Episcopus Coloniensis desiderat. Archi...

Cum Anno 1543. Hermannus Archiepiscopus Coloniensis diu secum deliberatam suarum Ecclesiarum reformationem in actum deducere voluit, mox senatus, Clerus & populus Coloniensis Papicolarum aliquot literis

teris impie intersilientibus & dissuadentibus restitit operi reformationis, vt in hoc vsque tempus Colonia Agrippina clausas contra Euangelion tenuerit ianuas, nec Christum exploso filio perditionis hospitio receperit, de quo Schleidanus *lib.* 15. *episcopatus sui reformationem.*

Eodem tempore Euangelicus concionator Petrus Brulius in Galliis Tornaci exustus est, & Senatus Hildeshemensis à canonicis ob mutatam religionem accusatus accepit à Cæsare mandatum vt restitueret in suis Ecclesiis papatum. Schleidanus *lib.* 15. *&* 16. Papa etiam concilium hactenus prorogatum Mantua & Visentia transtulit Tridentum, & ad bellum contra Lutheranos inceptandum quingentos equites & duodecim millia peditum promisit, vt Schleidanus commemorat *lib.* 16. Quod cum innotuisset, scripsit Lutherus aduersus Papatum Romanum (vom Teuffel gestifft) neruosum scriptum quod extat *Tom.* 8 Ienens. German. *fol.* 208. *Petrus Brulius Martyr. Senatus Hildeshemensis. Papa indicit concilium Tridentinũ, & bellum incrustat.*

Eodem Anno cum Imperator Carolus V. & Romanorum Rex Ferdinandus & Cardinalis Farnesius legatus pontificius comitiis VVormatiensibus interessent, Franciscanus quidam monachus in præsentia summorum istorum Heroum pro publica concione inter alia sic dixit: Ornauit te (Cæsar) Deus ingentibus beneficiis teque constituit Ecclesiæ defensorem. Quapropter exere vires tuas & pestiferum illud genus hominum (Lutheranos) tollas è medio: Nefas enim est eos diutius intueri solem qui sic omnia polluunt atque confundunt. Neque vero dicas te facturum, iam enim, iam inquam fieri debet, nec interponi moram vllam oportet. Schleidanus. *libro* 16. *Comitia VVormatiensia. Concio seditiosa.*

Hæc ferme præcipua fuerunt impedimenta, bella, minæ, iræ, exustiones, colloquia, insidiæ & crepitacula quibus Antichristus & eius satellites progressum verbi cœlestis adhuc viuo Luthero retardare voluerunt: Omisi tamen multa, id genus alia quæ Episcopi aliquot in Germania, vtpote Bambergensis, Ratisponensis, Spirensis, Argentinensis, Augustanus, Constantiensis, Basiliensis, Frisingensis, Passauiensis, Herbipolensis, Brixiensis & reliqui publicarunt aduersus Lutherum & eius è verbo Dei depromptam sacram Theologiam editas bullas, minas, decreta, comminationes, &c. De his etenim omnes ferme historiæ recentiores loquuntur prolixe & perspicue, ad quas lector beneuolus remissus sit. Nec opus est longe hic percensere, quam hostiles conatus & ausus pontificii aduersus nostras Ecclesias clam palamve ediderint, & multos Martyres Christique confessores è medio per flammas & omnis generis tormenta propter veritatis cœlestis adsertionem sustulerint, de quibus Ludouicus Rabus, Franciscus Meteranus, D. Paulus Crocius & horum similes alii plures grandia volumina scripse- *Historia Martyrum.*

Conclusio huius sectionis verbis D. Maioris. runt. Concludo hanc sectionem saltem D. Georgii Maioris verbis quæ sic habent: Hæc certamina (inquit ille) tum temporis huic Scholæ VVitebergensi conflabant odia & attrahebant pericula ingentia, conspirantibus in caput nostrum atque perniciem non tantum plurimis ac diuersis satellitii Pontificii cohortibus è sacrificulorum & Monachorum latebris, sed Monarchis summis ac principibus præcipuis orbis Christiani qui mutationem in perantiqua Religione nullam fieri volebant, nec fieri posse prospiciebant, quin & ordini religioso & imperio inclinationem adferret.

Idcirco hi & insidias experiebantur & minitabantur vim manifestam. Illi cum insulsę stolidæque sophistices retectas iam toti orbi præstigias, frustra se admouere oppugnandæ veritati cernerent, exasperabant odia potentum & ad iniustam sæuitiam quam primum vsurpandam hos incitabant vel aperto bello, vel crudelitate suppliciorum. Hæc D. Maior quæ & hac vice sufficiant.

SECTIO VNDECIMA.

Quod veritas Euangelica inter tot tentationum & conflictuum spinas, veluti lilium nihilominus progerminarit, & radios suos vndiquaque fusissime proiecerit.

Veritas triumphat frendentib. inimicis. LICET Papa & eius manipulares veritati nullo modo herbam dare, & sublato cedere voluerint digito, sed, cum sibi vlcus tangi sentirent igni ferroque minarentur potius & pugnis calcibusque resisterent sono Euangelii non aliter ac Bæoticæ sues audito clangore, & veluti Epirotici canes mores suos, de quibus ne latum pilum recedere voluerunt, mordicus toto corpore & vnguiculis retinere anniterentur, secundum commune diuerbium: Ægrotanti omnia amara, &c.

Non tamen veritas inter tot Cyclopum minas & pressuras potuit opprimi. Sed quo magis pressa fuit eo potentius effulsit & Papam prostrauit fortius veluti repentina procella, vt euenerit Antichristo id quod culici quoties sese lychno committit, & amittit alas, vnde natum est festiuum istud distichon:

Ah si fecisses missum Papa Sancte Lutherum:
Haud tua tam misere perdita regna forent.

Lutherus in principio horum certaminum non proposuerat sibi vsque huc contra Papam procedere, siquidem se obedienter humiliauit omnia sua iudicio & Censuræ solii Romani & Ecclesiæ subiiciens, verum prouocatus, irritatus, lacessitus, clamore indoctorum Monachorum & aliorum qui superbis titulorum fragoribus turgebant, & quotidie anathemata & Centauricam aduersus Lutherum intonabant Musicam, ingressus fuit hanc palæstram, & dies diem docuit, donec tandem tenebris Pontificiæ superstitionis successiue discussis & subtilioris veneni erroribus dextre refutatis, recte explicarentur controuersa dogmata deque his vna perspicua, certa atque Propheticis & Apostolicis scriptis probatisque symbolis consentiens doctrinæ norma ad posteritatem comprehenderetur: Vir etenim Dei cum suis parastatis indies magis magisque in scripturas & earum meditationem adigebatur ab aduersariis, sic quo magis scripturas triuit, eo magis dulcescendo ei factæ sunt & gratiores & notiores. Puteus siquidem si crebro hauriatur, melior euadit.

Lutherus præter mentem in hanc aciẽ diuinitus protractus.

Nec heroicus Lutheri animus veritatem deserere, & mendaciis Sophistices cedere potuit, sed retudit illam potius sicut littus assilientes frangit vndas, quẽadmodum Paulus de se & suis Symmistis sancte prædicat, Non possumus, inquiens, aliquid aduersus veritatem: sed pro veritate 2. Corin. 13. *vers.* 8.

Occurramus, ait idem, omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris: Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia. *Ephes.* 4. *versiculo* 14.

Sicut omnis res (inquit Iohannes Chrysostomus in 21. Matth. Homil. 40.) quæ percutit lapidem, ipsa quidem colliditur lapidem autem non lædit: Sic & omnis qui cõtra veritatem Euangelicam agit, se quidem ipsum corrumpit, veritati autem non nocet.

Persimiles sunt ergo Papistæ Euangelii cursum inhibere volentes, illis, qui flammam quidem extinguere petunt, oleum autem pro aqua instillantes, ardentiorem illam faciunt, & sicut

ignis rubum ardebat sed non consumpsit, aut cum lignatores syluam cædunt & nihilominus plures propagines pullulant ab radicibus quam rami inciduntur: ita, inquam, quo magis papistæ progressum Euangelii inhibere voluerunt, & complures ob confessionem veritatis vel interfecerunt vel in exilia vel carceres egerunt, tanto plures quotidie ad doctrinam Euangelicam accesserunt. Sicut Theodoretus etiam de sui seculi incremento Ecclesiæ scribit totidem his verbis in libello de Græcorum cura.

Statim ac Lutherus pudefecerat buccinatores indulgentiarum & sensim emergeret è paludosis lacunis stercoramentorum Scholasticorum & Sophistarum articulus de pœnitentia & iustificatione peccatoris coram Deo, amplificari & dilatari Ecclesia quotidie cœpit, & accesserunt ad Lutherum indies plures, qui adstipulati sunt luci verbi cœlestis, cuius prolatæ gloriæ & claritati, seu agnitæ veritati refragari diutius non potuerunt, & licet μυρμήκια Ecclesiæ & Scholæ VVitebergensis misertime & hostiliter odiis plurimorum prægrauata infinitis peteretur insidiis, eo tamen gloriosius extulit sui nomen & famam in vniuerso Europæo orbe, aduersus tantam molem periculorum & insidiarum interim excubante filio Dei cum phalangibus Angelicis.

Potenter inclarescit Euangelium.

Qua ratione Luthero suffragati omnium primum sint Maximilianus I. Imperator, Fridericus cognomento Sapiens Elector Saxo, D. Martinus Polichius Mellerstadius, D. Iohannes Staupicius, Vlricus Huttenus, D. Iohannes Fleckius, D. Albertus Crantzius, Iohannes Auentinus, Erasmus Roterodamus, similesque multi alii & Ecclesia, Senatus, & Academia VVitebergensis supra enumerauimus. Hoc tamen ingrato silentio non est dissimulandum quod statim anno post impugnatas indulgentiarum putridas merces proximo nimirum 1518. M. Philippus Melanchton singulari prouidentia diuinitus Luthero adsociatus & parastates datus sit, euocatus ex Academia Tubingensi Theologus & Philosophus (sic loquitur de eo D. Conradus Schlusselburgius in oratione de vita & obitu D. VVigandi *pag.* 11.) ætatis suæ post Lutherum facile princeps & omnium ferè in his gentibus eruditorum communis præceptor: Et quidem Iohannes Capnio alias Reuchlinus Phorcensis Sueuus nomine serenissimi Electoris cum Philippo qui tum sextum annum Tubingæ vixit, egit & author extitit, vt conditione oblata vteretur, ac in literis ad Philippum inter alia sic scripsit vaticinans. Ecce adsunt literæ piissimi principis manu ipsius subsignatæ, quibus pollicetur tibi beneficum ac propitium se fore. Quare nũc haud affabor te poeticè, sed vera vtens Dei promissione Abrahæ fideli facta

P. Melanthõ diuinitus Luthero adiunctus.

Reuchlinus hortatur Melanthonẽ vt VVitebergã commigret.

Vaticinium Reuchlini.

facta *Genes.* 12. Egredere è terra tua & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero, faciamque te in magnam gentem & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum erisque benedictus. Ita mihi præsagit animus de te mi Philippe, meum cor & meum solarium. Hactenus Capnio. Integra Epistola extat in 5. libello Epistolarum Eobani Hessi per Camerarium *P. M. abit* editarum. E. 8. a Discedente Philippo Tubinga Georgius Simlerus Præce- *Tubinga.* ptor & vir erudirione præstans, deplorandum esse toti ciuitati eius abitum dixit & subiecit: Quotquot ibi essent docti homines, non esse tam doctos, vt intelligerent quanta esset doctrina eius, qui inde euocatus discederet. Venit autem VVitebergam 25. Augusti, qui fuit dies Mercurii vt patet ex 5. *Tom.* declamat. Philipp. *pag.* 387. Hunc Melanthonem tum temporis iuuenem annorum ætatis viginti duorum Lutherus humaniter suscepit, *Humaniter* qui rursus Lutheri fidelis παραστάτης, contra Papam & calumniatores inui- *susceptus Me-* ctus vindex exstitit, sacrarum literarum explicator simul solertissimus & *lanchton à* veritatis cœlestis strenuus patronus, optimarumque disciplinarum & ar- *Luthero præ-* tium & instaurator & conseruator. Itaque quod Epicharmo insigni olim *stantissimus* Medico & Comico Epitaphium Theocritus scripsit, verius de hoc orna- *Philosophus* mento Germaniæ Philipp. Melanthone dici posset: *& Theologus.*

Πολλὰ γὰρ ποτὶ τὰν, ζωὰν παισὶν εἶπε χρήσιμα
μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Hoc est:

Vtilia ad vitam pueris quia plurima scripsit
Magna illi habenda est gratia.

Etenim Deus optimus Maximus hunc virum Luthero adsociauit ex sin- *Laus Ph. Me-* gulari gratia vt mutuo fideles præstarent operas sicut olim in veteris & noui *lanchtonis.* fœderis ecclesia binos & binos misericorditer coordinatos in vineam suam misit, vt testantur exempla Moysis & Aaronis, Eliæ & Elisæi, Pauli & Barnabæ, & postea in ecclesia à morte Apostolorum primitiua, Polycarpi & Ignatii, Irenæi & Clementis Alexandrini, Athanasii & Hilarii, Basilii Magni & Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi & Epiphanii, Ambrosii & Augustini, similiumque aliorum de quibus breuitatis ratione taceo. Eadem inquam ratione Luthero ceu Antesignano & aduersus Antichristum, filium illum perditionis spiritu oris Domini conficiendum vexillifero adiunctus fuit Melanchton, quem etiam Deus excellenti ingenio, sapientia, eruditione, eloquentia, beneficentia, iudicio, pietate, sedulitate laborum in docendo, modestia, mansuetudine, castitate, & multis aliis virtu-

tibus ornauerat & instruxerat, quarum adminiculo sub adiutorio altissimi suas cum Luthero fideles coniūxit operas: & fuit vna eademque mens, scopus voluntas studium finis & intentio ambobus, nec labor eorum in Domino fuit irritus vel vanus.

Melanchton cum Carolstadio & Luthero interfuit disputationi Lipsiensi. Vix annum substiterat vnum Philippus VVitebergæ mox Anno 1519. celebrata est disputatio Lipsica inter Iohannem Eccium & Lutherum: In ea Philippus cum Luthero comparuit. Et suas partes gnauiter obiuit, sicut in huius rei testimonium esse potest Philippi Epistola ad Oecolampadium, contra quam Eccius cum scripsisset excusationem: rursus Philippus opposuit defensionem. Extant ambo scripta in 1. *Tom.* operum latinorum Lutheri impressorum VVitebergæ *fol.* 356. *&* 359. item I. *Tom.* latin. operum Lutheri Ienens. *f.* 361. *&* 364. Sermo Eccii in ea disputatione ad Philippum fuit inter alia: Tace tu Philippe ac studia tua cura: ne me perturba. vide 5. *Tom.* declam. Philipp. *p.* 274.

Lutherus humaniter scribit ad Melanchtonem. Ad eundem suum fidum Collegam Philipp. Melanthonem anno præcedente è comitiis Augustanis etiam scripserat Lutherus, & hortatus fuerat vt strenue pergeret iuuentutem docere veræ pietatis rudimenta & fundamenta: Verba Lutheri affectuosa sunt: Beweise vnnd erzeige dich als ein Mann / wie du ohn das thust / vnnd lehre die Liebe Jugendt was Recht vnd Göttlich ist / ich gehe hin / mich für euch vnd die Liebe Jugendt zu Opffern / so es dem Herrn gefält / ich will lieber sterben / rc. Gehabe dich wol lieber Philippe im Herren / vnnd wende ab Gottes Zorn durch dein Rein vnnd brünstig Gebett. Geben zu Augspurg. Anno 1518.

Huic consilio obsequiosus optimus Melanchton gnauiter officii sui partes obiuit, nam successu temporis omnem doctrinam quasi vagam & dissipatam collegit & ad certam rationem ordinem & methodum reuocauit, & tandem in singulare nostri seculi ornamentum & decus Germaniæ summum euasit, hoc si quis negare ausit, eo ipso semel arguit quod nunquam in vita eruditum degustauerit puluerem.

In Ecclesia Pragensi quidam dant suffragia doctrinæ Lutheri. Cæterum post disputationem Lipsensem potentius gloria Euangelii effulsit, nam veritatem agnouerunt in Ecclesia Pragensi D. VVenceslaus Rosdialouinus & D. Iohannes Puduska, quorum nomine Epistolæ gratulatione, & gratiarum actione ad Lutherum plenæ extant, scriptæ eodem anno 1519.

Itemque in Ecclesia Basiliensi. Ex Academia Basiliensi Iohannes Frobenius non solum Lutheri scriptis suum adiecit calculum, sed aperte scripsit, se sexcenta exemplaria præcipuarum Lutheri lucubrationum misisse in Hispaniam & Galliam, quæ pu-

blice Parisiis vendita &, à multis approbata sint, & vt quisque optimus sit, ita Lutheri maxime sit studiosus. Imo quod Cardinalis Sedunensis, postquam libros Lutheri legisset, in hæc verba cum gemitu eruperit, Luther, Luther, tu vere es Luther.

Cardinalis Sedunensis.

Staupitius etiam post finitam disputationem Lipsensem literis pie scriptis Georgium Spalatinum in agnita veritate confirmauit & exhortatus est eundem vt suasor sit Serenissimo Electori Frederico ad perseuerantiam in orthodoxa sententia intuitu summæ & æternæ veritatis. Epistola hæc inter reliquas extat *Tom.*1.Latin.Ienens.*fol.*384.*f.*2.

Staupitius ad Spalatinum.

Nec enim vir Dei Lutherus interim dum in odio Papæ esset & mille insidiis minis & anathematismis quotidie quassaretur, cessauit Ecclesiam publicis erudire scriptis: Sed edidit inter medios istos conflictus sermones de duplici iustitia: de salutari meditatione passionis Domini: de Baptismo: de præparatione ad mortem: item enarrationem Epistolæ ad Galatas: item resolutiones siue declarationes propositionum suarum Lipsiæ disputatarum de primatu Papæ: Non censuit enim officio timide vel oscitanter vacandum, licet Papa Romanus, præ indignatione iniusta vel medius rumperetur.

Hæsit hoc tempore Iohannes Oecolampadius Augustæ Vindelicorum, & sacrorum panegyristen egit, vtque Theologicæ literæ pure ac simpliciter docerentur summe adnixus fuit, quem & Melanchton in veritate pientissime confirmauit, dans simul Luthero honorificentissimum testimonium his verbis: In Luthero iam longo vsu mihi familiariter cognito, viuax ingenium, eruditionem & facundiam admiror, sincerum & pure Christianum animum non possum non deamare, & cæt. 21. Iulii Anno 1519. P.M.

Oecolampadius Augusta Vindelicorum literis à Melanthone salutatur.

Exsplenduit aurora Euangelicæ lucis eodem tempore & iam in Eremum Heluetiorum, qua illuminatus præ reliquis primum fuit M. Huldericus Cinglius qui studia sua Basileæ, Bernæ & Viennæ Austriæ excoluerat, & tum temporis Claronæ ad ortum Rheni in florentissimo oppidulo sacerdos Monasticus exstiterat, sed inde vocatus Tigurum pastoris officium publicum & primarium sustinuit. Cumque Papæ Romani nomine quidam impostor indulgentiarius Tiguri crumenas mendaciis & proiectis ampullis suis quateret Zelo Theologico secundum scientiam & conscientiam prosiliit Cinglius & circumforaneum istum vanitatis & mendaciorum è verbo DEI conuictum toti ciuitati deridendum propinauit & abrogauit postea nu-

Cinglius Gladius Papæ [illegible] tui.

Secta Cinglianorum qualis.

galia Papæ, inuexitque in Ecclesiam & Scholam Tigurinam Euangelicam religionem & multum eo tempore adiuuit progressum Euangelii & confusionem Antichristi Romani. Optandum sit hunc virum alioqui doctum ingeniosum & laboriosum post hæc non seductum fuisse ab Andrea Carolstadio: hac enim occasione diuortium fecit ab Ecclesiis Luthericis, & singularem sectam exsuscitauit, cuius mos & processus hic est, vt mysteria articulorum fidei regulis Philosophicis metiatur, vnde plurimi articuli fidei inter huius sectæ sectatores ieiune vrgentur, nonnunquam etiam impiis consequentiis prorsus inaniuntur & amittuntur. Multos habuit & habet hæc apostasia approbatores, siquidem eorum confessio vt plurimum sapientiam humanam resipit, quæ ceu cancer & gangræna homines securos & humana ratione excultos inuadit, corripit & possidet. Fideliter præmonuit Paulus *Collos. 2. versicul.* 3. contra istam carnalem sapientiæ rationalis pruriginem cum ait: In Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt abscondití, hoc autem dico, vt nemo vos seducat in sublimitate sermonum.

Et mox: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Et Rom. 1 *versicul.* 12. inquit rursus: Vani facti sunt in ratiocinationibus suis. & *1. Corinth. 1. versicul.* 21. Postquam in Dei sapientia mundus non cognouit Deum ex sapientia, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes, & 2. *Cor. 6. versicul.* 14. Ne impari iugo copulemini cum infidelibus, quæ enim μετοχὴ iustitiæ cum iniquitate? quæ κοινωνία luci cum tenebris, quæ συμφώνησις Christi cum Belial, &c. *Rom.* 8. *versicul.* 7. Sapientia carnis est inimicitia aduersus Deum. Legi enim Dei non est subiecta nec enim potest. Vnde & monet 2. *Cor* 10. *versic.* 5. vt intellectus humanus captiuetur in obsequium fidei: Grauissime etiam Lutherus in libro de captiuitate Babylon. Quid si, inquit, Philosophia hæc non capit? Fides tamen capit: Maior est verbi Dei autoritas, quam nostri ingenii capacitas, maior Spiritus sanctus quam Aristoteles. Verum hæc obiter. Non est enim huius instituti & argumenti. Reuertamur eo vnde digressi sumus.

Lutheri grauis admonitio.

Cum Doctor Lutherus Anno 1520. VVitebergæ ius canonicum combussisset proxime sequente die post lectionem Psalterii vehementer & grauiter monuit vt à regno Pontificio sibi caueret quicunque suę saluti consultum esse cuperet. Verba eius penetrantia sunt, ideo huc pono formaliter: Wo jr nicht von gantzem Hertzen deß Bapsts lästerlichem Regiment widersprechet/ könnet jr nicht Seelig werden/ dann deß Bapsts Reich ist so gar dem

Reich

Reich Christi/vnnd Christlichem Leben zu wider / daß besser vnnd sicherer were in einer Einöde / da kein Mensch zusehen / zuleben/ denn in vnnd vnter dem Antichristischen Reich zuwohnen/darumb sol sich ein jeder Christ wol versehen/ so lieb jhm seiner Seelen Seligkeit ist/daß er Christum nit verleugne/ welches gewiß geschicht wo ers mit den Papisten helt. Er muß Ewig in jenem Leben verloren seyn. Vide *Tom.* 1.Germanic. Ienens. *pag.*453.*fac*.2.

Seuera hæc verba Lutheri ingressa sunt & penitus perculerunt animos vniuersi populosissimi auditorii VVitebergensis & in omnem Europam per literas studiosorum emanarunt, vt ab eo tempore per hanc occasionem in vsu continuo fuerit prouerbium prorsus notum & tritum: Quo longius à Papa eo melius. Quod diuerbium ceu publicum aliquod proclama Erasmus Roterodamus suis adagiorum Chiliadibus inserere non dubitauit sub titulum: Proficientium in melius. *Pag.*1512.& 1526. posterioris editionis VVechelianæ: Addit etiam Erasmus hanc commentatiunculam. Lutheri viui vox fuit,inquit, quæ in Galliis prouerbii loco hoc tempore à Gallis dicitur, qui totis pectoribus Papam abhorrent & detestantur: Voci enim divinæ, Exite, exite ex ea, popule meus Apocal. 18. obtemperandum putant, vt hac nimirum locutione in summis fidei articulis & in ritibus nulla sit quoque propinquitas & conformitas, cum Antichristo. Hæc ille.

Erasmus explicat Lutheri admonitionem.

Eodem anno quo ius prænominatum canonicum VVitebergæ combustum est,euulgauit Lutherus quoque scriptum, ad nobilitatem Germanicæ nationis de reformatione Ecclesiastici ordinis,quod extat *Tom*.1. Germ. Ien.*f*.288 quin etiam ad principes ac ordines imperii Epistolam satis prolixam statim ac VVormatiæ Anno 1521.à Cæsare proscriptus esset,euulgauit, in quo se ad causæ suæ disputationem & demonstrationem obtulit; *Tom*, 1. Ienens.Germ.*f*.452.

Anno 1521.primi Loci communes Philippi editi sunt cum præfatione ad Tilemannum Plettnerum, quæ in altera editione non est mutata, de quo libro Lutherus in præfatione de seruo arbitrio ad Erasmum,sic: Argumenta tua prorsus protrita sunt à me multoties, & per Philippi Melanchtonis de locis Theologicis inuictum libellum meo iudicio, non solum immortalitate sed canone quoque Ecclesiastico dignum cui tuus libellus comparatus,ita mihi sorduit & viluit, vt tibi vehementer compaterer, *Tom*.3.latino Ienens.*fol*.165.

Loci communes Theologici P. Melanthonis prodeunt quos Lutherus laudat.

Etenim Anno 1522. in Heluetiis palam Papæ errores repugnante frustra Hugone Episcopo Constantiensi, impugnati sunt & ministri verbi duxerunt vxores cum protestatione quod prohibitio honesti coniugii sa-

In Heluetiis profulget Euangelium.

gii sacerdotem autorem haberet Sathanam Iohann. Schleidanus *lib.* 3. *pag.* 41.*f.* 2.

In Ducatu VVirtembergico Martyres. Eodem anno in agro & ducatu VVirtenbergensi cum exularet princeps optimus maximus Vdalricus, plurimi Euangelio adsenserunt, contra quos Ferdinandus edictum fratris Caroli V. contra Lutheranos promulgatum vehementer vrsit, & aliquot Ministros Euangelicos, sicut etiam non paucos Laicos suspendio & capitis supplicio è medio sustulit, quemadmodum D. Lucas Osiander meminit, Epit. Hist. Eccl. Cen. 16. *lib.* 1. *capit.* 33. *p.* 87.

Lutherus euulgat Germanicum nouum Testamentum. Prodiit tum etiam Nouum testamentum in Germanicam linguam à Luthero translatum quo multum profuit patribusfamilias.

Carolus Dux Monsterbergius agnoscit lucem Euang. Serenissimus Dn. Carolus dux Monsterbergensis in Silesia comes Glazensis Dominus de Cunstad, & Podiprad, &c. Marchionatus in superiori Lusatia Regius Vicarius eodem anno lucem Euangelii sensit & professus est, vt patet ex Epistola scripta ad Lutherum, plena lachrymis & quiritatione aduersus Romanum Antichristum, qui cognatum suum potentissimum Regem Bohemiæ Georgium propter communicationem sub vtraque specie vsque in 4. generationem fulmine anathematis vibrasset, vnde domui Monsterbergensi cum primis illustri maxima nata huc vsque esset iactura & detrimentum. Epistola hæc lectu digna extat *Tom.* 2. Germ. *fol.* 142. *fac.* 2.

Hac occasione Bohemos hortatus est Lutherus ne sese iugo Antichristi Romani submitterent. ibidem *fol.* 143. *f.* 1.

Martinus Bucerus Monachus cum multis aliis recepit Euangelium. Sacerdotes mariti Euāgelici. In Germaniæ etiam plurimis locis multi Monachi & in his etiam Martinus Bucerus Selestadiensis Alsatus Dominicanus lecto Lutheri libro de votis monasticis cucullum monasticum & monasteria reliquerunt & Euangelii doctrinam amplexi sunt: Ministri Repurgatæ religionis Euangelici facti duxerunt vxores, quorum primus fuit Bernhardus Feltkirchius præpositus Kembergensis primo lapide à VViteberga vt Abr. Bucholzerus in Chronol. ad annum 1522. annotauit.

In Brabantia Martyres. Anno Christi 1523. Brabantiam ingressus est potissimum gustus Euangelicæ veritatis cum duo Monachi iuuenes Augustiniani Henricus & Iohannes sub inquisitore Hochstraten propter Euangelium Bruxellis comburerentur & Lutherus hoc nomine ad Brabantos consolatorium & didacticum Epistolium scriberet. *Tom.* 2. Ien. Germ. *fol.* 175. *f.* 2.

Lutherus ve- Porro Lutherus ipse Cucullum & habitum deposuit Monasticum & re

assum-

assumpsit honestum sacerdotalem amictum, quinetiam papisticæ & idololatricę ceremoniæ in templis VVitebergensibus abiectæ sunt anno eodem, nimirum vigesimo quarto vt Bucholzerus annotat, & videre est *Tom.* 2. Ien. *fol* 53. Germ.

stem exuit Monasticam.

Tum temporis sacra germanice recitari ceperunt, & sequenti anno 1525. publicauit Lutherus cantica Ecclesiastica sacra, quorum adminiculo Ecclesiæ Euangelicæ multum in religiosa pietate & deuotione profecerunt. Ordinatio Ministrorum Euangelii quoque instaurata est, eodem hoc anno, cum primus ordinandus esset Georgius Rorarius, penetrauit simul lux Euangelii in Borussiam.

Diuini cultus lingua Vernacula peragi ceperunt & prodierunt Psalmi Ecclesiastici Lutheri.

Etenim Albertus Marchio Brandenburgensis relicto ordine creatus est Dux Borussiæ à Sigismundo Rege Poloniæ & ducatum illum hæreditarium accepit, qui antea ad fratres ordinis Tentonici pertinuerat, vt ille qui ante hac Magister ordinis fuerat hac ratione deinceps Dux Prussiæ salutaretur. Idem is Albertus doctrinam Euangelii in ducatum Prussiæ idololatria papistica abrogata intorduxit, quēadmodum ex Funccio, Schleidano, & aliis recenset Lucas Osiander Epit. Hist. Eccl. Cent. 16. *lib.* 1. *capit.* 40. *pag.* 109.

Borussia illustratur luce Euangelii.

Anno sequente 1526. Illustrissimus Hessorum Princeps Philippus Academiam Marpurgensem sub Papatu fere collapsam instaurauit ac reformauit, cum enim superiori anno Ecclesiarum emendationem instituisset: Scholam quoque adiungendam esse iudicauit, quæ seminarium Ecclesiæ esset, in quo lux veræ & salutaris Euangelii doctrinæ, detersis pontificiorum aliarumque sectarum tenebris ac corruptelis clara & illustris ad posteros conseruata propagaretur.

Academia Marpurgensis reformata.

Splenduerunt in hac primis ab instauratione annis summi Theologi Erhardus Snepfius, Franciscus Lamberti, & post hos. Andreas Gerardus Hyperius, Nouiomagus Flander, & Iohannes Draconites, Carolstadius Francus Hebrææ linguæ callentissimus, Euricius Cordus poeta & medicus insignis, Eobanus Hessus Francobergius & alii multi qui, quantum in ipsis per Dei gratiam fuit, strenue adiuuerunt cursum lucis Euangelicæ. Vide Chronol. Funcii. *fol.* 17.

Lumina Marpurgensia.

Eodem anno Euangelium sparsum est in Pannoniam & Transyluaniam, dedicante Luthero quatuor Psalmos consolatorios Serenissimæ Reginæ Hungariæ & Bohemiæ Mariæ, & cæt. inspice *Tom.* 3. Germ. Ienens. *fol.* 288. *f.* 2.

Pannonia Transyluania.

Anno succedente 1527. visitatio prima Ecclesiarum in Saxonia *Visitatio*

institu-

Ecclesiarum Saxonicarũ instituta fuit, qua per idoneas personas inquisitum fuit, num pastores etiam ecclesias & sincere & diligenter docerent, & subditi verbum Dei attente audirent, & sacramentis à Christo institutis legitime vterentur & pie viuerent: de hac visitatione extat libellus Philippi latinus hoc anno editus tali titulo. Articuli de quibus egerunt visitatores in regione Saxoniæ: De hoc libello ipse Philippus in Epistola ad Camerar. *p.* 105. & Cam. in vita P. *p.* 109. mentionem facit.

Post prædictam Ecclesiarum Saxonicarum visitationem inclaruit fax Euangelica potentius etiam in ciuitatibus inferioris Saxoniæ vt Abrahamus Bucholzerus annotat ad annum 1527.

Brunsuuigæ instituitur Ecclesia reformatio. Brunsvvigæ statim Anno 1524. elucere cepit fax Euangelii, sed non potuit radios suos dilatare quod senatus & prælati papistici vehemẽter resisterent, sed tandem Anno 1527. consentiente senatu & ciuibus reformata est religio, & mox anno 1528. primus Euangelicus Superintendens constituitur M. Martinus Gorolotius Torga de consilio D. Lutheri euocatus: adiun-*Gorolitius & VVinckelius.* ctus huic fuit in coadiutorem Heinricus VVinckelius VVernigerodensis, vir placidus doctus moderatus: & in officio fidelis, qui antea Prior in cœnobio Iohannitarum Halberstadiæ & pastor ibidem ad S. Martinũ extiterat, sed quod noluisset amplius missificium publice exercere, inde fuerat di-*Autor Sanderus.* missus. Fuit inter selectiores ciues puriorem religionem expetentes præcipuæ autoritatis Autor Sanderus vir pietate prudentia eruditione & facundia præstans, cui constanter suffragatus fuit Doctor Leuinus ab Embden, *D. Medlerus D. Morlinus D. Kẽnitius D. Haiderich. D. Lyserus.* Syndicus eo tempore Reipubl. Brunsvvicensis. Præstantissimi ab eo tẽpore in Ecclesia Brunsvvicensi claruerunt Theologi & in omni literaturæ genere præcellentes, qui Ecclesias & Scholas immortali cum laude docuerunt & rexerunt; in quos suis eminet suis meritis D. Nicolaus Medlerus eo vocatus anno Christi 1545. D. Ioachimus Morlinus ex oppido VVittebergensi electorali oriundus, cui in Borussiam reuocato anno 1568. successit D. Marcelinus Kemnitius Britzensis Marchita Theologus toto terrarum orbe celebratus: & post hunc D. Iohannes Hederichius Iglauiensis Morauus. D. Polycarpus Lyserus VVinidanus Sueuus VVirtenbergicus, M. Andreas Pouchenius Gartelebiensis, M. Fridericus Petri Springensis Brunsvvigius: *Scholarum Rectores celebriores Brunsuuigæ.* viri certe omnes doctrina meritis, authoritate & pietate immortales. In Scholis claruerunt potissimum M. Iohannes Glandorpius Monasteriensis historicus & poeta nulli secundus. M. Bernhardus Orestes Horstanus, vir diligentissimus & exquisite doctus. M. Matthias Bergius Brunsvvicensis Philosophus & poeta insignis, D. Nicodemus Frischlinus Orator, poeta historicus celebris: quibus merito annumerandus videtur Iohannes Langius

gius Hauelbergensis & Martinus Baremius Brunſvvicenſis hoc tempore ad S.S.Coſmam & Damianum Goslariæ paſtor, vterque Philologus & linguarum peritia eminentiſſimus, quanquam & hic multos prætereo breuitatis cauſa vt lectori ſaltem inſigniores ſint cogniti, qui in celebri & ampla iſta Eccleſia & Scholis puritatem religionis & literaturæ per Dei gratiam ſuſcitarunt & propagarunt feliciſſime.

Eodem anno 1528. Religionis reformatio inſtituta eſt Lunæburgi fideles præſtante operas M. Friderico Henninges & accedente poſtea ſub comitiis Auguſtanis D. Vrbano Regio. Tandem etiam Euangelica lux exarſit in cœnobio ad S. Michaelem Ciſterſienſis ordinis, Abbate Reuerendiſſimo & Nobiliſſimo Dn. Herbordo ab Holle cui poſtea ſucceſſit Princeps pius & religionis purioris amantiſſimus Eberhartus ab Holle: Adiuncta eſt inſuper noua Schola quam in hodiernum vſque diem Magnificus, Reuerendiſſimus Nobiliſſimuſque Dn. Conradus à Botmar eiuſdem cœnobii Archrimandrita venerandus munifice alit & conſeruat: Et miniſterium Euangelicum in templo Michaelitano per duos miniſtros (inter quos ante annos non ita multos claruit Theologus & poeta præſtans M. Fridericus Dedekindus Neoſtadianus) exercetur qui à cœnobio large ſuſtentantur. In cætera ciuitate potiſſimum excelluerunt D. Chriſtophorus Hegendorphinus, Hermãnus Tulichius, Lucas Loſſius ſenior, Hieronymus Henningius polyhiſtor clariſſimus Thomas Mavverus, Albertus Lenicerus, Iohannes Battelius, Simon Braunius, Laurentius Rhodomannus, Hiobus Gigas, Hieronymus Rhudenius, &c.

Luneburgi reformatio. Fridericus Henninges Vrbanus Regius. Eberhart ab Holle. Schola ad S. Michaelem. Conrad. à Bothmar.

Populoſa & celebris Eccleſia Hamburgenſis (licet inuitis ibi canonicis) lucem purioris religionis obtinuit Anno 1528. Et ſane pridem antea M. Stephanus Kempenius, M. Henricus Scroderus & M. Fridericus Henningius purius ibi docuerant: Io. Bugenhagius VViteberga ſtatim Anno ſequente 1529. Hamburgum miſit, ex ciuitate Hamburgenſi oriundum M. Iohannem Æpinum multiplici linguarum & artium humanitatis eruditione ſicut & Theologica ſcientia præſtantiſſimũ, fructuoſe patrias Eccleſias docuit & rexit, præſertim tempore maledicti INTERIM vir plurimis de religione ſcriptis libris optime de Republ. Chriſtiana meritus. Habuit tandem fidelem paraſtatam M. Ioachimum VVeſtphalum, qui acriter & fideliter obſtitit I. Caluino ne Eccleſia Hamburgenſis, quemadmodum Bremenſis ad placita & blaſphemas conſequentias ſacramentariorum deficeret, vnde & immortale nomen venerabilis iſte Theologus à poſteritate non immerito reportat.

Hamburgi reformatio. Æpinus & Ioach. VVeſtphalus.

Claruerunt Hamburgi præterea præſtantiſſimi viri D. Paulus ab Eitzen *Pau. ab Eitzẽ*

Dau. Pensho r. Ioh. Hennichen. Georg. Stammioch. D. Philip. Nicolai. Iohan. Schelhamer. D. Dauid Penshorn, M. Iohannes Hennichius Dassiliensis & M. Georgius Stammiochius Brunsuicensis, cui tandem successit clarissimus Zelota D. D. Philippus Nicolai VValdeccensis acerrimus sacramentariorum profligator. Inter reliquos hodie ibidem inprimis clarent Reuerendi & doctissimi viri Dn. M. Iohannes Schelhammerus meritus & Senio venerabilis Theologus Practicus & Dn. M. Iacobus Reineccius scriptis aduersus loquutuleium Sophistam Bellarminum publicis clarus, quibus Deus misericorditer prolonget vitam, & requiem in sui nominis & Ecclesiæ prædictæ gloriam salutem & solatium.

Lubeca reformatio. Bonnus, Sarcerius, P. Vincentius, Eras. Alberus Draconites. In Imperiali & libera ciuitate Lubecensi magno desiderio flagitarunt ciues puritatem cœlestis veritatis Anno 1528. Sed obtinere statim non potuerunt, donec præterissent comitia Augustana Anno 1530. Post quæ finita Iohannes Bonnus religionem reformauit & post hos grauiter & pie ibidem docuerunt Erasmus Sarcerius Annæbergensis M. Petrus Vincentius Vratislauiensis D. Erasmus Alberus D. Iohan. Draconites qui aliquandiu hic vixerunt & aliquot erudita ediderunt scripta. Vide si libet plura in Saxonia Chytræi *pag.* 515.

Goslariæ reformatio. Goslariæ in vrbe Imperiali prorupit confessio Euangelii liberior anno mox 1521. & 1522. tandemque publice introducta fuit per Nicolaum Amsdorfium Magdeburga ad id missum Anno 1528. Docuerunt in hac ecclesia D. Iohannes Amandus & tandem D. Tilemannus Heshusius qui primam vocationem suam sortitus est in hanc Ecclesiam ad munus Superintendentis Anno 1552. vt recitat L. Hermann. Hamelmannus part. histor. Ecclesi. *pagin.* 5.

Magdeburgi reformatio præsente Amsdorfio. Magdeburgensis Ecclesia statim Anno Christi 1524. ad auroram Euangelicam emersit, & missus est eo à Luthero Nicolaus Amsdorfius quo rectore doctrina Euangelii feliciter ibidem progerminauit: claruerunt in præcipua hac Ecclesia & Schola præcellentes aliquot doctores quos vel nominasse satis est ad hoc institutum meum: vtpote D. Georgius Maior ludi magister, M. Nicolaus Gallus, M. Iohannes VVigandus pastores ad S. Vlricum, Erasmus Sarcerius & D. Tilemannus Heshusius pastores ad S. Iohannem & totius illius Ecclesiæ superattendentes: Scholam magno cum fructu & authoritate gubernarunt, M. Godeschalcus Prætorius M. Sigfridus Saccus tandemque M. Georgius Rollenhagius viri sane clarissimi & literatissimi. *M. Illyricus scriptor historica Ecclesiastica in centuriis Magdeburgensibus.* Intra hæc mœnia delituit M. Matthias Flaccius Illyricus tempore obsidionis Magdeburgici & maledicti INTERIM contra quod publicis multis etiam scriptis debellauit: Et cum aliis aliquot collegis videlicet Matthæo Iudice Iohanne VVigando Basilio Fabro, &c. historiam Ecclesiasticam

ſticam magnam centuriis certis diſtributam conſcripſit, quæ regno pontificio ſudes eſt in oculis.

Halberſtadenſes difficulter obtinuerunt reformationem religionis. Nam ſub Alberto Brandenburgico Cardinale Electore & primate Germaniæ canonici Halberſtadenſes curſum Euangelii præfracte aliquandiu & tyrannice impediuerunt: randem tamen circa annum Chriſti 1527. exercitium religionis & purioris conciones admitti cœperunt, licet pura religionis libertas vſque ad annum Chriſti 1540. eis per omnia non concederetur: vt Hamelmannus & Chytræus fuſius commemorant. *Halberſtadia reformatio difficilis.*

Similiter factum eſt Quedlinburgenſibus qui licet viderent clarorem Euangelii & anxie deſiderarent, iam pridem ante Comitia Auguſtana, non tamen reformationem ſacrorum ad verbum Dei inſtitutam potuerũt impetrare, donec ex hac vita abiiſſet Dux Georgius Saxoniæ Anno 1540. quo anno Iohannes VVinnigſtadius ad publicum paſtoratus officium vocatus & ſuſceptus eſt. Sicut ex publico quodam Germanico eiuſdem VVinnigſtadii ſcripto conſtat. *Quedlinburga reformatio.*

In hac Eccleſia potiſſimum eminuit M. Baſilius Faber & hoc tempore Reuerendus ſedatus, pius vir M. Andreas Leopoldus Naumburgenſis Superintendens, &c.

Eimbecæ in terra Grubenhagenſi fulgor Sanctæ Theologiæ & turpitudo idolomanias & mendaciorum Antichriſti patuit mox Anno Chriſti 1524, teſtimonium veritati perhibente M. Erneſto Baurmaiſtero Auguſtiniani ordinis intra muros Eimbecenſes Monacho, qui doctrinæ & eloquentiæ donis inſtructus, nænias indulgentiarum acriter perſtrinxit. *Eimbeca reformatio, M. Baumei.*

Aduenit huc etiam D. Godeſchalcus Croppius Heruordiæ ſtatim anno proxime inſecuto 1525. qui & ipſe cunis renaſcentis iſthic Euangelii gnauiter & fideliter adſtitit, licet rabioſe reſtiterint ſacrificuli & miſſifices ex vtroque collegio Alexandrino & B. Virginis. *D. Cropp.*

Iohannes VVinnigſtadius quoque in hac Eccleſia poſtea docuit, ſed peſſime ſe illico habitum fuiſſe, acerbiuſcule quiritatur in præfatione explicati ab ipſo Pſalmi 58. Tandem tamen CHRISTVS etiam hic contra Antichriſti crepitacula & ſpectra præualuit, vt inde à comitiis Auguſtanis Euangelica Religio ibidem tranquillum hoſpitium & halcyonia habuerit: In hac Eccleſia docuit aliquando Sacramentarius Albertus Hardenbergius ſed virus ſuum quod eo tempore tacite ſecum coxit & ruminauit non eructauit donec Bremam poſtea veniſſet, vbi aliquid *VVinniſtadius non bene habitus Eimbecæ. Alb. Hartenberg.*

auræ nactus abortum illum passus magnas & tristes ibidem tragædias & Ecclesiæ quassationes caussatus est. Longo nunc tempore & quidem vltra nos propemodum quadraginta sex sanam Euangelii Iesu Christi confessionem Eimbecæ inter alios vrsit & tutatus est Venerandus Theologus M. Johannes Velius Gottingensis vir quietus pius & longo rerum vsu præstans, cuius vitæ & laboribus clementissimus pater adhuc diu benedicat ex animo votum facio.

M. Velius Senex & emeritus Eimbecensium Theologus.

Anno 1529. Basileæ Missæ & imaginum abominatio templis eiecta: & contra introducta est vera Euangelii prædicatio id quod etiam factum est Bernæ, Constantiæ, Geneuæ, & in vicinis locis Helueticis & Allobrogum ad fines Galliæ sicut & Argentinæ, vt Schleidanus habet *libro 6.*

Basilea reformatio. In Heluetia.

Et ne cursus Euangelicæ veritatis amplius per vagos concionum discursus solum promoueretur, sed ὡς ἐν παρόδῳ ϗ ἐπιτομῇ quilibet fidei sui rationē nosset, euulgauit Lutherus Enchiridion parui Catechismi Germanici pagellis quidem breuem & succinctum libellum sed rerum Theologicarum amplitudine incomparabilem, in quo tot res quot verba, tot vtilitates quot apices contineri dicit D. Selneccerus, adeo vt istud Enchiridion iuste nominari queat parua biblia non ab homine sed Spiritus sancti digito conscripta, quibus incomparabiles fructus per Germaniam in Scholis iuuentutis & Oeconomia vir Dei edidit. D. Antonius Probus Superintendens Vinariensis tale huic Catechismo dat enocomion:

Lutherus edit paruum Catechismū.

D. Selneccerus de Catechismo paruo.

Viua Dei digito signata in corde Lutheri
Iste Catechismi verba libellus habet.
Scriptura succus latet hic, mel dulce, medulla
Plus ea sex Mundis gemmula mille valet.

Tilemannus Heshusius D. & Theologus Neuburgensis Palatinus Anno 1569. de minore Catechismo hoc grauiter & vere sic triumphat. Was der Fromme getreuwe GOtt durch den lieben Seeligen Catechismum / den er durch seinen Außerwehlten Werckzeug Martinum Lutherum Seeliger Gedächtnus wider auff die Bahn gebracht / zu vnseren Zeiten hab außgericht / wie er das Reich seines Sohns dardurch erweittert / dem Verdampten Antichrist abbruch gethan / vnnd (jhm sey ewig Lob.) den Grund vnsers Christlichen Seeligmachenden Glaubens also an die helle Sonne gesetzet / dz die kleinen Kindlein vnd einfältige Dienstbotten ihres Glaubens besser Rech-

D. Til. Heshusius de eodem.

enschafft

enschafft geben vnd die Abgötterey vnd Irrthumb stattlicher widerlegen können/denn alle Meßpfaffen im Bapstumb/das ist am Tage.

SECTIO DVODECIMA.

Quanto fulgore sub comitiis Augustanis iisdemque finitis deinceps veritas cælestis contra Antichristum inclaruerit, secundum illud Ouinis pellibus non iunguntur lupinæ, &c.

EPITASIS certaminum Ecclesiæ Lutheri tempore incidit in comitia Augustana augustissime & solenniter Anno Christi 1530. celebrata: omnia enim tum vehementissime ferbuerunt & æstuarunt. Fœdus inter Carolum V. Imperatorem & Papam Clementem 7. Bononiæ Anno proxime prægresso 29. Iunii factum sic inter cætera minaciter intonuerat: Cæsar & Ferdinandus vt hæretici in viam reducantur, operam danto: & Pontifex sacra remedia adhibeto: Quod si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto, & Pontifex vt cæteri Christiani principes ipsos pro viribus iuuent, operam dato, &c. *Maxima horum temporũ difficultas.*

Indignabundis certe & fremebundis animis aduersus Euangelium Iesu Christi in comitiis istis Pontificii tum Principes tum prælati comparuerunt, & sese confessionem fidei istic oblatam, rubrica sanguinis refutaturos comminati fuerant, sed quo magis veritas tum pressa fuit, eo magis instar palmæ assurrexit & exsplenduit. *Papistæ in Cornu fœnũ gestantes.*

Difficilima principes & ordines Protestantium antequam iter Augustanum ingrederentur exercuit deliberatio, num fidere Cæsaris literis & ad comitia accedere possent, an vero, vt multi θερσοῦδουλοι suadebant, fœdere inter protestantes & Heluetios facto, armis Cæsari antequam Alpes transcenderet occursandum esset. *Difficilis deliberatio.*

Verum Lutherus perpetuo autor pacis suis existens constanter arma religionis prætextu sumi dissuasit, & consilia ista dispescuit, & à Deo, cuius causa ageretur auxilium & defensionem, expectandam monuit, simulque Epistolam solemnem ad principem Electorem Iohannem scripsit, qua fœdus & bellum Euangelii prætextu suscipi dissuasit Anno Christi 1530. die 6. Martii vide *Tom. 6.* Germ. Ienens. *fol. 2.* *Lutherus dissuadet bella.*

Ingruentibus etiam his comitiis euulgauit Lutherus Psal. 46. Deus noster refugium & virtus, Germanico rhitmo animose concinnatum: Ein veste *Psalmus 46. Germanico*

cantico Ecclesiastice redditur à Luthero. Burg ist vnser GOtt/ eine gute Wehr vnnd Waffen: quo inuictum & diuinum robur animi omnia pericula & terrores intrepido & excelso pectore despicientis sp[?] au[?]t,& tristes abiectosue animos sociorum & principum erexit & exhilarauit.

Lutherus nō interfuit Augustanis comitiis præsens. Ipsemet autem vir Dei Lutherus non inuisit comitia: nimium exacerbati enim fuerunt papistarum animi, in hunc sanctum confessorem, vt omnia ergo leniori expedirentur passu Coburgi in Francia relictus est, vbi in arce comitiorum cursum & euentum, ceu in viciniore loco rescíscere obseruare & expectare posset.

Septendecim articuli fidei Torga à Luthero cōcepti. Scripserat autem breui antea in conuentu Torgensi septendecim articulos quibus fidei & doctrinæ Christianæ summam resectis inde disputationibus Scholasticis ceu populo non necessariis comprehenderat. Hos septendecim articulos à Luthero delineatos præcipue Philippo in scribenda confessione ob oculos fuisse testantur eadem verba & phrases in plerisque articulis retentæ,& ordo ac series articulorum fere similis. Vnde hos 17. articulos Torgenses confessionis Augustanæ quendam Archetypum iure nominare audis & possis. Extant autem *Tom. 5.* Ienens. Germanic. *fol. 16.*

Protestantiū Theologis cō cionari Augusta prohibitum. Cum protestantium Theologi in comitiis publice concionarentur,male conciliati Papistæ rem eo direxerunt, vt Imperatoris iussu conticescerent, & singulari Epistola Lutherus suasit, vt nostri in gratiam Imperatoris in cuius vrbe hospites essent obsequerentur, sicut in oppido Torga, vt in propria vrbe Electori Saxoniæ aliquid intermitti petenti aut fieri mandanti, obsequendum esset, Datæ sunt literæ 15. Maii Anno 1530.

Fumantes Papistarum minæ aduersum protestantes. Nemo facile dixerit aut verbis comprehenderit, terrores & minas quibus Papistæ Christianissimum Electorem & eius socios cum aduentus Cæsaris nonnihil protraheretur, quotidie obruerunt, & examinarunt, interim iactantes suam victoriam & triumphum, hæreticorum vero siue principum siue doctorum excommunicationem, captiuitatem, exustionem: Hoc cum Lutherus rescisset, & eiusmodi mundi spectris & inanibus terriculamentis animum serenissimi Electoris Iohannis vulnerari, angi & affligi putaret, mox strinxit calamum & Epistolam consolatoriam ad eius celsitudinem conscripsit, in qua inter cætera sic: Quid aliud (inquit) quam sinceræ & puræ Euangelii doctrinæ professionem omnes furentes Tyranni & Principes vestræ celsitudini obiicere possunt? Quod certe lætum ac tranquillum animum parit. Nam Deum amicum habere profecto maiorem consolationem adfert, quam totius mundi beneuolentiam sibi de-

Lutherus viuis cōsolationib. restiguit in animis protestantium Principum & Theologorum minas Papicolarū.

bi demeruisse. Et contra videmus Deum frementes & furentes principes indignos iudicare, quibus verbi sui notitiam impertiat.

Et post pauca: Multo clementius & vberius misericors Deus suum erga celsit. vestram amorem declarat, quod verbum ipsius tanta cum efficacia & fructu in Cels. vestræ ditionibus propagatur. Profecto enim plures & præstantiores vestra Cels. in sua ditione pastores & doctores habet, quam nulla alia regio totius orbis terrarum qui adeo pure ac fideliter docent & auream pacem adeo studiose tuentur.

Adolescit nunc tenera ætas puerorum & puellarum in Catechesi & sacræ scripturæ cognitione adeo bene instituta, vt singulari voluptate in meo corde afficiar, cum video iam teneros puellos plus discere, credere & loqui posse de Deo & Christo quam olim & adhuc omnia collegia, & monasteria ac Scholæ in Papatu sciuerunt & adhuc sciunt. Hæc Lutherus: Epistola hæc data est Anno 30. die 20. Maii.

Dehinc die 20. Iunii Electori Saxoniæ & coniunctis principibus & statibus mandatum est vt fidei suæ confessionem & sententiam de abusibus emendandis, scripto comprehensam Cæsareæ Maiestati exhiberent. *Postulatur ab ordinibus protestantibus ratio fidei.*

Proinde in consessu Imperatoris & principum ac legatorum 24. die Iunii surrexit Elector Saxoniæ & cõiuncti principes & se iuxta mandatũ Cæsareæ M. confessionem fidei suæ latine & Germanice scriptã complexos esse exposuerit quam publice in consessu Imperii pronunciare & Cæsareæ M. exhibere velint. O beatissimas animas cum Christo æuum nunc in cœlis agentes. *O diuinam gubernationem.*

Manibus vero pedibusque tum obstiterant & præmonuerant Papistæ ne vllo modo publice prælegeretur: vt Elector Saxoniæ scribit ad Lutherum 25. Iunii. Præoccupatus ita Cæsar, iussit sibi confessionem tradi ac deponi. *Papicolæ metuunt lucem S. Scripturæ. O nostuas.*

Illi contra cum non dubitarent, multa de ipsorum doctrina, multo secius ac res habeat, ad Imperatorem & princeps relata esse, cumque in ea causa, ipsorum non modo existimatio & fortunæ omnes, verum etiam animæ salus vertatur, se publice audiri subiectissime petiuerunt.

Quibus auditis Cæsar se postridie eos domi suæ auditurum promisit, sed confessionem scriptam sibi statim exhiberi postulauit.

Illi denuo scriptum sibi donec recitatum sit, relinqui, & in publico *Qui male*

omnium

agis odit lu-cem. NB NB omnium Imperii ordinum conſeſſu confeſſionem ſuam audiri vehementiſſime inſtiterunt.

Tandem Cæſar adſenſit vt eo vſque ſcriptum ſecum retinerent, verum non in publica vt loqui ſolent audientia ſed in Cæſareæ Maieſtat. ſacro palatio poſtridie illud recitatum iri ſignificauit.

Poſtero igitur die 25. Iunii qui fuit dies ſabbati proximus poſt Iohannis Baptiſtæ, tempore poſtmeridiano auditus eſt Sereniſſimus Elector Saxoniæ in palatio Cæſaris loco non admodum ſpatioſo, qui vix caperet perſonas ducentas: Conſederat autem Cæſar & Rex Ferdinandus & Electores & abſentium Electorum legati vtrinque: deinde ex vtroque latere alii principes & ordines imperii: Circumſtetere plurimi quoque doctrina & ſapientia præcellentes viri auſcultaturi: ibi D. Chriſtianus Beier Electoris Saxoniæ Cancellarius, confeſſionem proteſtantium ordinum depromſit, & toti cumprimis auguſtiſſimo conſeſſui, graui, clara & lenta voce articulatim & diſtincte prælegit, vt non ſolum in ampliſſimo iſto theatro verum etiam in area inferiore aulæ Epiſcopi Auguſtani & vicinis locis exaudiri potuerit ſonantiſſime.

Toti R. Imperio cantatiſſime prælegitur confeſſio Auguſtana.

Poſt, hac ratione, pronunciatam confeſſionem (quæ durauit duas horas) exempla duo eiuſdem quorum vnum latine alterum Germanice ſcriptum fuit, D. Georgius Pontanus ſenior Cancellarius Secretario Imperatoris Alexandro Schvveis vt is Moguntino Electori & Cardinali ea traderet, exhibuit. Imperator autem latinum ad ſe recepit, & per Fridericum Palatinum ſe de tota cauſa ſuſcepturum deliberationem diligentem & accuratam reſpondit, & de ſede ſua deſcendens ipſamet Cæſarea Maieſtas petiuit à principibus ne ſcriptum iſtud confeſſionis proteſtantium vllo modo ſpargerent vel typis excudi à quoquam paterentur, quod illi facile promiſerunt.

D. Pontanus & Alexander Sudor, aut Schvveis.

NB Sic vbique Imperator à papicolis αὐτοκατακρίτοις deluſus & ſeductus fuit. Papicolis hæret aqua.

Contra hoc Eccleſiarum noſtrarum commune ſymbolum perículoſa in ſenatu principum ſequentibus diebus inſtituta eſt conſultatio. Quidam enim ſuaſerunt vt ſecundum edictum VVormatienſe Lutherani armis cogerentur.

Alii leniores, cenſuerunt confeſſionem iſtam fidei viris bonis & doctis qui eam cenſerent & cum Eccleſia Romana conciliarent, committendam: & poſtea Cæſari relinquendum iudicium, qui omnia in integrum reſtituere deberet, donec concilium cogi poſſet ad controuerſias omnes dirimendas. Iniunctum eſt quoque pontificiis Doctoribus inter quos principaliores erant Iohannes Eccius officialis Treuirenſis, Iohannes Faber præpoſitus Bu-

Refutatiuncula Cōfeſſionis A. à quib.

tus Bu-

tus Budensis, D. Augustinus Marcus Episcopus Salonensis, D. Conrad. VVimpina ordinarius Francofurtensis ad Viadrum: D. Conradus Collinus inquisitor & Prior Coloniensis qui postea contra Lutheri nuptias scripsit, D. Iohannes Cochlæus Ducis Georgii Saxoniæ concionator: Frater Medardus ex ordine Minorum & Franciscanorum Regis Ferdinandi cõcionator D. Iohannes Dietenberger Prior Confluentinus. &c. his & eorum toti conuentui iniunctum est vt refutationem confessionis instituerint, & quæsitum simul an solide refutari posset: responderunt iunctim omnes & singuli seorsim, scriptis propheticis & Apostolicis refutari illam minime posse: opus vero esse conciliorum decretis & patrum arietibus ad illam conuellendam: quo tenore etiam refutationem aliquam conuasarunt: quam tamen noluit Imperator euulgari: Fuit enim acerbum & vanum scriptum vide Schleidanum *lib.* 7. Com. n. Hist. *& Tom.* 5. German. Ienens. *fol.* 17.

tenebriosis Asinis postuta

Confessio Augustana irrefutabilis ipsis Papisticis Theologistibus. o factum bene.

Vt tamen absentes Dynastæ & principes scirent cuius argumenti esset Augustana illa principum & ordinum Protestantium confessio, transferri illam in linguã Hispanicam & Italicam per Alphonsum Valdesium & Alexandrum Schvveis secretarium & mitti in Italiam & Hispaniam Imperator curauit. Idem fecerunt Gallici quoque Portugalenses, Britanici & aliorum Regum & Principum legati, & hac ratione confessionem istam Augustanam ad Dominos suos miserunt, vt sic vno eodemque tempore fere per totum mundum disseminaretur.

Diuulgatio confessionis præter mentem Papistarum.

Quomodo porro hæc comitia soluta & finita sint non est huius loci prolixe commemorare: Schleidanus & alii fuse satis de his omnibus commentantur, ad quos beneuolum remitto lectorem.

Hoc autem vnice hic significo quanto violentius & minacius Papa & eius adseclæ tum verbo Dei restiterunt, tanto gloriosius lucem Euangelii per hæc comitia fuisse exortam, sicut Spalatinus scribit *Tom.* 5. Ienens. German. *fol.* 55. *f.* 2. D. Iohann. Pomer hat vns hieher naher Augspurg geschrieben / daß das Evangelium zu Lübeck / Lüneburg / rc. flugs auffgehet: Item / daß Christus schier das gantze Meer vnnd See eingenommen habe: GOtt gebe weiter gnade Amen. So gehets hier in der Welt / der Bapst vnnd Bischofe / vnnd Fürsten wollen GOttes Wort im Römischen Reich vertreiben / vnd in frembden Königreichen nimpt mans mit Freuwden an: O laß vns je betten / daß vns GOttes Wort bleibe. Hæc Spalatinus, l. d.

Late diffusa confessio.

Lutherus sancte lætatus his fuit verbis. Tanta verbi Dei est efficacia & virtus, vt quo plus persecutionis habet eo plus floreat ac crescat. Considerate comitia Augustana, quæ vere sunt vltima tuba ante extremum

Lutheri iudicium de Augustanis comitiis.

P diem

is in dorſo ſpectandum exhibuit) qui ad Caminum accedens promiſcua ligna ſtudioſe conatus eſt in iuſtum collocare ordinem, ſic, vt curua cum rectis apte correſponderent, ſed poſt laborem bene longum conatus fruſtraneus viſus eſt: Iccirco præ impotentia mentis nutato capite iracunde diſceſſit.

Quo ipſo Dramatis autor innuere voluit Eraſmum irrito conatu velle curuam & ineptam Papicolarum Matæologiam cum ſana Lutheranorum orthodoxia harmonice contemperare, id quod ridiculum & vanum eſſet.

Cæterum tertio Monachus habituatus in Proſcenium proſiliit alacri greſſu, moribus & motibus heroicis, à tergo pendulam cum adſcripto Martini (aureis literis) Lutheri nomine chartulam habens; is in ſitula attulit viuos carbones quibus vagum diſiectumque prædictorum lignorum aceruum vſque ad plenum ardorem & flammas rapidiſſimas quibus curua potiſſimum ligna in cineres comburebantur. Quo ipſo ſignificatum fuit Lutherum omnia heterodoxa ad orthodoxian ardore verbi Dei inflexiſſe aut omnino combuſſiſſe.

Quarto Perſonatus comœdiæ Cæſar ad caminum acceſſit cum lignorum incendium ſpectaret, ſtatim euaginato gladio viriliter in medias graſſatus eſt flammas vt ignem ita reſtingueret: ſed quo magis gladium iactauit tanto magis flammæ increuerunt: Et ſic poſt inanem operam re omnino infecta Cæſar iſte perſonatus è theatro rurſus digreſſus.

Tandem in medium ſe proripuit quidam qui repræſentans perſonam Papæ in dorſo geſtauit ſchedulam cum hac inſcriptione: Leo decimus.

Is cernens ignem ita excitatum primum obſtupeſcere viſus eſt præque pauore anxius comploſis manibus quaquauorſum in Palatio circumſpectans, num in promptu quid eſſe poſſet quo flammas ilico compeſceret: tandem vidit in vicino angulo duos è corio factos vrceos, quorum alter oleo repletus alter vero aqua fuit: Statimque in conſternatione hac accurſitans Papa iſte corripuit vaſculum cum oleo, iſtudque præ furioſa indignatione cum impetu in flammas effudit: ſed hoc alimento accepto incendium tum demum grandeſcens in longe latiores turbidioreſque adſcendit flammas fumos & ſcintillas, ita vt perſonatus iſte Papa cum formidine & extrema ſui confuſione fugere cogeretur.

Quo ipſo ſignificatum fuit quod Papa Romanenſis ſuis furioſis bul-

susceptum est statim ac ad finem suum sæpius nominata comitia Augustana decurrissent. *suuicensis ducatus illustratur.*

Gottingæ Anno 1530. cœperunt ciues flagitare religionis reformationem: operæ adhibitus fuit omnium primo Hinricus VVinkelius Coadiutor M. Martini Gorolitri vocatus è BrunſVVico qui primos istic Euangelicos pastores constituit, M Iodocum Isermanum & M. Iohannem Sutelium. Claruit etiam D. Ioachimus Morlinus in hac Ecclesia circa annum Christi 1542. & postea M. Philippus Cæsar, M. Theodosius Fabricius, D. Godefridus Schluterus, M. Georgius Buscherus qui omnes feliciter ibi Ecclesiam & Scholam rexerunt. *Gottinga admittit reformationem.*

Hannoueræ in dilecta mea hac terrena patria ciues mox post soluta Augustana comitia pertæsi Monasticarum fabularum sitiuerunt puritatem religionis inprimis cum in vicino ducatu Lunæburgensi sub Serenissimo & sapientissimo principe Ernesto Doctor Vrbanus Regius verbum Dei pure non solum ore sed & publicis scriptis propagaret quę etiam in ciuibus Hannoueranis excitarunt ardorem & desiderium erga cœlestem veritatem, adeo vt indesinenter religionis reformationem à Senatu flagitarent. Georgius Scarabœus extitit eo tempore concionator ad S. Georgium vir diligentissimus, pius, & sedatus qui magna cum moderatione cœperat Euangelium & dogmata Religionis purius proponere, cum quo suas etiā operas ludimagister M. GVValterus Hockerus fideliter coniunxit, accessit ad hos postea M Rudolphus Mylius ex Schola vrbica Hervordiensi, qui renascenti Euangelio viriliter pro sua parte cum reliquis adstitit, Senatus vrbe excessit. *Hannouerana Ecclesia suscipit Euangelicos ministros.*

Restiterunt etiam pertinaciter Monachi Minoritæ, inter quos eminuit Doctor quidam Rungius in reliquis templis Ægidiano & S. Crucis sæpius concionati fuerant terminarii & Monachi Mendicantes. Parochiæ enim sub Papatu multipliciter olim vexabantur per errones Monachos, terminarios, stationarios, æruscatores & erant infinitæ contentiones inter Pastores & Monachos de confessionibus de sepulturis, de extra ordinariis concionibus & de aliis innumerabilibus rebus sicut Epilogus Augustanæ confessionis disertte testatur verum fulgor verbi Dei fugauit eo tempore, etiam Hannovera, istos fucos à præsepibus & tandem è vicino ducatu Luneburgico accitus præsto fuit, D. Vrbanus Regius qui cum præ nominatis concionatoribus Euangelicis & consule viro pio & graui Antonio à Barckhusen & Syndico vrbis nouo, Autore Sandero Brunsvviga recens vocato (qui hoc nomine à Chytræo celebrantur in Saxonia *pag 312.*) communicato consilio post res omnes pacatas & ordinem senatorium ex ordine patri

ciorum & ciuium optimatum, redintegratum, Ecclesiam reformauit, & in singulas Ecclesias piis Theologis institutis ordinationem Ecclesiæ Hannoueranæ, quæ & publicata est cum præmissa Epistola D. Martini Lutheri conscripsit: Et abrogatis ita papisticis idolomaniis & abusibus reformatæ religionis exercitium publice introductum est decimoquarto die Septembris quæ est feria exaltationis Crucis Anno 1533. quo die gloria Crucis & meritorum Christi bono omine in patria mea ea ratione post longas tenebras postliminio effulsit. Deus misericordissimus pater in hac luce & agnitione filii sui charam meam patriam sicut & sub suo patrocinio ceu quodam pacis & tranquillitatis Syrmate diutissime deinceps clementer conseruet, protegat & tueatur toto eum pectore precor.

Claruerunt inter cæteros in prædicta Ecclesia & Schola Hannouerana M. Bartholomæus VVolfhartus Superintendens, M. Iohannes Crammius M. Georgius Henninges, M. Vitus Buscherus & M. Rupertus Erythropilus quorum hic posterior scriptis publicis vtilissimis inclaruit. Similiter M. Henricus Garberus poeta doctus & elegans. Scholam inprimis gubernarũt, M. Iohannes Glandorpius Monasteriensis Laurentius Cassclius, M. VVichmannus Schulrabius, M. Daniel Heluigius, Henricus Mullerus, M. Heizo Buscherus & M. Christianus Beckmannus, viri sane autoritate doctrina & meritis in iuuentutem commendatissimi. Multum etiam Hannoueræ versatus fuit M. Antonius Coruinus qui & ibidem in Choro ad S. Georgium ante aram non procul à Sepulchero Clarissimi quondam historici Theologi & Mathematici M. Henrici Buntingi p. M. humatus est.

Hamelonia. Hamelensis Ecclesia & ciuitas non obtinuit lucem renati Euangelii donec vita hac mortali functus esset Illustriss. princeps Ericus circa annũ Christi 1540. & gubernatio totius ducatus communi omnium statuum voto & consensu ad serenissimam & pientissimam Dominam Elisabetham de Illustriss. domo Brandenburgensi progenitam defuncti Herois Brunsvvigii relictam viduam, vice iunioris Ducis Erici deuolueretur: His prægressis cõsuluerunt excellentissimi viri D. Antonius Coruinus & D. D. Burchardus Mithobius ducalis archiater & alii quidam Nobiles Illustrissimæ Ducissæ viduæ Consiliarii, vt ex Hannouerana Ecclesia Hameloniam transferretur M. Martinus Mylius qui istic repurgatam doctrinam cœlestem fideliter plantaret, & propagaret, quod & optato factum est non sine vberrimo fœnore & solatio totius istius Ecclesiæ: Erecta simul fuit Schola pro informatione iuuentutis, quæ huc vsque per doctos & idoneos viros laudabiliter gubernata est. Fideles cumprimis & pias in hac Ecclesia præstitit operas longo nunc tempore Reuerendus Senior Dn.

Iohan-

Iohannes Sigfridus Huxariensis diligentissimus Operum Lutheri lector multa experientia & lectione præstans.

Sensim totus Illustrissimo Principe Erico mitiora concedente Halcyonia ducatus ad confessionem Euangelii & reformatæ religionis inclinauit, in cuius luce adhuc Dei beneficio sub Reuerendissim. & Serenissimo patre patriæ D. Friderico Huldrico D. B. E. L. Domino nostro gratiosissimo conseruatur.

In superiore ducatu Brunsvvicensi ægrius nonnihil gloria Euangelii & difficilius amplificata est. Bellicosissimus enim & magnanimus Heros Henricus iunior diu noluit consentire & quidē ex instigatione cuiusdam Iesuitici Alastoris Petri Houet siue Capitii. Tandem vicinus morti Illustriss. Dux vnico generis humani seruatori deuotis precibus, eiusdem misericordiæ & meritis confisus sese ardentissime consecrauit, & hæredi filio illustrissimo principi & Dn. Dn. Iulio mādauit vt in toto ducatu repurgata doctrina cœlestis propagaretur, sicut ex Rebvvitio citat Clarissimus IC. Ioh. VVolf. Cent. rerum memorabil. *p* 853. Et quod hanc reformationem iam pridem meditatus fuisset Serenissimus iste Princeps scribit itidem Cl. IC. Henr. Petreus in tractatu de Monasteriis *p.* 59. Idem attingit D. Luc. Osiand. Epit. Histor. Eccl. Cent. 16 *lib.* 3. *c.* 64. *p.* 811. *Ducatus superior. Brunsuuicensis.*

Cum vero Celsissimus princeps & Dn. D. Iulius dux Brunsvvicensis & Luneburgensis beatissimæ recordationis ceu vnicus relictus hæres rerum in paterno & hæreditario ducatu potitus esset, omnium rerum fausta auspicia facturus secundum istud Christi: Quærite primum regnum Dei, & cætera adiicientur vobis, publicam per totas suas terras religionis sanctam iuxta Dei verbum repurgationem instituit, adhibito ad hoc opus potissimum eminentissimo Theologo D. Martino Chemnitio, qui & corpus doctrinæ Iulium orthodoxo filo & stylo ad mandatum Celsissimi principis conscripsit, quod esset commune Symbolon confessionis Christianæ in hoc laudatissimo ducatu. *Iulius D. B. & L. reformat suas Ecclesias.* *Corpus doctrinæ Iulium à Doctor. M. Chemnitio scriptum.*

Et ne Ecclesiæ vberius aliquot plantarium deesset Illustris. eius Celsitudo pædagogium celebre instituit Gandesiense, quod magno cum applausu introductum est habente concionem D. Martino Chemnitio: Lectores vero statim vocati sunt, D. Nicol. Selneccerus & Timotheus Kirchnerus. Ex hoc pædagogio illustri surrexit postea illustris Academia Iulia, cui liberalem & amplam addidit dotem Serenissimus princeps Iulius & introducta est solenniter Anno Christi 1576. Et Reuerendissimus Illustrissimusq; princeps ac Dn. D. Henricus Iulius post. Episcopus Halberstadiensis Dux Br. & Lun. Dominus noster Clementiss. primus & perpetuus Academiæ Rector *Academia Iulia.*

Magni-

Magnificentissimus designatus & publice proclamatus est. Hac ratione lux Euangelii in vniuersam terram Brunsvvicensem gloriosissime diffusa & dilatata est.

Reformatio Templi & Capituli Cathedralis Halberstadiæ.

Ingrato silentio nequaquam prætereundum est, quod prædictus Serenissimus & Reuerendissimus princeps & heros Dn. Henricus Iulius in Episcopatu suo Halberstadino obsoletos & rancidos Papisticorum nugalium, abusus, ritus, & idolomaniam ex Ecclesiis profligauerit, & Anno 1592. præconium Euangelii Iesu Christi secundum scripta & oracula Prophetarum & Apostolorum in templum Cathedrale Halberstadianum quod est ad S. Stephanum solenniter introduxerit quæ gaudibunda & sancta Encœnia publica concione Eisagogica Reuerendus & plentissimus Theologus, D. Martinus Mirus quæ & publicata est, celebrauit. De Christianissimo hoc & vere Heroico facto Reuerendissimi istius principis inter literatos hoc tempore principes liberalissimi Henrici Iulii, Dn. mei clementissimi, tota sibi tum gratulata est Ecclesia patria, nec vlla ætas secuturæ posteritatis de eo conticescet.

Celebriores Theologi sub patrocinio Celsissimorum Ducum Brunsvvicensium claruerunt, D. Tilemannus Heshusius, D. Timotheus Kirchner D. Daniel Hofmannus, D. Basilius Satlerus, D. Nicolaus Selneccerus L. Hermannus Hamelmannus, D. Iohannes Olearius & alii non pauci.

Reformatio in ducatu VVirtembergico.

Exempla prægressa etiam aliæ regiones & ciuitates secutæ sunt: Etenim An. Christi 1534. Ducatus VVirtembergicus in Sueuia reducto in patriam istam suam ab exilio Illustrissimo Duce Vdalrico, Euangelio & reformatæ religioni diu ante desideratæ patefecit valuas & mentes, sicut annotat Ioh. Func. in Chron. *p.* 167.

Editio Germanicorũ Bibliorum D. Martini Lutheri.

Circa idem tempus prodierunt sub prælum Typographicum & tandem in aspectum Ecclesiæ germanica Biblia Reuerendi patris D. Martini Lutheri, tanto sane cum Christiani orbis tripudio & solatio, vt nemo facile verbis expressurus sit: D. Iohannes Bugenhagius pastor Ecclesiæ VVitebergensis quotannis in Ecclesia sua domestica quoad vixit quotannis celebrauit Festum translationis Bibliorum ad cuius solennitatem chariores quos inuitauit vicinos & amicos & sic coniunctum cum illis, Deo laudum sacrificia obtulit, pro thesauro hoc translatorum Germanicorum Bibliorũ, quemadmodum recenset Mathes. de vita Lutheri concione 13. *p.* 141. *f.* 2.

In Pomerania reformãtur Ecclesiæ.

Hoc anno vocatus est quoque D. Iohannes iste Bugenhagius à principibus Pomeraniæ ad reformandam religionem secundum Augustanam

nam confessionem quod & fideliter præstitit, Bucholzerus ad annum 1535.l.T.4.

In Dania claruerunt celeberrimi Theologi Nicolaus Hemmingius & Petrus Palladius. Hodie in isto regno potissimum splendet Nobiliss. & Magnificus Dn. Oligerus Rosecrantzius Regius consiliarius, vir politice & Theologice pie & excellenter doctus, &c. *Dania regnũ suscip. Euãgelium.*

Biennio post nimirum Anno Christi 1537. ab eodem Bugenhagio Ecclesiæ in Daniæ regno ad prænominatum Augustanæ confessionis ductum reformatæ sunt, & scripti simul sunt Schmalkaldiæ Articuli ad futurum concilium siue Mantuanum siue Vicentianum siue Tridentinum: vt Bucholcerus loco dicto; Schleidanus *lib.*11. & alii recensent. *Articuli Schmalcaldici.*

Anno 1538. Celebris Schola Argentoratensis inchoata est, in qua claruerunt Martinus Bucerus, VVolfgangus Capito, Iohannes Diasius, Casparus Hedio, Iohannes Schleidanus Erasmus & Iohannes Marbachii, Iohannes Pappus, &c. de Ecclesia præclarissime meriti viri, Iohannes Sturmius Melchior Iunius. Et plurimi alii. *Schola Argẽtinensis.*

Anno 1539. Mortuo duce Saxoniæ Georgio strenuo Papista sub tempore verno exsplenduit sol Euangelii etiam in Misnia sub Celsissimo duce Saxoniæ Henrico patre & Illustri Sobole Mauritio & Augusto postea Electoribus Saxoniæ, & sic Ecclesia & Academia Lipsensis maximum accessum ad Ecclesias reformatas & puriorem confessionem fecerunt, vide Schleidanum *lib.*12. & Bucholcerum. *Princeps Georgius moritur, & in Misnia reformatur Ecclesia.*

Eodem Anno in Marchia Brandeburgensi instituta est religionis pia reformatio, vt habet Bucholcerus *lit.* T. 4. *f.*2. *Marchia.*

Hildesienses in medio complexu ducatus Brunsvvicensis. diu quo minus ad lucem verbi cœlestis eluctarentur à Canonicis repressi sunt, tandem Anno Christi 1542. vt Iohannes Schleidanus *lib.* 14. annotauit, verorum cultuum & religionis reformatæ integritatem obtinuerunt, fideles suas nauantibus operas, D. Bugenhagio singulariter ad hoc opus vocato, sicut & M. Antonio Coruino & Henrico VVinkelio: Primus Euangelicus Superintendens confirmatus fuit M Iodocus Isermannus. In hac Ecclesia non pauci Clarissimi Theologi splenduerunt. *Hildesheimensis Ecclesia Euangelica.*

Etenim Anno 1548. D. Iustus Ionas hic per tres anni quadrantes sumptu senatus hæsit & in templo S. Crucis explanauit Epistolam Paulinam ad Ephesios & Psalmos aliquot: Item M. Tilemannus Cragius M. Franciscus Marshusius M. Bartholomæus VVolfhattus, D. Conradus Beccerus: inprimis merítissimus senex D. Nicolaus Selneccerus, & reuocato hoc Lipsiam D. Henricus Heshusius cui defuncto successit R. Dn. D. Christophorus *Lumina Ecclesiæ Hildesheimensis.*

Q Schleup-

Schleupnerus singularis meus in Christo fautor & amicus, qui cum & ipse ad officiū generalis Superintendentis in comitatū Mansfeldicum vocatus abiisset, successorem sortitus est D. Albertum Eckartum Hailum VVetteranum, qui in florida ætate isti peste correptus obiit, & vna cum ipso Reuerendi Dn. Pastores Henningus Disius ad S. Paulum, & Franciscus Bodius ad S. Michaelem, viri non solum doctrinæ sed & eloquentiæ donis præstantissimi. Eadem tabe absumptus est eodemque luctu sed immaturo obitu eximius vir Theologus & Philosophus, linguarum etiam Hebraicæ, Græcæ & Latinæ scientia non mediocri præditus M. Henricus Godkenius Ludi ad S. Andream Rector Poeta Coronatus, cui vt charissimo meo quondam fautori & amico iuste sequentes lacrymulas in beatissimos cineres merito debuerim.

Candor & alma Fides, Doctrina, & acuta Poesis,
Algida si tumuli claustra subire queunt,
Candor & alma Fides, Doctrina, & acuta Poesis,
Godekeni ad latus hic contumulata iacent,
O iuuenile virum decus & palmaris Ocelle,
Salue ô cælicolum consociate choris.
Interea huc oculos mentis conuerte viator:
Quam nulli parcat falx bis acuta necis,
Vt tempestiue Christo confidere & huius
Vulneribus totum te illatebrare queas.
Si sapis hanc artem satis est: in sanguine Christi,
Coccineo vitam qui bene FINIT, INIT.

Conspicuus in Ecclesia Hildesiana quoque concionator fuit M. Heizo Sangebahr vir pius & doctus ad S. Andream fidus pastor, cui è rebus mortalium sublato successit Dn. M. Nicolaus Sigefridus Francus, in Theologia & linguis Hebræa, Græca sicut & Poesi eleganter doctus & donis eloquentiæ pollens, qui proximis annis Hildesia relicta sese cum suis VVismariam recepit, existitque ibidem hoc tempore Ecclesiæ Pastor primarius & totius istius tractus Megapolensis Superintendens. Qui plura de Hildesiana Ecclesia & Scholis noscere laborat, cognoscat Chytræum in continuatione Alberti Crantzii: Nec enim instituti huius est totas ἐν παρεκβάσει condere historias: quod autem hæc superiora nonnihil fusius recensui, vicit me amor patriæ debitus.

Hermannus. Anno sequente 1543. Hermannus Archiepiscopus Coloniensis piam

suarum

suarum Ecclesiarũ reformationem introducturus vocauit ad se Philippum Melanthonem & Martinum Bucerum, sed Papistæ Colonienses clauden-tes contra illucescens Euangelium fores mentes & aures noluerũt pio præsuli obsequi. Et magistratus Coloniensis toto illo tempore in hunc vsque diẽ nequaquã in vrbe sua Christo & puritati religionis concessit hospitium, sed potius carceribus persequitur & in exilium eiectionibus, vnde Clerus tanto potentius obfirmatus, intra illa mœnia & circuitum Coloniensem pudendis missificationibus & Antichristianis sputis & abominationibus fœdare omnia non desinit, & quidem in tanta Euangelii luce quæ Coloniam Vbiorum nunc tot annos circumlucendo quasi ad regnum & gloriam Christi inuitauit, &c. Bucholcerus ad An. 1543 & Schleidanus *lib.* 15.

Archiepisco: Coloniensis Elector meditatur reformationem. Coloniensis Magistratus acriter obnititur veritati Euangelicæ in hunc vsque diem.

Antequam Lutherus ex hac vita ærumnosa exiuit fundatum fuit Stetini in Pomerania illustre Pædagogium in quo hoc tempore pias & salutares præstat operas R. & Eminentissimus Theologus D.D. Daniel Cramerus. Similiter, introducta est Academia Regiimontis in Borussia, cuius primus Rector Magnificus fuit D. Georgius Sabinus Poeta & iureconsultus celeberrimus, Melanthonis gener. Chytræus in continuatione Cranitzii *pag.* 409. & Bucholcerus.

Illustre Pædagogium Stetinense.

Academia Regiomontana.

Anno 1545. Lutherus graue scriptum edidit, cum titulo **wider das Bapsthumb vom Teuffel gestifft** *Tom.* 8. Ien: Germ. *fol.* 208.

Eodem anno quo vir Dei Lutherus ex hac mortalitate emigrauit, nimirum 1546. Elector Palatinus, Fridericus in sua ditione Electorali Ecclesias ad ductum & normam Augustanæ confessionis reformauit, vt refert Ioh. Schleidanus *lib.* 16.

Ecclesia in Electorali palatinatu reformata.

Recitaui hactenus & forte prolixius quam par fuit, qua gloria illuxerit Euangelii per Germaniam viuo adhuc viro Dei Luthero doctrina & reformata Religio. Quod scilicet Papistæ nullis consiliis, nulla vi, nullis insidiis verbi cœlestis veritatem delere & supprimere potuerint, sed quo magis totis viribus id tentarunt, eo plus inclaruerit aurora repurgatæ religionis.

Nouit enim Deus cymbam Ecclesiæ suæ in vasto hoc mundi pelago clementissime tueri & dilatare, licet nonnunquam afflictissimæ sit faciei: Siquidem Ecclesia sancta & vera non est alligata ad concilia, ad ordinariam Episcoporum successionem ad externas pompas splendidas aras auro rutilantes, ad aurea tot & argentea idola gemmis fulgida, vestibus preciosis induta, ad aureos & argenteos Calices, triplicatas coronas, tumidos galeros, discolores cucullos, boatuũ vlulatus, campanarũ tonitrua, & similes Antichristi consuetas nænias, sed potius ad Christi vocẽ sese adstrin-

Ecclesia vera à Deo custoditur licet sit adflictissima instar viduæ vni Christo adhærescentis.

git ceu veri & vnici pastoris & capitis verbum, iussa & mandata, à quo etiam portatur & defenditur contra omnes omnium cacodæmonum rictus, iras, diras & infernalium portarum gemitus & crepitacula: Soli isti omnipotenti seruatori nostro sit laus. Amen.

Quid post Lutheri obitum factum sit quantopere Euangelii charitas radiis suis emicuerit etiam in multos alios, principatus Regna, Comitatus, Ciuitates, Prouincias, ex aliorum plenis commentariis pius lector petere poterit. Sufficit mihi in hac vice quædam saltem de Euangelii dilatata doctrina delibasse. Ideo pro conclusione huius sectionis vnice adiicio Oden illam triumphalem ministrorum Euangelicorum quæ sub optatissimo Euangelii cursu & dilatatione circa tempus Augustanorum comitiorum composita est, licet incertum sit quo autore: D.D. Selneccerus eius facit mentionem in oratione sua de Diuo Luthero lit. E. *p.3.f.1.* Vt autem lectori Christiano satisfiat totam oden de verbo ad verbum sicut nonnunquam decantari & Vrbano Regio authori adscribi solet, adiicio.

Ode ministrorum Euangelicarum Ecclesiarum in inferiori Saxonia decantatissima.

Viue viue mi Luthere
Cuncti tibi dicunt χαῖρε } *veritatis columen.* *Io Io*

Læti estis Lutherani
Nam vos estis Christiani } *Antichristum temnite* *Io Io*

Vobis illucescit lumen
Quod ab alto dedit Numen } *Fugite Scholasticos* *Io Io*

Libertatem Christianam
Non existimantes vanam } *Fortiter defendite* *Io Io*

Nihil nocebit bulla minax
Veritatem timet fugax } *Sathanæ inuentio* *Io Io*

Plange Roma fraudulenta
Bulla iacet virulenta } *Iam famesce curia* *Io Io*

Veniarum nundinator
Fidei depopulator } *Resipisce Pontifex* *Io Io*

Restim

Restim iam quærant Papistæ
Regnum perit Antichristi } *Cum corona triplici* Io Io

Iam primatus ille ruit
Quem dolose nobis struit } *Phocas Bonifacius* Io Io

Si te ventris onus vrget
Ius combustum nates purget } *Cum sit Antichristicum* Io Io

Nomen vestri iam patroni
Scire vultis Christiani } *Danielem legite* Io Io.

Credendum est magis soli Luthero veraci, quam Papistarum turbæ fallaci. Deß sollen wir alle froh seyn / daß wir der Papisten loß seyn / Alleluia.

Appono huc etiam cantiunculam triumphalem quam olim D. D. Lutherus composuit & in vetustioribus Psalmorum codicibus impressa extitit: nec amplius hodie inter cantiones Ecclesiasticas interprimitur: Ne ergo obliuione & oscitantia quadam amittatur huc subiicio in gratiam dilectæ, si qua futura est posteritatis.

Ein Christlich Kinderlied damit die Kinder zu Mitfasten den Bapst außtreiben.

D. M. L.

NVn treiben wir den Bapst herauß
Auß Christus Kirch vnd GOttes Hauß
Darinn er Mörtlich hat regiert
Vnnd vnzelich viel Seelen verfürt.
Troll dich auß du Verdampter Sohn
Du Rothe Braut von Babylon
Du bist der Grewel vnnd Antichrist
Vol Lügen vnnd vol arger List.
Dein Ablaß Brieff/Bull vnnd Decret
Ligt nun versigelt im Secret
Damit stalst du der Welt jhr Gut
Vnnd schändest dadurch Christi Blut.

Der Römisch Götz ist außgethan/
Den rechten Bapst wir nemmen an/
Das ist Gottes Sohn der Felß vnnd Christ/
Auff den sein Kirch erbauwet ist.
Er ist der höchste Priester zart/
Am Creutz er auffgeopffert ward:
Sein Blut für vnsere Sünde vergoß/
Recht Ablaß auß seinen Wunden floß:
Sein Kirch er durch sein Wort regiert/
Gott Vatter selbst jhn investirt/
Er ist das Haupt der Christenheit/
Dem sey Lob/ Preiß in Ewigkeit.
Es gehet ein frischer Sommer herzu/
Verleihe vns Christus Fried vnd Ruhe/
Bescher vns Herr ein Seeliges Jahr/
Fürm Bapst vnnd Türcken nun bewahr.

A M E N.

SECTIO DECIMA TERTIA.

De coniugio, Oeconomia, priuata vita & morte D. D. Martini Lutheri.

PAPICOLÆ etiam D. Lutheri coniugium mores & vitam priuatam transuersis oculorum hirquis notare non destiterunt. Breuiter ergo rationem initi coniugii Lutheri recito, & postea vitilitigatorum audiemus accusatiunculas quarum nebulæ veritatis luce dissipandæ erunt.

Quo anno vir Dei vxorem duxerit, aperit Iohannes Stolsius hoc eteostícho.

Seditio agricolæ ferro est restincta potenti,
Fœdera coniugii casta Lutherus init.

Leonhardus Koppen ciuis Torgensis sub auroram sensim super Germaniæ horizontem emergentis Euangelii, anno nimirum 1523. vt Abr. Bucholzerus annotat, nouem moniales virgines genere nobiles quæ latinos Psalmorum libros de manibus deposuerant, & religioso vestitu exuto mona-

nasterium Nimppten reliquerant, septimo Aprilis die quæ fuit feria tertia Paschatos VVitebergam adduxit.

Inter has virtuosa & nobilis eminuit virgo Catharina à Born, quæ cum Honestæ famæ & pietatis existimatione commendaretur, placuit Luthero Christianum matrimonium cum eadem copulare, idq; ex voto & consentiēte desiderio parentis sui Iohannis Lutheri, sicut Lutherus scribit ad Doctorem Iohannem Rhuel, & Casparum Mullerum Cancellarium. *Tom.*3. Germ. Ien. *fol.*150.*f.*1.

Catharina à Bora.

Fœdus hoc matrimoniale contractum est Anno Christi 1525. Dominica Trinitatis, ætatis vero Lutheri quadragesimo secundo. Mox die Martis post Iohannis Baptistæ conuiuiolum nuptiale celebratum est annō eodem.

Nuptiæ

Hac ratione toti terrarum orbi planum fecit vota monastica non plus valere quam Dei verbum: nec quærendum esse quid Romano Idolo, sed quid Deo placeret: proinde hoc pium & verbo diuino omni ex parte congruens vitæ genus ingressus est, in quo & mori maluit quam in cælibatu Pontificio: Sicut eodem anno publico scripto Cardinalem & Episcopum Moguntinum Albertum Brandenburgicum, vt cælibatu polluto relicto castum subiret matrimonium exhortatus fuerat. *Tom.* 3. Germ. Ien. *fol.*139.

His de Lutheri coniugio auditis infremuit Romanus Pontifex, frenduerunt Episcopi & Monachi: conceperunt indignationum flammas Theologi Pontificii è quorum numero prosiliit quidam Doctor Conradus Collinus Prior Coloniensis, qui contra hoc Lutheri Matrimonium peculiarem tractatum edidit, cuius titulus fuit; Euersio Lutherani Epithalamii, &cæt.

Ira Papicolarum.

Conrad. Collinus scribit contra coniugium Lutheri.

Nec tamen primus fuit Lutherus inter ministros Euangelicos qui coniugium inierunt, sed multi ante has eius nuptias coniuges facti fuerant, nimirum Euangelici ministri sacerdotes Argentinenses vt recitat Iohannes Schleidanus *lib.*4. Et ante hos omnium primus matrimonium ingressus fuerat Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius, Præpositus Kembergensis prope VVitebergam, & Balthasar Rhaida Pastor Hirsfeldensis, vt Bucholzerus ad annum 1522. & Ioh. Mathesius annotat concione 5. de historia Lutheri *p.*43.*f.*2.

Tumultuantur autem Papistæ contra honestum hoc Lutheri coniugium tribus potissimum calumniis. Primo accusant eum tanquam Monachum fugitiuum qui votum monasticum violarit. Secūdo cælibatum præ-

Tres calumniæ Papistarum aduersus coniugium Lutheri.

ferunt-

litatem proximi: sic ad testificationem animi grati erga Deum votum facit Iacob patriarcha *Genes.* 28. *versicul.* 20. Si fuerit Deus mecum & custodierit me in via illa decimas offeram illi, cunctorum quæ dederit mihi.

Confer nunc si placet votum Monasticum Doctoris Lutheri cum hac definitione & eius singulis particulis & videris quid distent æra lupinis.

Expone mihi hic, num pia consultatione, quæ parentis consensum non excludere debuisset, votum Monasticum fecerit. Expone grauem causam cur Monasticam vitam elegerit. Expone num in re licita & possibili votum & quidem vni Deo, pioque fine fecerit? Prolixus pateret hic dicendi campus & nonnihil acrius inuehendi in tetram Monasticorum in papatu Antichristico votorum laruam & impuritatem, quæ tanta certe est, vt vix recenseri queat, quicquid contrablaterent papicolæ, foliorum ficulneorum hac in parte sartores ridiculi & frigidi.

Examen voti quod Lutherus fecit monast. ci per singulas partes definitionis.

Ipsemet vir Dei Lutherus humiliter deprecatus est peccatum hoc enorme & flagitiosum quod contra voluntatem parentis sui sese voto Monastico innodasset, quæ deprecatoria epistola hoc nomine extat præfixa libello de votis Monasticis *Tom* 2. *Latin.* Ienens. *fol.* 504. Inter cætera sic ibi: Annus ferme agitur decimus sextus Monachatus mei quem te ignorante subiui. Et post pauca: indignatio tua in me aliquandiu erat implacabilis.

Item: Neque enim lubens & cupiens fiebam Monachus, multo minus vero ventris gratia, sed terrore & agone mortis subitæ circumuallatus voui coactum & necessarium votum, vtinam (aiebas) non esset illusio & præstigium: Et non etiam audisti tu parentibus esse obediendum? Hæc verba parentis sui testatur Lutherus quod penetrarint & insederint in intimis suis, hæserintque veluti perpetuo sonitu potenter: licet obfirmarit aliquandiu cor suum aduersus patrem suum.

Expendatur etiam num Monachum esse vel fieri sit res licita & possibilis? & valde dubitatur: Etenim continentiam & castitatem multi vouent cum illis datum non sit: vouent quidam paupertatem cum in mediis deliciis viuant. Ne dicam quod turpi superstitione & spurcitie missificationum & operum meritoriorum ille status in Papatu defœdatus sit: adde quod nec Deo vouerunt & eius regulis in decalogo expressis, sed sanctis & regulis iudicio & errore humanæ rationis excogitatis & præscriptis circa certos dies, cibos, ieiunia, silentia, &c. Sicut cœnobia sub Antichristo Romano palam his nugis, vanitatibus & quisquiliis scatuerunt.

Expendas postremo voti Monastici finem & deprehendes verum finem & intentionem Monachorum esse otium, licentiam, immunitatem, libidinem, adeoque ventrem ipsum cum Baccho & Venere.

num vitæ quamuis sanctæ & incontaminatæ extra Dei misericordiam: Ich meine das heisse Apostasiret. S. Gregorius hat der Sprüche viel in seinen Moralibus: Aber in den Sprüchen Dauidis seind sie kürtzer: Domine ne intres cum seruo tuo in iudicium, si enim iniquitates obseruaueris, Domine quis sustinebit? Ich halte Dauid für solch einen Heiligen/ den alle Mönche nicht sollen leichtlich auß dem Himmel werffen: Noch wil er nicht Heilig oder Rein seyn/sondern der arme Stümper bleibet auch bey der lieben Hennen die da heisset Jesus Christus Matth. 23. vnter den Flügeln der gnaden Gottes vnnd Vergebung: Vnd wir Garstigen / Lausigen / Grindigen Mönche wollen durch vnser Werck vnnd Möncherey heilig seyn / vnnd darzu andre durch vnsere verkauffte vberige Wercke seelig machen/oder sollen Meyneidig seyn? Phui dich malan/ꝛc.

Tantum de primo papicolarum cauillo quo insectantur profugum ex Monasterio Monachum Lutherum, cum solido & sancto responso, quo potenter satis impotens istud cauillum eliditur.

Pergunt autem illi Luthero-mastyges & clamitant necessarium esse præceptum in Ecclesia receptum, vt nulli sacra administrare liceat nisi cælibi: sacerdotibus præcise coniugium esse prohibitum & denegatum sub pœna suspendii ab officio Ecclesiastico. Proinde Lutheri coniugium fuisse verius adulterium quam matrimonium. *Cælibatus in Papatu.*

Ne prolixitate beneuolus lector, obrutus cum nausea recedat, compendiose & breuiter iugulentur rursus hi cælibis vitæ impuri defensores, definitione cælibatus: Quid est cælibatus papicola? quomodo, dic sodes, definis? Cælibatus est, ait, carere coniugio. At insufficiens est, quam das, definitiuncula. Audi Augustinum *Psalm.* 29. Quid, inquientem, prodest integra caro mente corrupta? melius est humile coniugium quam superba virginitas: Et in libro de continentia ait idem Ecclesiæ Summus Doctor. sine dubio angustius eam metiuntur qui solas libidines corporales cohibere definiunt: melius profecto illi, qui non addunt, corporis, sed generaliter libidinem regendam dicunt, ad continentiam pertinere: nec tantum est corporis sed & animi.

Hinc quilibet, rectæ rationis compos vel manibus tangit, multoque potentius intellectus adsequitur cælibatum esse debere non solum carentiam legitimi matrimonii, sed etiam in totum ab omni consuetudine muliebris concubitus sese abstinere, adeoq; corpore & spiritu castitatem conseruare & sic vere, quod scribit Apostolus, Curare illa quæ Domini sunt & non illa quæ mundi.

Talis cælibatus includit veram castimoniam & virginitatem quæ

Rarus verus cælibatus.

Deo vnice placet quatenus cum vera fide in Christum concurrit. Demonstra mihi vero talem cælibatum inter cælibes vbicunque sint locorum & gentium: Rarissima eius sunt exempla, vnde & filius Dei grauiter & forte non omnes, ait, capiunt verbum hoc *Matth.19.versicul.11.* Quin etiam cælibatus talis non est præceptus in verbo Dei siue laicis siue sacerdotibus, sed cuiusque arbitrio & electioni relictus est. Etenim in veteri Testamento cælibatus nulli hominum ordini mandatus est: non sacerdotibus, non pontificibus, non prophetis, non regibus, non laicis. Dehinc in nouo Testamento liberum relinquit. Qui potest, inquiens, capere capiat. &c. Quibus verbis saluator vtiliter monet, quia in eligendo hoc vitæ genere pauci quid sibi datum sit, reputant.

Porro quæ necessitas è Christi verbis vel ex toto verbo Dei extorqueri poterit, vt sacerdotibus seorsim cælibatus imponatur? Non omnes inquit Christus, capiunt verbum hoc: Ergo aliqui tamen capiunt: qui autem sunt illi? Laicine an etiam sacerdotes? Vtique & sacerdotes: nisi velis verbis Redemptoris manifestam inferre vim & ad cælibatum compellere eos qui ab ipso Christo eo non compelluntur, sed in medio relinquuntur, vt ipsimet explorent num verbum istud capere possint, quilibet enim ambulare debet vt illi partitus est Deus, & quilibet in ea ratione, qua vocatus est à Domino, manere debet, 2.*Corinth.7.v.17.*

At non omnes ad cælibatum vocati sunt, nec omnibus sacerdotibus ille datus est: Peccant ergo in sua propria corpora, qui aliter ambulare volunt.

Quis ergo Luthero vertat vitio quod elegerit præ cælibatu castum matrimonium, cum electionem istam Deus, Lex, Prophetæ & Apostoli prorsus liberam in medioque positam cuiuis reliquerint?

Deus autor coniugii.

Opponimus potius istis honesti matrimonii Euangelicorum Ministrorum insectatoribus: quod Deus ipsemet instituerit hunc ordinem, nimirum *Gen.2.vers.18.* Non est, inquiens, bonum, hominem esse solum: quæ vox in nouo testamento correcta non est, sed potius stabilita ab ipsomet Christo dicente quod Deus coniunxit homo non separet *Matth.19.versiculo 6.* Ornauit etiam filius Dei sua præsentia & munifica liberalitate Cananæas nuptias Iohannis 2. Accedit huc autoritas Apostoli dicentis prohibitionem coniugii esse doctrinam dæmoniorum 1. *Timoth.* 4. *versiculo* 1. *&* 2.

Primitiua Ecclesia.

Opponimus papicolis etiam primitiuam Ecclesiam quæ ante exortum Antichristicum Papatum in electione ministrorum nullam habuit rationem cælibatus. Si cætera requisita adhærerent quæ in ministro necessaria puta-

putabantur, matrimonio non impeditum fuit officium & electio. Et tamen illi quotidie proposuerunt verbum Dei cœtui Ecclesiæ, frequens etiam fuit communicatio cœnæ.

In synodo Nicena Paphnutius cælebs Episcopus Ægyptius grauiter opposuit se cæteris patribus legem laturis qua coniugium sacerdotibus prohiberetur, & eius sententia scripturis conformis iudicata & recepta est, vt patet è Tripartita historia *lib. 2. cap. 1. & 14.* Et constat ex historiis Ecclesiasticis quod Ecclesiæ orientis illum morem semper retinuerint cótra Romanorum decreta: Et in hunc vsque diem si quos habent in Religione sacerdotes sub imperio Turcico, mariti sunt. *Paphnutius.*

Nec defuerunt inter pontificios saniores qui vltro faterentur firmam esse sententiam Ministris verbi concedendum esse matrimonium quod ab ipso Deo sine exceptione sacerdotum esset institutum, qui si ab eo essent arcendi vtique exceptio adiuncta esset *Gen. 2. v. 15.* Nec ab ipso Christo prætermissa fuisset *Matt. 19. v. 11.* Quos autem Deus non submouit ab vsu rei bene institutæ, homines etiam submouere non debent. Hoc confirmat inter cæteros pontificios Nicolaus Siculus qui alias vocatur Panormitanus: hic ingenue contendit sacerdotibus dandas esse vxores: hunc non postremum Iuris Pontificii assertorem consule, capitulo: Cum olim, & cæt. *Saniores quidam Papistæ.* *Panormitanus.*

Opponamus præterea incasti coniugii sacerdotum calumniatoribus testimonia patrum quorum autoritatem non raro contra nos iactare solent patiantur ergo vt propter arma nonnihil depectantur, si forsan (sed frustra hoc speramus, obdurnerunt enim & obbrutuerunt) possent ad serenitatem perduci.

B. Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei *capit.* 20. vehementer inuehitur in eos qui à matrimonio se abstinent cum non habent donum castitatis. *Patres vetusta Ecclesia.*

Idem in lib. de bono coniugali ad Iulianum *Dist.* 27. c. Quidam, &c. Quidā nubentes POST VOTVM asserunt adulteros esse: Ego autem dico vobis quod grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Origenes in Matthæum Homilia 5. reprehendit eos acriter qui nubere prohibent.

Hieronymus in Epist. ad Ephesios *Distinct.* 37. Legant, &c. Legant Episcopi atque presbyteri qui filios suos secularibus erudiunt literis & faciunt illos comœdias legere & turpia scripta cantare de Ecclesiasticis sumptibus eruditos.

Gelasius Primus ex patre Valerio Episcopo vixit Anno Christi 494.

Agapetus primus ex patre Gordiano præsbytero natus tempore Iustiniani Imperatoris vixit, vt liquet ex Platina & Volaterrano.

Sylueríus Campanus ex patre Hormisda Episcopo testibus Platina Volaterrano & alijs, natus fuit.

Iohannes 21. ex Gregorio Portuensi Episcopo, vt patet ex libro cuius titulus est: Stella Chronicorum, progenitus est.

Theodotus primus ex patre Theodoro Episcopo: teste Volater.

Hadrianus secundus ex patre Talaro Episcopo : teste Platina.

Iohannes duodecimus ex Sergio Pontifice sub imperatore Henrico aucupe circa annum Christi 930. Platina.

Episcopus Coloniensis Adolphus duxit vxorem Anno Christi 1363. tempore Caroli IV. Imperatoris, & Vrbani V. Papæ, vt Chronicon D. Hedionis affirmat.

Iohannes Leodiensis Episcopus qui tempore Roberti Bauari & Sigismundi Imperatorum vixit, vxorem duxit teste eodem Hedione ibidem.

Plura exempla in medium adducere cur sit necessarium? è verbo Dei scriptis patrum & exemplis ex historia Ecclesiastica desumptis, quæ hac vice citaui, satis constat quod effronte audacia coniugium Lutheri temerare allaborent papicolæ: nec ad rem facit quod exempla ministrorum in cælibatu caste viuentium, vt Hieronymi, Paphnutii, Tertulliani & similium producunt.

Nam his venia dari potest cum castissime vixerint, nec aliud laudarint quam quod vita & moribus expresserunt. Eadem autem ratio non est cum papicolis: hi enim inter scorta cælibatum profitentur & inter vagas libidines commendant virginitatem: Curios simulant & Bacchanalia viuunt. Satis sit contrarium exemplis & scripturis eos abegisse.

Quæ alias contra coniugium profert Hieronymus **der gute Pater vnnd Nonnenlober** (vt vocatur in 12. concione Mathesii de Histor. Lutheri *pagin.* 136. *fac.* 1.) per aliam occasionem, Deo dante elidi poterit.

Cæterum Lutheri Oeconomiam & priuatos mores mordicus arrodunt papicolæ & Iesuitæ: In hac palæstra eminus decurrit Iohannes Pistorius Apostata pii Theologi Hassiaci degener filius, qui vt Luthe- *Priuata vita & mores Lutheri.*

rum.

Pistorius. rum satis superque conspueret, Anatomiam quandam Lutheri, mendacissycophanticum & superbum scriptum ex propriis Lutheri tomis, vt ipse Pistorius blatit, compilauit: similis hæc in turpi & infami Epopæ omnia defœdanti.

Curt Vetter. Pistorio sese conformare voluit Iesucida quidam Ratisponensis qui sese venditauit sub laruato nomine M. Conradi Andreæ, cum ipsi verum esset nomen, Curt Vetter: hic vt toti mundo patefaceret se calumniatoris & mendacis Spiritus infernalis vestigiis fideliter insistere, corrasit è Lutheri tomis quasdam sutelas in quibus redarguit Lutherum plurimorum criminum sub his Ironicis titulis Der vnschuldige Luther / der demütige Luther / de warhaffte Luther / &c. In his Chartulis vitam mores & consequenter doctrinam Lutheri eum in fœdum modum conspurcat, vt merito Sathanæ cognatus deß Teuffels Vetter posset appellari. Obiicit enim viro Dei libidinosam intemperantiam: crimen maledicentiæ, gloriosæ dicacitatis, superbiæ, impuritatis, leuitatis, & si quid his cedro dignis emblematibus confine & conforme est.

Misericordia autem digni sunt hi impotentes graculi quod linguam adeo semper in procinctu ad maledicta habere didicerint, vt huiusmodi scripta in innocentes & benemeritos heroes eructare non erubescant, non aliter acsi maleolentem & tetrum æstuantis stomachi biliosiue cuiusdam humoris seu halituosam Mephitim efflent & egurgitent.

D. Phil. Heilbronnerus. Clarissimus Theologus D. Philippus Heilbronnerus prædictum Vetterum coram Celsissimis principibus Bauariæ aliquot criminum falsi in istis chartulis contra Lutherum commissorum Ratisponæ conuicit, nec fallator & sycophanta vel γρῦ potuit solide respondere, id quod elucet ex postcolloquio Ratisponensi quod publice extat.

Lutherus de sua vita. Audiamus autem contra futiles istos alienæ famæ cauillatores, ipsummet Diuum Lutherum de sua vita & moribus differentem. *Tom.* 5. Germ. Ienens. in responso ad calumnias Henrici Regis Angliæ *fol.* 332. *fac.* 2. sic protestatur: Mein Leben vnnd persönlich Wesen weiß ich zu guter massen selbst wol / daß es Sündlich vnnd keines Trotzens ist / / ich bin ein armer Sünder vnnd lasse meine Feinde eitele Heilige Engel seyn / wol jhnen / so sie es können erhalten. Nicht daß ich für der Welt vnnd Vnchristen solches seyn wil / sondern für GOtt vnd seinen lieben Christen. Für der Welt wil ich auch fromm seyn / vnd bins so sehr / daß sie nicht wert sollen seyn / mir die Schuchriehmen aufflösen: Sie sollen auch mir mit der Warheit nicht beybringen daß ich für der Welt jemand zu nahe lebe oder thue / wie ich wol jhnen will beybringen. Kurtz: Ich bin niemand zu demütig / vnnd niemand zu hochmütig / gleich wie

S. Pau-

S. Paulus sagt: Ich kan hoffärtig seyn / vnd kan auch demütig seyn / Ich kan mangeln vnd kan auch genug haben. Meiner Lehre halben bin ich dem Teuffel / Keyser / König / Fürsten vnd aller Welt viel / viel / viel zustoltz steiff vnd hoffärtig : Aber meines Lebens halben bin ich auch einem jeglichen Kinde demütig vnnd vnterworffen / wer das nicht gewust hat / der höre es jetzt.

Similiter protestatur diuinus iste heros quod vita sua continua fuerit militia, labor, tentatio: *Tom.6.* Germanic Ienens. in breui responso ad libellum Ducis Georgii *fol.24.f.1.* Ich hab vber zwantzig Jahre die Heilige Schrifft gelernet / mit allem fleiß / beten vnnd wachen / Ich hab sie vber zwölff Jahre gelehret / mit grosser schweren Arbeit / mit schreiben / predigen trucken / tichten / rc. Vnd daneben bin ich täglich mit vnsäglichen Anfechtungen / Verfolgungen / Engsten vnd Nöhten / versucht vnd probiert / vnd kan dennoch leider allzu wenig da von / vnd gar offt meine Lection / wie ein Kind nicht auffsagen.

Sycophantice exprobrant Iesuitæ & papicolæ Luthero intemperantiam & luxuriem : testatur etenim prorsus contrarium Melanchton qui quotidianus eius collega, collocutor & vicinus fuit, adeoque explorator esse potuit. Verba Dn. præceptoris in oratione de vita Lutheri hæc sunt: Vtilis esset & priuatæ ipsius vitæ Lutheri, consideratio luculenter scripta: Plena enim fuit exemplorum quæ ad confirmandam pietatem in bonis mentibus profutura essent. Et post pauca : Erat autem Lutherus natura quod sæpe miratus fui, in corpore nec paruo nec imbecilli, valde modici cibi & potus: vidi cõtinuis quatuor diebus, cum quidem recte valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem vidi alias sæpe multis diebus quotidie exiguo pane & halece contentum esse: Hæc Dn. præceptor. *Melanthon testis de temperantia Lutheri.*

Testimonium hoc D. Philippi confirmat Iohannes Mathesius Theologus in Valle Ioachimica quondam excellens, Lutheri per annos aliquot domesticus & commensalis, proindeque longe veracior testis quam manipulus mendacium Iesucidarum : Sic autem Mathesius concione 12. de Lutheri vita *fol.134.fac.2.* Ob Lutherus wol einen zimblichen Leib hatte / aß vnnd tranck er doch wenig vnd selten was sonders / ließ sich an gemeiner Speise genügen. *Mathesius testis de Lutheri temperantia.*

Splenduit in Luthero domi etiam verecundia in sermone & gestibus teste eodem Mathesio ibidem *pag.103.f.1.* Er war ein züchtiger Eheman vnd redet Ehrlich von Frawen vnd Jungfrawen : Vnzucht vnd Schampare Reden war er feind ich hab / so lang / ich vmb jhn gewest / kein vnschambar Wort auß seinem Munde gehöret : Wer von Frawen vnd Jungfrawen / *Verecundi mores Lutheri.*

Obrigkeit vnnd Priesterschafft vbel vnnd garstig redet/ der ist nicht Ehren werth/ sagt er.

Sermones in mensa. Et ibidem *pagin.* 120 *f.1.* Er kam selten an den Tisch/ daß er nicht ein Buch mit sich brachte: Nam offt schwere vnnd tieffe Gedancken mit sich an Tisch/ hielt bißweilen die gantze Maltzeit sein alt Kloster silentium, daß kein Wort am Tische fiel/ doch ließ er sich zu gelegener Zeit sehr lustig hören/ wie wir dēn seine reden condimenta mensæ pflegten zunennen / die vns lieber waren denn alle gewürtzte vnd köstliche Speise (NB) Wenn er vns Rede wolte abgewinnen/ pflegte er einen Anwurff zuthun: Was höret man Newes? Die ersten Vermanung liessen wir für vber gehen / wenn er wider anhielt/ sprach er jhr Prælaten was Newwes im Lande: da fiengen die Alten am Tische an zu reden. D. Wolff Severus / so der Römischen Königlichen Mayestat Præceptor gewesen / saß eben an / der bracht was auff die Bahn/ wann niemandts frembdes vorhanden/ als ein gewanderter Hofmann/ etc.

Lutherus non auarus. Alienus etiam fuit ab auaritia & sordibus, modicoque contentus, & ἐκ τῶν ὑπαρχόντων liberalis erga pauperes & exules. Si hic vir diuitias & opes huius mundi captare voluisset, Deum immortalem! quos ille thesauros & diuitias sibi sine vllo negotio per tot datas oblatasque occasiones potuisset conuasare? Sed sanctissimus vir summas sibi putauit diuitias pietatem, cum αὐταρκείᾳ. Summorum principum munera nonnunquam serio modeste tamen respuit. Electori Iohanni noua tunica ipsum donanti respondit: Nimium sibi fieri. Epistola extat *Tom.4.* German. Ienens. *fol.466.f.2.* Inter cætera sic ibi: Jch habe leider mehr sonderlich von E.C.F.G. denn ich im Gewissen vertragen kan/ mir gebürt auch als einem Prediger nicht Vberfluß zu haben/ beger es auch nicht. Darumb ich auch E.C.F.G. allzumilde vnnd gnedige Gunst also spüre daß ich mich gleich fürcht / denn ich ja hie in diesem Leben nit gerne wolte mit denen erfunden werden / zu welchen Christus spricht: Wehre euch Reichen jhr habt eweren Lohn dahin/ summa: Zuviel zureisset den Sack/ & cæt.

Idem Illustrissimus Elector Luthero venam metallicam in Niuimontanis liberaliter donare voluit, sed hanc renuit prætendens se Diabolo thesaurorum subterraneorum Domino tentandi ansam præbere nolle.

Alio tempore cum papisticus quidam carnalis homo in medium consultaret, Lutheri vehementiam auro domandam esse (Man solte jhm etliche hundert Gulden in den Halß stecken) Respondit alter: Nil profici: quia teutonica ista bestia aurum & argentum nullius fili vel pili faceret.

Liberalis potius ipse de suis bene partis bonis erga pauperes & exules fuit, quos

it, quos vestiit vel humaniter exceptos hospitio tractauit sæpe cum rei familiaris detrimento insigni.

Veritatis amor. Veritatis amator & mendaciorum calumniarum & posticarum cauillationum osor acerrimus extitit, teste Mathesio loco dicto *pagin.* 137. *f* 1. Neben seinem genügen Hertzigen vnd milten Handen/hatte er einen Waren vnnd züchtigen Mund: Was er versprach vnnd zusagte das hielt er stet vnnd vest/ redet auch von Leuten nicht vbel / wie er denen feind war / so abwesender im argen gedachten. Es seind rechte Sewe/ sagt er offt / welche im Garten der Rosen vnnd Violstöcklein nicht achten/sondern jhren Rüssel nur in Vnflat stecken. Also thun die Verleumbder auch. Grosser Leute Tugendt setzen sie auß den Augen/da sie aber einen Fähl oder Mackel an einem mercken / die pflegen sie außzubreiten oder sich darinn zumesten.

Disciplina domestica. Disciplina ipsius domestica seuera fuit & pia, pro filiis instituendis peculiarem domi suæ aluit pædagogum: Familiam sæpe multumque hortatus fuit ad pietatem, obedientiam, virtutem, fidelitatem & integritatem castimoniæ, ne scandalum in Ecclesia sua domestica darent. Quid multis? Specimen non vulgare reliquit sanctissimus ille vir suæ bene administratæ familiæ concionib. suis domesticis quibus reliquo cætui, splendidissimo pietatis exemplo facem præluxit, atque sic priuata quasi synodo ad publicos Ecclesiæ congressus, omnibus veræ pietatis officiis diligenter præparauit. Pius lector de hoc arguměto plura desiderans, videat duodecimam concionem D. Mathesii de Hist. Lutheri *p.* 124. *f.* 1.

Interea nullius pretii esse calumnias quas contra summorum istorum virorum testimonia de Luthero spargunt Antichristi Romani Ganathones & præbendarii, quis non arbitretur? Et qui possint isti halophantæ sanctissimi Herois & diuini organi Lutheri doctrinam & vitam culpare, solideque reprehendere, cum deterrimis vitiis & criminibus fœdissime scateant ipsi contactuque omnia fœdent, nugivendi in id vnice intenti vt Romanam Thysben & Babylonicam Thaidem suum idolum, de cuius maledicta mensa & vapidis culinis longam suam protractamq; efferciunt & saginant aluum ad pristinam reducant potentiam tyrannidem & animarum internecionem, idque sub sancto titulo executionis conciliabuli Tridentini, etiamsi per istam expeditionem Germania in cruentatas sanguinis humani effusi fossas esset immergenda: modo Antichristus Romanus ad suos pristinos honores & imperium in Cæsarem Reges Principes & Dynastas postliminio vindicaretur. Huc certe collimant omnia tela, scripta, consilia, deliberationes hodiernorum Iesuiticorum nouorum Monachorum, qui susque deq; in Germania clam palămve cursitant, & Lutheri personam, *Scopus iratorum Papicolarum.*

S 2 docti-

doctrinam & professionem in triuiis Scholasticæ iuuentutis & in emissitiis suis scartecis denigrare & commaculare veteratorie satagunt & elaborant.

Nullius molestiæ labor foret mendaciis eorum, quibus Lutheri coniugium & domesticam Ecclesiam temerare conantur, opponere Pontificum Romanensium & Gnathonum Antichristicorum vitas, cælibatum & mores, in quibus Sodomia, auaritia, tyrannis, blasphemiæ, sacrilegia, libidines, & sexcenta alia id genus vitia impuritates & abominationes perstringendæ essent, nisi hac vice per breuitatis condimentum beneuolentia lectoris captanda esset.

SECTIO DECIMA QVARTA.

De specialioribus aliquot periculis & insidiis, è quibus Lutherus, & aliquot fidi eius parastatæ diuinitus liberati sunt.

Pax & otiū in Ecclesia inauspicatū quid.

DETERRIMVS est status Ecclesiæ in pace, crescit ea potius sub persecutionibus sicut lilium inter spinas & sicut aurum in igne clarescit probatur & explendescit, vnde recte S. Bernhardus in 14. Ezechielis scribens: Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amarissima est: Quasi dicat Ecclesia nunquam vehementius periclitatur quam cum pace & otio fruitur. Pax enim ista certum est indicium, omnia ex istius, qui Christi mordet calcaneum, Satanæ nimirum sententia & libidine geri. Cuius rei satis euidenti nobis sunt testimonio pontificiorum blasphemiæ quibus sine vllius interpellatione grassantibus, tanta vbique fuit securitas, vt præ otii culpa quid sibi moliendum, quidue inceptandum esset dubitans Satanas, innumeros Monachorum ordines, peregrinationes ad Diuos infinitos, idololatriæ plures species, quam omnium creaturarum vel virtutes vel vitia numerari queant excogitauit. Postquam vero Reuerendus pater Lutherus per singularem Dei gratiam detexit Antichristi Romani malignitatem, ibi non amplius quieuit cacodæmon, sed contra virum Dei & eius collegas excitauit potentū odia, insidias & euaginatos ad necandum enses secundum illud Archiapostoli 2. *Timoth.* 3. *versicul.* 12. Omnes qui volunt pie in Christo viuere, persecutionem patientur. Et: 1. *Pet.* 2 *v* 21. Siquidem in hoc vocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum vt insequeremini vestigia ipsius.

Huius

Huius argumenti plurima exempla commemoraui in præcedenti proxima de Iesuitis Cheiragogia, è quibus per multos nunc annos toti innotuit Christiano orbi quam auide sitiat Bestia Romana sanguinem Christianorum, vtpote cuius iussu confessores religionis purioris in exilia proscribuntur, exiguntur è suis stationibus & dignitatibus, carceribus mancipantur, compedibus astringuntur, triremibus alligantur, aquis, laqueo, securi, flammis pyræ ardentis plectuntur, & mille aliis modis siue affliguntur, siue è rebus tolluntur humanis.

Circa annum Christi 1520. concionatus est Naumburgi quidam Doctor Theologiæ cognomento Phenningus, qui cum paulo seuerius in concionibus suis indulgentias Papæ exciperet & veritatem diceret odium omnium sacrificulorum in se concitauit. Fugiens autem in Bohemiam à nonnullis Sycophantis arreptus & ad Episcopum Naumburgensem tempore Alberti Ducis Saxoniæ & Misnensis retractus est, qui hunc veritatis confessorem carceri inclusit vsque dum contabesceret. Catal. test. Veritatis Edit. Prim. *p.* 1016. *Phenningus.*

Eadem ratione & funesto molimine Pontificii sua exitiosa & hostilia tela & spicula specialiter in D. Lutherum eiusque collegas sæpius collimarunt & direxerunt multoties, clam palamue, sed frustra. Deus enim in excubiis pro suis ministris fideliter stetit, effecitque vt omnes istæ insidiæ, retia, tendines, tela & ignitæ sagittæ in confessionem & risum exponerentur, & instar euanidarum bullarum euanescerent. Filius Dei enim est Rex populi fidelium & caput veræ Ecclesiæ, cuius fideles Doctores Spiritus S. charismatibus à se vnctos & roboratos protegit sub alis diuinæ suæ tutelę, & proteget vsque ad consummationem seculi, quando omnes illos ad se in cœlos transferet & liberabit ab omnibus malis, periculis, insidiis & formidine mortis abstergetque lachrymas ab oculis eorum, *Esaia 25. versiculo 8.* *Deus suos regit.*

Multæ autem causæ percenseri possent, ob quas exempla diuinitus liberatorum Ecclesiæ Doctorum, notari & conseruari vtile & necessarium est, inprimis vero notetur quod hæ speciales liberationes sint typicæ: præfigurant enim vniuersalem totius Ecclesiæ liberationem in nouissimo die ab omnibus infirmitatibus, periculis, odiis, furoribus huius mundi, & omniũ diabolorum fremitu & crepitaculis, ad lucem & gloriam cœlestis triumphi & tripudii. *Vtilitas exemplorum de liberatione.*

Quin etiam confirmemus nos immutabili hac Ecclesiæ luminum conseruatione, & cogitemus quod Ecclesia & æterna sit & non regatur humanis consiliis, neque humanis præsidiis conseruetur. Sed quod Deus pro Ec-

clesia & eius singulis veris membris stet in excubiis & pios doctores tanquam annulum signatorium in manu sua, imo, seu pupillam oculi clementissime custodiat. Mons Sion, inquit Psalmista, *Psal.* 47.*v.*2. surculus amænus, gaudium vniuersæ terræ, Deus in palatiis eius notus est quod ipse sit refugium, &c.

Papa cohortes aduersus Lutherum & eius collegas.

Sic contra Lutherum infrenduit Satanas & squammæ eius vectes & portæ infernales, Papa Satanæ proxima progenies & huius filii & nepotuli. Cardinales, Episcopi, Patriarchæ, Canonici, Presbyteri, Abbates missificatores sacrificuli, qui omnes aduersus prænominatum virum Dei & eius parastatas collegas adseclas & sectatores instigarunt Cæsarem, Reges, Principes & totum Imperium Romanum, omnes Academias, Doctores & Magistros nostros, sicarios & percussores carnifices, insidiatores, veneficos & horum similes infinitos alios: Putarunt etenim, si Lutherus primum è medio sublatus foret, cursum Euangelii mox simul & certo impeditum iri, sed omnis eorum spes in spongiam incubuit, tanquam vana & irrita, quod euentus per omnia ad oculum euicit.

Romam citatus Lutherus cenouis ad lupi specum.

Statim post impugnatas primo conflictu indulgentias Tezelianas citatus fuit Lutherus vt Romæ coram Pontifice compareret & causam diceret, eo nomine Pontifex Romanensis ad Electorem Saxonem singulares literas plenas humanitatis & blanditiarum scripserat: Sed intercessione Electoris & Academiæ VVitebergensis effectum est vt parsum fuerit Luthero nec Romam proficisci necessum haberet *Tom.* 1. Latin. Ienens. *fol.* 189. & 193.

Et sic Deus eũ ab hamatis bestiæ Romanæ manibus præseruauit, si.n. eo venisset, breui processu instituto properatum cũ ipso fuisset ad ignẽ: Sic enim isti Christicidæ solent per multa nunc secula è paginis suas aduersus hæreticos, vt vocantur, solutiones expromere, imitati hac in parte (perbelle) Alexandrum Magnum qui fulmineo dissecuit gladio nodum Gordium: Et sane sic decet: Heroicum hoc est, & locum hic figunt Rhadamanteæ regulæ: Hæretico non est seruanda fides, quæ regula olim tempore Papæ Eugenii etiam contra Turcam expediunda fuit, vt induciæ rumperentur, vnde funesta & toti Romano imperio tremenda strages ad Varnam in qua laudatissimus Rex Hungariæ Ludouicus etiam fortiter occubuit, commissa fuit, scilicet hac ratione cum Luthero etiam Romæ, modo venisset in forma Iesuitica disputassent, sed Deus malum hoc præuertit.

Lutherus in periculo Augustæ coram

II. Cum vir Dei coram Thoma Caietano commissario & legato Papæ Anno Christi 1518. Augustæ Vindelicorum comparuisset, non vnis

peri-

petitus fuit insidiis: Quidam maleferiati Papistæ inter quos eminuit quidam Vrbanus Orator Montisferrati dissuaserunt Luthero petitionem salui conductus Cæsaris & Senatus Augustani: Sed Lutherus de consilio cordatorum & piorum virorum noluit coram legato comparere donec prius saluum conductum ab Imperatore & Senatu Augustano obtinuisset. Legatus præcise vrsit, vt vir Dei recantaret, abi, inquiens, nec huc redi nisi velis reuocare. *Caietano.*

Staupitius & VVenceslaus Linckius, Theologus Noribergensis intercesserunt apud Caietanum pro Luthero vt mitius cum eo ageretur, quos Italico palpo blande ablegauit Legatus: & nisi optimi hi intercessores & Lutheri excusatores consultò inde discessissent Noribergam periclitati fuissent. *Staupit. & Linckius nō muniti saluo conductu periclitantur.*

Lutherum dehinc per aliquot dies ad se legatus non reuocauit: & indicarunt homines religionis reformationi fauentes interim Luthero tendicnes insidiarum poni.

Proinde Lutherus Augusta digressus Noribergam se quoq; recepit Staupitium & VVenceslaum Linckium insecutus: reliquit tamen post se instrumentum vt vocant appellationis à Legato ad Papam. Legatus aliquoties obtulerat Luthero saluum conductum iter suscipiendi Romam & coram Papa suam dicendi causam. Quo cum venisset, quid putes aliud futurum cum eo fuisse quam quod breui antea dixi. Legatur Oratio Selnecceri de vita & obitu Lutheri *pagin.* 10. *& Tomus.* 1. Germanus Ienensis, *folio* 108. *fac.* 2. im Weitleufftigem Bericht der Handlung für Caietano, & cæt. *Lutherus Augusta Noribergam abit.*

III. Commemorat loco dicto *pagin.* 7. *f.* 2. D. Selneccerus quod Luthero Augustam commeanti & inde regresso inter vias variæ insidiæ, vt potе strangulationis vel in aquis violentæ suffocationis: de quibus omnibus Generosissimus Comes Mansfeldensis Albertus virum Dei admonuerit, vt caute ambularet, Deus autem istas machinationes clementissime disputauit vt Lutherus Noribergam & hinc VVitebergam sanus & intactus redierit. *Iter periculosum Lutheri.*

IV. Hac via cum res non procederet, alia via eandem de nouo aggressus est Papa: Emisit enim mandatarium quendam virum nobilem, Casparum à Miltitz cubicularium suum ad Electorem Saxoniæ cum aurea rosa cuius oblatione Christianissimi Septemuiri beneuolentiam aucuparetur & Lutherum eo expeditius in odium adduceret & sibi traditum Romam ad Leonem qui ouiculam hanc pleno & Rhadamanteo rictu, ceu famelicus & rugiens Leo pardus deglutire paratus erat, *Caspar Miltitz.*

erat, recta abducere posset. Sed & hic dolus & astus cum omnibus adiunctis insidiarum laqueis in fumos abiit euanidos. Totam hanc rem quemadmodum gesta est, inuenerit diligens lector *Tom.* 1. Latin Ienensi *fol.* 221.*a.* Itemque in oratione prænominata Selnecceri *pag.*13.*a.* Schleidan.*lib.*1.

Insidiatoriæ literæ.

V. Connumeranda hic sunt seditiosæ & insidiatoriæ literæ aduersus Lutherum conceptæ, scriptæ & hinc inde ad eiusdem fautores missæ, vnice que eo directæ vt vir Dei omni humano præsidio sola io & patrocinio nudatus eo facilius captiuaretur & opprimeretur. Innumerabiles id genus literæ eo tempore eaque ratione & fine in Germania circumuolitarunt. Leo 10. ad Degenhartum Pfeffingerum Electoris Saxoniæ Consiliarium & Georgium Spalatinum Secretarium Saxonicum blande scripsit, vt quantum in ipsis esset, Luthero, quem simul nominitat detestabilem filium Satanæ, temerarium & hæreticum, resisterent, vt patet *Tom.* 1. Latin. Ienens. *fol.* 220. eiusdem argumenti & scopi sunt Vicecancellarii Romani & Cardinalis de Medi ad eosdem prænominatos Pfeffingerum scilicet & Spalatinum datæ Epistolæ quæ extant itidem loco iam dicto. Huc collimat etiam Epistola D. Eccii ad Electorem Saxoniæ, qua gloriose & falso narrat acta disputationis Lipsensis *Tom.*1. Ienens. Germanico *fol.*347.*a.* Eiusdem styli & fili sunt multæ literæ Ducis Georgii ad Fridericum Electorem datæ, quibus acerbe traducit & accusat Lutherum, vide huius furfuris aliquid *Tom.*1. Germ. Ien. *fol.*209.

Huius generis plures φλυαρίας percensere nolo, siquidem per tomos scriptorum Lutheri tam latinos quam Germanicos plurimæ extant ad quas lectorem ablego. Tantum hoc obseruetur, quod & hæ insidiæ & accusatiunculæ nihil quidquam profecerint, sicut enim inclytus Septemuir Saxo noluit existere defensor eorum quæ cõtra indulgentias Lutherus ediderat, sic nec iudicem se facere voluit nec vi opprimere virum Dei rebus neque cognitis, neque iudicatis, etiamsi summe eo elaborauit Pontifex & eius adseclæ vt accenderetur Electoris animus ad asperiora consilia.

Anathemata.

VI. Eiusdem absurditatis & inefficaciæ fuit Anathematis fulmen quod Antichristus Romanus in Lutherum eiaculatus est, An. 1520. 17. Kalend. Iulii. Bulla hæc, plena damnationis, reprobationis, reiectionis, inhibitionis excommunicationis, & anathematizationis, aduersus Lutherum Leonino immanique rictu & hiatu, publicata extat *Tom.* 1. Latin. Ienens. *fol.* 508. *a.* Accesserunt ad hanc excommunicationem tot proscriptiones & edicta Imperatoris, comitiorum decreta Principum & Episcoporum diplomata, quibus Luthero interdicebatur igne sale & aqua: Sed hæc omnia per Dei potentem

sentem dispositionem fuerunt nil aliud quam fulgur ex pelui (ein Machtloß Getöß vnd Beckenklang) & terror panicus. Olim quidem terribile Antichristi & toti mundo formidabile fuit Anathema: sed inclarescente Euangelio Iesu Christi spiculũ istud filii peccati & perditionis recuruatum retusum & in ipsamet scelerata Pontificis præcordia retortum & transactum fuit. Et hoc est quod dicitur *Psal.2.* Disrumpamus vincula eorum & proiiciamus à nobis iugum ipsorum, &c.

VII. Periculum maximum Luthero imminere visum est sub comitiis VVormatiensibus Anno 1521. siquidem omnia tunc spectarunt ad tumultum. Cæsarea maiestas per caduceatorem & fœcialem suum Casparum Sturmium dato saluo conductu VVitteberga Lutherum euocarat, sed rabiosi Papistæ contra omnem datam fidem priusquam Lutherus VVormatiam vrbem subiret, eiusdem libros omnes, quotquot præ manibus fuerunt, combusserunt publice. Quocirca Martinus Buzerus Monachus Alsatus Luthero obuiam processit & in oppido Oppenheimia ad ripam Rheni hæc omnia recensuit & suasit, ne Lutherus sese manifesto periculo committeret, simulque allegauit exempla contra datam fidem combustorum Iohannis Hussii & Hieronymi Pragensis. *Periculosa comparitio Lutheri VVormatiæ*

Verum Lutherus ceu Angelus Domini tandem læta voce inuicto animo in hæc prosiliit verba: vocatus venio, vocatus etiam ingrediar vrbem in nomine Domini nostri Iesu Christi, etiamsi scirem tot Diabolos mihi oppositos esse quot sunt tegulæ in tectis ædium totius vrbis & orbis. Ingressus sic corã totius Romani Imperii procerib. veritatem confessus est intrepide & diserte constanter & mascule, in faciem Imperatoris Caroli V. Electorum & Principum Ecclesiasticorum & secularium, dixit, se nec velle nec posse cedere nisi scripturis conuinceretur. Hie stehe ich/ich kan nicht anders/GOtt helffe mir Amen. Cæsar multoties instigatus vt tolleret hæreticum Lutherum cui fides nequaquam esset seruanda: Sed Deus sic iuuenis Imperatoris animum rexit, vt his instigatoribus responderet: Nolo inquiens, consentire in necem eius, cui fides mea manu & sigillo cõfirmata publiceque missa & exhibita est. *Lutheri angelicum verbũ vox heroica.*

Iohannes Cochlæus imprimis tunc cruentum animum suum aduersus Lutherum prodidit: Non vocatus enim ad Lutherum venit, eo tempore prandii & cum prolixe recantationem, sed frustra, flagitasset, tandem vrsit vt saluum suum conductum & fidem publicam resignaret, hoc si prius faceret, se ilico paratum esse cum eo vsque ad ignem disputare. *Cochlæus insidiatur Luthero.*

Hunc Satanicum sermonem cum audirent præsentes viri illustres & do-

cti Cochlæum exibilarunt & increpabundi foras exire hominem Antichristi lictorem iusserunt.

Lutherus tandem hinc digressus commisit sese itineri vt durante adhuc saluo conductu ex hamatis harum Harpyiarum manibus elapsus ad Ecclesiam VVitebergensem & suam functionem & professionem reuerteretur. Et quia totus mundus tum aduersus illum ardere visus est, inter vias violenter quasi de consilio Serenissimi Electoris per duos strenuos nobilissimosque viros taciturnitate fortitudine & virtute pollentes prope arcem Altenstein non procul ab Isenaco Tyrigetarum captus & abductus est in arcem VVartemburgensem, in qua ceu Eremita delituit in solitudine, vbi & non paucos Theologicos tractatus elaborauit, & postea publicauit, sicut Euangelista Iohannes olim visionem suam Apocalypticam in Pathmo insula maris Ægæi tempore persecutionis sub imperatore Domitiano scripsit, Plinius *lib.* 4. *cap.* 12. vide de præcedentibus etiam Schleidanum *lib.* 3. *Tom.* 2. Latin. Ienens. *folio* 455. *a.* Et *Tom.* 1. German. *folio* 545. Selneccerum in oratione de D. Luther. 24. Bucholzerum & alios multos.

Pathmus.

VIII. Difficilia etiam fuerunt & periculosa Augustana Comitia, cum ordines protestantium principum & Theologorum inuictissimo Imperatori Carolo V. obtulerunt fidei suæ symbolum quod postea à loco exhibitionis nomen prorsus augustum sortitum est, vt in hunc vsque diem dicatur Augustana confessio. Huius exhibitæ confessionis tempore solennibus & celebratissimis Comitiis Augustanis Ecclesia Lutherica rursus vehementer periclitata fuit, nam palam auditæ sunt voces Imperatoris, suam sacratissimam Maiestatem deuinctam esse Romanæ Ecclesiæ cuius exsistere etiam vellet defensatrix: Voces profanorum aliquot principum fuerunt: Quod si loco Cæsaris essent se refutationem confessionis concepturos esse rubrica sanguinis defluentis de ceruicibus Lutheranorum: Septemuir Saxo petiit ditionum suarum confirmationem ab Imperatore, à quo seuerum tulit responsum quod Imperatoria Maiestas feudum ipsi conferre non posset, nisi prius eiuraret hæresim Lutheranam.

Pericula in Augustanis comitiis.

Inter has συῤῥάξεις in periculosam animi anxietatem prolapsus Philippus Melanchton precibus & literis D. Lutheri Coburga (hic enim ceu in altero suo Pathmo latitauit) erectus & confirmatus fuit, id quod docent consolationis viuæ abundantissimæ literæ quas Lutherus hoc nomine scripsit, extant. *Tom.* 5. Ienens. Germanic. *folio* 39. & sequentibus aliquam multis.

Philippi M. angor.

Res omnes tamen sic exitum tulerunt, vt mediocria halcyonia diuinitus indulta fuerint, licet Papa Clemens 7. frigidam subinde suffundens animum

mum sapientissimi Imperatoris aduersus Euangelicos ordines exulceraret, & indesinenter ad arma concitaret. Paulo post enim pax Ecclesiis protestantibus ab Imperatore Noribergæ & Sueinfurti per Moguntinum & Palatinum condita est, vt habet Bucholzerus. Schleidanus *lib.* 8. & alii.

IX. Multa insidiarum priuatarum teria effugit Lutherus quod patet ex 1. *To.* Eislebiensi scriptorum D.D. Lutheri (quibus Eislebiensibus tomis multa inserta sunt quæ non viluntur in Ienensib.) & VVitebergensib. *f* 24. *&* 25. vbi legitur quod aliquando VVitebergam venerit quidã qui se pro Imper. Cancellario venditauit & colloquium Lutheri expetiuit, quem & Lutherus humaniter porrecta manu excepit. Huius propositum fuit Lutherum globo tormentario traiicere, quas insidias cum olfaceret Lutherus statim suum inclamauit famulum vt subito adesset: His animaduersis impostor foras profugit & VViteberga tacite discessit. *Priuata insidia.*

Eodem tempore ab Episcopis Polonicis ablegatus fuit quispiam in Germaniam Iudæus simul & Medicinæ Doctor, cui polliciti fuerunt duo aureorum millia si Lutherum per insidias tolleret: hoc consilium cruentum vbi innotuit Ministris Vratislauiensibus clam Lutherum adhortati sunt vt sibi ab isto parricida diligenter caueret: Et antequam hic adueniret, alius quidam Pragensis Bohemus easdem insidias Luthero parauit.

Existimauit Lutherus sæpissime suggestum & manubria veneno illita fuisse, sicut & alia quæ manibus attrectanda essent: venenum item aliquoties sibi propinatum, sed se diuinitus conseruatum iuxta Christi promissionem: Si quid lethale biberint non nocebit eis *Marc.* 16. *v.* 18. *Venena.*

Dicitur Luthero in comitiis VVormatiensibus cum cœnaret apud Treuirensem porrectum ab Eccio esse poculum vitreum, quod cum crucis signo notaret & tum demum ori admoueret in aliquot partes fractum dissilierit, ad quod Lutherus subridens: iste, inquit, potus mihi non fuisset salubris. Vide de hoc argumento plura in 14. Concione Mathesii de vita & obitu Lutheri *pagin.* 155. *f.* 1. *&* 2. & Concionem M. Thomæ Vinitoris in funere Nobilis. Abrahami ab Einsiedel in Scharfenstein consiliarii Saxonici. *Eccius porrigit venenũ.*

X. Ex afflictissimo morbo & corporis infirmitate quæ vehementiore lucta spiritualium tentationum nimiopere aucta fuit, per diuinam *Morbi.*

T 2 libera-

liberationem eluctatus est Vir Dei Lutherus, infirmitas eius tanta fuit, vt aliquoties deliquium animi passus sit, totumque eius corpus frigore sic vsque obriguerit, vt D. Iustus Ionas D. Pometanus & reliqui circumstantes putarent eum iam extinctum iri. Medicamentis autem refectus & recreatus vehementissimas sensit tentationes, contra quas sese roborauit, medicamentis verbi cœlestis: imprimis vero animam suam patri cœlesti commendauit serio, sicut & totum ministerium annunciationis Euangelii Iesu Christi, cui & ipse hactenus ceu membrum adhæsisset. Inter cætera etiam his verbis ingemuit. Ich bin nicht wirdig gewest/ daß ich vmb Christus willen/mein Blut vergossen hette/ wie viel auß meinen Brüdern vmbs Bekäntnuß willen deß Evangelii gethan haben. Aber diese Ehre ist auch S. Johanni dem Evangelisten nicht widerfahren/der doch viel ein Erger Buch wider dz Bapstthumb so deß rechten Antichrists Reich ist/geschrieben hat/dergleichen ich nimmermehr schreiben werde noch kan.

Item: Viel geben mir schuldt/ich sey zu hart vnd hefftig: Ich sey nuhn heftig oder mässig/so habe ich ja keines Schaden/viel weniger seiner Seelen Verlust gesuchet..

Item: Mein allerliebster Gott ich dancke dir von Hertzen daß du gewolt hast/ daß ich auff Erden solt Arm vnd ein Betler seyn/ kan derohalben weder Hauß/ Ecker/ligende Gründe/ Gelt noch Gut meinem Weib vnd Söhnlein nach mir lassen / wie du sie mir geben hast / so bescheide ich sie dir widerumb/ du Reicher/ trewer GOTT ernehre sie/ erhalte sie / wie du mich biß daher erneheret hast / O Vatter der Waysen vnnd Richter der Witwen/ & cæt..

Lutherus decumbit Smalkaldiæ. Smalkaldiæ Anno 1537. incidit Lutherus etiam in morbum prorsus lethalem, laborauit enim doloribus calculi adeo vt ad dies vndecim ne guttam vrinæ emitteret. Decumbentem Electores & principes visitarunt: ardenter in hac infirmitate incensa precū gemebundus & constans obtulit his fere verbis: Domine IESV CHRISTE nomen tuum multos liberauit, libera etiam me, mi Deus, qui scis me tuum verbum fideliter & reuerenter docuisse: Si est pro gloria nominis tui, iuua & libera me vt conualescam: Si non: Claude oculos meos in pace vt placide moriar. Moriar autem inimicus inimicis tuis, sub Anathemate Papæ, qui sub anathemate tuo moritur. Gratias tibi ago mi Domine Iesu quod in agnitione tui morior: faciam quod Deus vult, cuius gratiæ hic totum trado: Moriar in odio Papæ qui semet extulit supra Christum..

Tambach. Perductus autem in itinere Tambachium, restitutus est priori valetudini vnde locum illum nominauit locum benedictionis, Capharnam hoc est

domum

domum in qua sanatus erat: Bethabara hoc est domum transitus. Vide Selneccerum in Histor. de D. Luthero *p.* 28. *f.* 1. Mathesii vndecimam concionem de historia Lutheri *p.* 116.

Ex his patet quam grauiter vir Dei tum decubuerit: Sed Deus eum ab hoc morbo ceu mortis apparitore clementissime liberauit, Inspiciatur *To.* 3. Germ. Ien. *fol.* 401.

Cum Eislebiam breui ante obitum suum proficisceretur ad consopiendum quasdam controuersias inter generosos Comites Mansfeldenses: Et D. Iustus Ionas Theologus Hallensis eum comitaretur, jamque Lutherus vna cum tribus filiis & D. Iona Salam nauigio transfretaret, (flumen istud tum pleno alueo propter eluuiones ferebatur) ob violentum venti turbidioris impetum summe periclitatus est, lintre nauiculæ jiam ad submersionem pene inclinante. Sed diuino assistente brachio nauicula sustentata & æquabili remigio ad citeriorem perlata fuit ripam quam cum incolumes, nauigio relicto conscendissent: *Iter postremum Islebiū so.* *Periculosa nauigatio.*

Were das / inquit Lutherus/ **nicht dem Teuffel ein Frewdenspiel vnd wolgefallen / wenn ich mit dreyen Söhnen vnd mit euch** D. Iona **im Wasser ersoffen were /** vide in 14. concione de historia Lutheri, Mathesium *pagin.* 164.

Hæc de præcipuis iisdemque terribilibus, grandibus & præsentissimis periculis, è quibus virtute auxilii diuini optato Lutherus liberatus est, in testimonium quod hic vir, ceu pupilla oculi Dei fuerit, quem Deus præsidio angelorum suorum aduersus Satanæ & totius mundi ictus & crepitacula paterne & misericorditer protexit, commonefecisse satis esto.

Huc referantur etiam aliorum summorum Lutheri collegarum diuinæ liberationes: quale exemplum luculentum est, in Simone Grynæo clarissimo quondam Philosopho & Theologo Basiliense, cui Faber Episcopus Viennensis retendit laqueos insidiarum in vrbe Spirensi sed per Angelum admonitus Grynæus elapsus est comitante eum Melanchtone ad Rhenum vsque, vbi conscenso nauigio traiecit. Totam historiam, vt gesta est recitat Germaniæ Præceptor P.M. in explicatione 10. capitis Danielis. *Grynæus Spira in periculo.*

D.D. Nicolaus Selneccerus sic eandem historiam Elegiaco celebrat carmine.

Tempus erat quando res Relligionis agendæ
Hic vbi sunt Nemetum mœnia clara forent.
Iamque salutiferi post incunabula Christi
Ter centum fuerant addita lustra tribus.

Et bis septenos Phœbus confecerat orbes,
Splendida qui nitidi permeat astra poli.
Hic aderant quorum pietas, nomenque, decusque
Aetherei replet solis vtramque domum.
Hos inter fulgente grauis virtute Philippus
De quo qui bonus est optima quæque refert.
Ergo reuisendi causa Grynæus amicos
Mœnia cum socius illa viator adit.
En aliquis complens vesano templa boatu
Verba Faber demens & sine mente facit,
Arrodens panem sacratum quid comedat mus?
Pluribus & nugis corda tenella monet.
Audit eum media stantem Grynæus in æde
Donec sit finem concio nacta suum.
Inde Fabrum sequitur: verbis compellat amicis:
Ille sed vt redeat, sole sequente iubet.
Quid fit? Adit Regem mendax delator, & aulæ
Moribus, insidias duraque vincla parat
Nil metuens structa Grynæi candida fraudis
Simplicitas, ad te, clare, Philippe, redit
Et cœna subito properata voce vocaris
Astantemque vides, ipse Philippe senem.
Hic ait: Aduenient lictores agmine denso
Grynæum abducent: si patiare moram.
Viue Philippe diu: trepida mox mente Philippus
Significat sociis nuncia mœsta senis.
Assurgunt & Grynæum medio agmine ducunt
Sollicita ad Rheni flumina flaua manu.
Hic aura facili ventosque hortante secundos
Ore Dei, tutas Cymbula sulcat aquas.
Hospitii repetunt reliqui cum limina, missam
Percipiunt turbam vix abiisse domo.
Sic fuit elusus Fabri diuinitus astus:
Angelus ille senex quam bene rexit opus!
Sic nos quotidie seruamur & Angelus astat,
Qui nobis tutum sternere nouit iter.

Egregium exemplum recitat etiam Ioh. Schleidanus *lib.* 12. de laudatissimo

ſimo Principe Henrico Duce Saxoniæ patre Auguſti & Mauritii Electorum poſtea Saxoniæ beatiſſ. recordationis: Dux Georgius Saxoniæ carens hærede maſculo, miſit conſiliarios ſuos ad cognatum ſuum Ducem Henricum, offerens ei ditiones ſuas hæreditatis iure poſt mortem ſuam occupandas, verum hac lege ſi prius Luthericam religionem abiiceret, adiunxerunt legati etiam comminationem, ni pareret Henricus, Georgium nominaturum hæredem Cæſaream Maieſtatem. Ibi optimus & laudatiſſimus Dux Henricus regeſſit, idem eſt, inquit ô Domini ac ſi Diabolus mihi dicat, ſi adoraris me dabo tibi omnia regna mundi. Additque: Hoc renunciate cognato meo: In æternum non abiiciam confeſſionem veritatis Euangelicæ: Quiduis potius periculorum & deſertionis ſubire paratus ſum. Hoc reſponſo accepto digreſſi ſunt mandatarii, ſed priuſquam domum redirent Dux Georgius in viuis eſſe deſierat. Sic inuitis inferorum clauſtris Chriſtianiſſimus heros ditiones illas per hæreditatem, optimo iure nihilominus occupauit.

Iuſtus Ionas in periculo ſeruatus.

Antonius Probus Theologus Eislebienſis in oratione contra Ieſuitam Albertum Hungerum olim celebrata *pagin.* 77. recitat, quod Iuſtus Ionas Anno 1548. ſumme periclitatus fuerit: In bello etenim quod Imp. Carolus V. cum principibus Germaniæ geſſit, Capitaneum quendam coactus eſt Iuſtus Ionas hoſpitio excipere, qui etiam in mandatis habuit vt D. Ionam occideret, ſed Deus flexit animum Capitanei vt viro tam graui & præſtanti nullam potuerit, præ verecundia, inferre vim, ſed ſaluum & illæſum è manibus dimiſerit.

Io. Brentius liberatur.

Memorabiles ſunt inſidiæ quæ collocatæ ſunt Iohanni Brentio tempore, Interim, contra quas illuſtriſſimus Dux VVirtembergicus Chriſtophorus pientiſſ. memoriæ præ metu imperatoris vix eum defendere potuit. Halæ Sueuorum irruperunt milites Hiſpani in Brentii ædes & mucronem pectori eius obuerterunt niſi ilico ianua aperiretur & copia totius fieret domus. Ibi D. Brentius cum ſuis domo egreſſus in Xenodochio diuertit & pernoctauit. Mox in turrim excelſam ſeſe abdidit, illicque aliquandiu latitauit, poſtea mutato habitu per medios Hiſpanos tutus tranſiit & abiit, dum eum non agnoſcerent, & ſic diuinitus protectus & liberatus eſt. Poſtea cum Brentius cum collega ſuo M. Iſenmanno maledictum librum INTERIM (ἀναγραμματιζομένως MENTIRI) oppugnaret ſcriptis publicis, Cæſar ſtatim miſit commiſſarium cum mandatis Halam vt vel viuum vel mortuum Brentium abduceret. Cõmiſſarius hic Cæſaris cum Halam veniſſet initio diſſimulare omnia & Brentiũ ad ſe inuitare ac benigne tractare cœpit. Deinde eũ abducere, iã in hoc paratis equis, tentauit. Sed cũ hoc nõ ſuccederet, ſenatũ ciuitatis conuocat, eumq; iuramento adſtringit, vt nihil

eorum vllo modo enuncient quæ ipsis propositurus esset. Vinctis ita iuramento omnibus exponit se in mandatis habere vt Brentium secum abducat, quod si sua sponte illum sibi tradant, bene, & Imperatori rem ipsos gratam facturos, sin minus sensuros iratum, qui oppidum sit oppressurus & alias horrendas addit minas.

Accidit tum Deo ita disponente, vt vnus ex ordine senatorio tardius, iam antea præstito iramento, adueniret, cumque legatus Cæsaris totus in hoc esset vt persuaderet senatui, non curauit tardius aduenientem nec iuramentum ab illo exegit. Misso iam Senatu, ille è vestigio schedam scribit in hæc verba: Fuge, fuge Brenti, cito cito citissime. Quæ scheda cum illi esset oblata per Dn. Isenmannum, amicum fidelissimum, & sedenti quidem in cœna cum vxore & liberis, in ipsa die Iohann. Baptistæ & hilarius cum illis viuenti statim de mensa surrexit, negotium quoddam simulans quo peracto mox sit reuersurus.

Ionathanicus fidus amicus.

Sic est egressus ex vrbe cum fido suo Achate Dn. Isenmanno. Non procul à porta obuium habuit commissarium, qui interrogat ecquorsum sit abiturus? Brentius respondit: Esse in suburbio amicum ægrotum qui eius præsentiam expetat, bene est, inquit ille, cras vt conuenit inter nos mecum eris in prandio. Subiecit Brentius: Deo volente, & sic abiit nesciens quo sese abderet, quo sese conferret. In sylua quadam densissima per dies multos latitauit, vesperi sub crepusculum certum quendam in locum rediit ad suos qui in pago quodam ignoti erant hospitium quodam præbente Nobile. Mane sub auroram repetiuit suas syluestres latebras ne à quoquam interdiu conspiceretur, & hoc per hebdomadas aliquam multas factitatum est.

Cum vero Hallenses eum recipere & tueri non possent suscepit eum Illustrissimus prænominatus VVirtembergicus princeps Christophorus p. m. qui sicut Obadias Prophetas Domini tempore persecutionis sub idololatria Achab, Brentium abscondit & certo loco per intimum suum secretarium, se inscio, voluit collocari, vt cum sciret eum in Cæsaris indignatione esse, interrogatus fide data & religione iurisiurandi affirmare posset se ignorare vbinam locorum Brentius esset.

Sic in extremam ducatus VVirtembergici oram in arcem quæ est supra oppidum Horrenberg in finibus Helueticis cum suis liberis est collocatus, vbi mutato nomine sese venditauit pro præfecto arcis, & sese nominauit HuldricũEngsterum in hac solitudine scripsit commentarios in Esaiam & Catechismi explicationem in qua errores pontificios complures solide refutauit. Tandem restitutis Halcyoniis in conspectum ducatus

Huldrich Engster.

VVir-

VVirtembergici Brentius reuersus est, & vsque ad mortem Spartam suam Stutgardianam sanctissime exornauit. Hæc totidem vero verbis sic recenset D.D. Iacobus Herbrandus in oratione funebri de vita & obitu Iohannis Brentii, *p.*32.

Quas insidias & dolos Iesuitarum sit expertus D. Georgius Mylius Augustæ, & Paulus Odontius in Styria hoc iam pridem toti innotuit mundo, per publicas eorum querelas & lachrymas quas in exiliis suis & angoribus calidissimas profuderunt, & inter Gehennæ ignes Iesuitarum cruciatus æternum augebunt: Nolo hac vice longior esse, sed breuitatis ergo ad ea quæ sunt in hac quarta Chiragogia reliqua pergo, &c. *Paulus Odontius.*

SECTIO DECIMA QVINTA.

De obitu Reuerendi Patris, D. D. Martini Lutheri.

ACCESSVRO ad recitationem placidi & sancti obitus R. Patris D.D. Lutheri occurrit mihi, teterrimum monstrum criminationum, imo & diabolismorum, quibus Papistæ mendacissime & impotenter ex hac vita D. Lutheri beatissimum discessum conspurcant, & quasi in Sanctos & quietos eius cineres meiunt & furiose bacchantur. Sic vsque radices fœda calumnia egit in mentibus & aculeatis linguis horum hominum, vt liuor & maledicendi libido in eis ne post fatum vltimum præstantium quibus postice oggánniunt, virorum quiescere possit, qua in re imitantur coruos qui inuolant in putrida cadauera, quorum arrosione sese infarciunt & saginant. *Obitus Lutheri mendaciter traductus à Papistis.*

Aristoteles in Rhetoricis ait, Platonem huius similitudinis authorem esse: Qui mortuis maledicunt, similes videri catellis qui lapides iactos mordent, ipsos autem qui læserunt non attingunt. In quem sensum etiam Virgilius commemorat, quod Hector Priami filiorum fortissimus, Troianus princeps præstantissimus, vel potius fortissima Troianorum turris (vnde ex χείρ τρῶον Philostrato dictus est) quamdiu in viuis fuit, hostibus suis extreme formidabilis extiterit, adeo vt superstite illo Ilium expugnari non potuerit, sed cum tandem ab Achille interemptus esset & eiusdem iussu bigis ter circum Laomedonteos muros raptaretur: quilibet, alias ignauissimorum militum Græcorum statim adfuerit, & lutum in cadauer Hectoris multis cum criminationibus coniecerit, cuius viui vmbram vix potuisset

ſuſtinere. Sic fit etiam his graculis & coruis Papiſtis & Ieſuitis dum manibus cineribusq; Lutheri inſultant: cuius viri obtutum & heroicos oculos non potuiſſent ferre, ſed audiſſent ab eo potius iſtud: Cum ſitis Nani Cedite. Nec enim ab Hectoris manu cadere digni habemini.

Bellarminus & Coſterus affingunt Luthero terribilem mortem. Inter antè hos mendaces coruos & Nanos, qui mortuos inquiete ſua ſancta turbant, eminere voluit, Rob. Bellarminus qui Luthero ſubitaneam infauſtam & inſperatam affingit mortem *lib.* 4. de Eccleſ. militante *capit* 17. Huius Satanici fabulatoris veſtigia premit etiam Ieſuccida Franciſcus Coſterus Apol. part. 3. C. I. vt euincat ſe cum Bellarmino eſſe eiuſdem figuli & figmenti, eiuſdem luti & figulinæ rotæ.

Ioh. Rotzlöffel. Vetuſtior his eſt nugator Iohannes Cochlæus Rotzlöffel / (vtpote de cuius muco Bellarminus & Coſterus iſtam ſuorum mendaciorum & calumniarum ſaliuam ſuxerunt.) qui peculiare brodium excoxit de vita Lutheri, in quo pueriliter nugatur Lutherum interfuiſſe cœnæ opiparæ & lautæ, cuius toto tempore & deinceps impuris facetiis ſannis & leuitatibus vacarit, ſed integris adhuc viribus ſubito conciderit & de mane mortuus in lecto inuentus ſit, quodque corpus eius præter naturæ ſolitum putreſcere cœperit in hyeme, cum omnia gelu rigeſcerent.

Mendacium fœtidum augent inſigni inſuper mendacio Stanislaus Hoſius & alius quidam obſcuro nomine, Pontacus Catelli pontificii, qui blatiunt in libelli cuiuſdam ſutelâ, Iuſtum Ionam, (Theologum illum clarum & doctum) eo ipſo tempore fuiſſe Lutheri coquum & ſimiliter fere periiſſe.

Hæc collibitum fuit iſtis filiis Geth ſic in requieſcentes ſanctos Manes eructare, licet ſibi mendaciorum conſcii hæc noſſent vi veritatis & ſolidiorum teſtimoniorum euerſum & confuſum iri, nimirum eorum qui præſentes ſingula longe aliter ſpectarant & in vulgus & os totius Chriſtiani orbis ſparſuri erant: Sic vides quod reuera quilibet comparatus ſit, qualis eſt ſpiritus à quo regitur.

Certe hi nugarum inſtitores à patre mendaciorum qui eſt ſimul pater Antichriſti, hac in re gubernatos, & quaſi equitatos eſſe ſequens docebit verax repetitio recenſionis de beato D. D. Lutheri obitu, quæ recenſio obſeruari digna eſt, tum propter aduerſarios tum propter nos qui vera & recta amplectuntur. Etenim (vt Gregorius ſuper *Matt.* 10. recte inquit) Mors iuſtorum bonis eſt in adiutorium, malis in teſtimonium, vt inde peruerſi ſine excuſatione pereant, vnde electi exemplum capiunt vt viuant.

Sane ſi vellem contra Magiſtrorum Papiſticorum luctuoſos exitus commemo-

memorare, vtpote Fr. Spieræ Apoftatæ, Iohann. Eccii Iohan. Hofmeifteri, Bartholom. Latomi, Gardineri, Brockfæi, aliorumque Romanæ, aulæ feu potius caulæ Lycaonum, longe veriora de his, quam ifti de noftris affertem. Etenim de Paparum fubita & infelici morte fic fcripfit Iohannes Saresburienfis Britanus Epifcopus Carnotenfis (qui claruit circa annum dominicum 1182.) in fuo Polycratico: Mea quidem inquit fententia idcirco frequentius moriuntur pontifices, ne totam corrumpant Ecclefiam.

Cur Pontifices plerumq; non diu viuant.

Sed tranfeo ad filum inftituti noftri & repeto breuiter hiftoriam obitus Lutheri, quod beate is in vera fide mortuus fit, fecundum illud quod fcriptum eft Num.23.v.10. Moriatur anima mea morte iuftorum & fiant nouiffima mea horum fimilia.

Vocatus fuit Lutherus Islebium à Generofis Comitibus Mansfeldienfibus ad componenda quædam inueterata diffidia circa fines & hæreditatem: VViteberga fic cum tribus filiis Iohanne, Martino & Paulo egreffus eft 23. Ianuarii. Per omnem vitam nullis voluit fefe innectere negotiis ciuilibus fed potius ftudiis fuis Theologicis, meditationibus, fcriptis didacticis & polemicis nec non adfiduis precationibus vacauit, veruntamen Eislebii in comitatu Mansfeldenfi natus fuerat, ideoque eo libentius huc proficifci voluit tentaturus, num & ipfe finibus patriæ pacem & cōcordiam procurare & ftabilire poffet. Sed fuit hæc diuina gubernatio.

Per quā occafionem Lutherus Eislebii mortuus fit.

Prima nocte fubftitit in cœnobio Bitterfeldenfi, dehinc 24. Ianuarii Halam venit vbi & in ædibus D. Iufti Ionæ humaniter fufceptus pernoctauit, & propter torrentis Salæ inundationem & eluuionem ibidem per triduum commoratus eft: Interim illuxit dies conuerfionis Pauli, hac occafione in templo B. Virginis ex Actis concionem habuit. Die 28. Hala diffeffit, & adiunxit fe illi comitem D. Iuftus Ionas: Atque ita Eiflebiam peruenit fub finem Ianuarii, fed antequam eo perueniffet ægrotare cœpit, adeo vt iam de vita eius dubitaretur, fumpfit tamen cibum, poftea in diuerforio, cum linteolis calefactis fricatus à dolore nōnihil liberatus eft.

Bitterfelt, & Salina Saxonia D. Iuftus Ionas.

In itinere Lutherus infirmatur.

Cæterum Islebiæ toto ifto tempore inter 29. Ianuarii & 18. Februarii interiecto ad reconciliationem & tranfactionem comitum diligenter acceffit & præter id quater etiam concionatus eft: Binis diebus Dominicis Cœnam Domini participauit.

Participatio Cœnæ Chrifti.

Sæpe ad menfam infignia quædam & longe dulciffima facræ fcripturæ loca coram comitibus & reliquis fimul adfidentibus, vtpote D. Iona-Mi-

Menfales cōciones.

chaele Celio Pastore Islebiensi, Iohanne Aurifabro Vinariensi, &c. explicauit, vesperi post sumptum cibum surgens secessit in quoddam angustius hypocaustum sibi peculiariter adsignatum, in quo solus ad fenestram inclinatus feruentissimas ad Deum preces fundere consueuit, D. Iona & reliquis per silentium clam cum admiratione auscultantibus: dehinc reuersus ad prędictos suos socios colloquium ad horæ circiter sextantem plerumque continuauit & sic cubitum sese contulit.

Lutheri cum Deo soliloquia.

Interim toto isto transactionum tempore valetudine vsus est tenuiori. Decimo vero septimo die Februarii cœpit grauius ægrotare ex pectore, & quamquam fuit imbecillior pransus tamen est cum reliquis atque cœnauit, in postrema cœna multa in medium locutus est de breuitate & miseriis huius vitæ.

Morbus ingrauescit.

Hæc secula, inquiens, longæuos homines non ferunt: Ego Doctor Martinus annos iam natus sexaginta tres, si modo decedam de vita, vix putem per totum orbem 60. aut 100. eiusdem ætatis mecum decedere. Multam quoque iniecit mentionem de gloria vitæ æternæ, quæsitum fuit inter cœnandum num in illa sempiterna vita simus alter alterum recognituri?.

Meditatio mortis & vitæ æterna.

Cumque reliqui gestirent ex ipso huius quæstionis euolutionem & deductionem scire. Quid, inquit, accidit Adamo? nunquam ille viderat Heuam, sed cum eam formaret Deus, altissima quiete sopitus dormiebat: Expergefactus autem cum illam videret, non rogauit quæ esset aut vnde veniret, sed carnem esse de sua carne & os de suis ossibus, dixit. Quî vero sciuit istud? Nimirum Spiritu sancto plenus & vera Dei cognitione præditus ita pronunciauit. Ad eundem modum nos etiam in altera vita renouabimur per Christum & parentes, vxores liberos & quicquid est multo perfectius agnoscemus, quam tunc Adamus Heuam cognouit.

Mutua nostrum recognitio in æterna vita.

A cœna cum diuertisset precandi causa, sicut consueuit, cœpit augeri dolor pectoris: protinus igitur calefactis linteolis fricatus est, & monitu Generosorum Comitum Mansfeldicorum puluisculum de cornu Monocerotis abrasum in cochleari binis vicibus, sed prægustatum à Domino Conrado à VVolframsdorff, quo minus ab eo sumendo abhorreret, participauit. Dehinc in lectulo recumbens hora ferme nona & ad somnum compositus suauiter dormiuit vltra horam noctis decimam, cum euigilasset, in cubiculum ingressus est & iam limen tangens, In manus, inquit, tuas, commendo spiritum meum, redemisti me Deus veritatis, simulque porrecta manu singulis fausta precatus est, hæc insuper addens: D. Iona, M. Celi, & vos cæteri, orate Deum, ait, vt Euangelii doctrinam nobis conseruet:

Preces & morbi augmentum.

seruet: fœtens enim Papa & concilium Tridentinum Deo & Euangelio grauiter nunc irascuntur. His dictis aliquandiu dormiuit. Manserunt autem ea nocte in eodem cubiculo D. Ionas, M. Celius, Iohannes Aurifaber, & ipsius D. Lutheri famulus Ambrosius itemque filii. Et cum D.D. ad horam primam noctis euigilasset, conquestus est se pectoris cruciatus durissimos perferre, tametsi cor nondum esset affectum.

Acciti ergo fuerunt Medici M. Simon VVildt & mox D. Ludouicus qui intra quadrantem horæ venerunt: præsto etiam lectulo adstitit hospes Iohannes Albertus primarius vrbis Scriba, cum vxore: Paulo post & Albertus Comes venit cum coniuge & hæc secum varia medicamenta confortatoria attulit & nihil non tentauit quo spiritus recrearet & vires confirmaret. *Medici acciti.* *Adstantes.*

Cum etiã D. Ionas & M. Celius ipsum consolarentur: dicentes: Reuerẽde Pater, inuoces Dominum Iesum Christum quem diligis qui nobis summus sacerdos & vnicus mediator est: iam plurimum sudoris emisisti, qui spẽ nobis facit salutis: Deus qui misericors est omnia in melius mutabit. Nimirũ, respondit ille, gelidus is sudor est mortis nũcius: Ego hic expirabo, nam vis morbi crescit & continuo his verbis orauit: *I. Ionas & M. Celius.*

Mi pater cœlestis qui Deus es & Pater Domini nostri Iesu Christi, autor omnis solatii, ago tibi gratias, quod mihi dilectum filium tuum Iesum Christum reuelasti, in quem confido: quem etiam prædicaui atque confessus sum, quem amore & laude prosecutus sum, quem eundem turpissimus Papa & impii omnes contumelia afficiunt, persequuntur ac blasphemant. Te precor Domine mi, Iesu Christe vt tibi commendatam habeas animulam hanc meam. O Pater cœlestis, tametsi aliter fieri non potest quam vt relicto corpore ex hac vita abripiar, tamen certus sum me tecum in æternum mansurum esse nec è tuis manibus à quoquam eripi posse. *Precatio Lutheri ardens.*

Addit & hæc: Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ac iterum ex *Psa.68.* hæc verba: Deus noster Deus saluos faciendi & Dominus est Dominus educendi ex morte. *Dictorum scripturæ recitatio.*

Paulo post: Ego hinc migrabo: iam iam animã sum redditurus illi qui eam mihi dedit: Proinde acceleratis verbis ter ingemuit: Pater, inquiens, in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me fidelis Deus.

His ita recitatis nihil amplius respondit his qui acclamarunt, sed nihil sese mouens iacuit: Ibi D. Ionas elatiore aliquantum voce eum alloquutus est his verbis: Reuerende Pater: nunquid in fide Christi, & ea doctrina quã hactenus prædicasti etiam moriens constanter perseuerabis? Respondit il- *Perseuerãtia.*

le significanter & clara voce: Ja/ Ja/ hoc est, Ita, Ita, vel, maxime, maxime.

Comes à Suuartzenb. Dum hæc agitata sunt: Commodum interuenerunt Generosus Dominus Iohannes Henricus comes à Svvartzenburg, cum Illustri coniuge sua.

Indormitio. Nam paulo post facies Dn. D. expalluit & nasus pedesque friguerunt, & mox profunde petito spiritu absque omni iactatione & concussione corporis, sed placido mortis somno obdormiuit, vt ne digitum quidem vltra moueret. Nec à quoquam animaduerti potuit (quod coram Deo, inquit D. Ionas, M. Celius & reliqui, testamur per conscientiam nostram) ipsum ringi aut corpore torqueri, vllisue mortis doloribus cruciari, sed Simeonis instar pacifice & placide in Domino indormiscendo viuere desiisse, & sic indigenis cœlestis curiæ additus & beata emigratione de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brabeium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem, de male materiatis his ædibus & ruinoso hospitio ad beatæ vitæ lucem & gloriam est euocatus, dignus sane qui vitam suam in longe seriores annos proterminasset, ceu excellens & æstimatum Dei organon.

Accessus Illustrium Principum & comitum nobilium & aliorum. Hora autem, qua Reuerendus Pater placide obiit, fuit quarta antelucana vel matutina, qua eadem interueniendo accesserunt Illustriss. Princeps Dn. VVolffgangus Anhaltinus, & cum eo Generosi Comites ac Dn. Dn. Philippus, Iohannes Georgius fratres, Volradus, Iohannes, VVolffgangus itidem fratres, omnes comites Mansfeldenses: aliique complures nobiles & clari viri. Postea & alii multi eius ciuitatis viri honestissimi corpus exangue inuiserunt multisque lacrymis prosecuti sunt.

Corpus linteis funebribus inuolutum, I. Ionæ concio funebris. Corpus breui post stola noua alba honeste præuelatum stanneo capulo reconditum est: proxime sequente die in templum Sanct. Andreæ solenniter illatum est, & D. Ionas orationem ibi habuit funebrem qua celebrauit D. Lutheri dona diuinitus ipsi data, addita commonefactione quid portenderet huius viri mors aduersariis Papistis excæcatis & toti regno tenebrarum.

Funus VVitebergam prouectum. Licet vero Generosi Comites in sua ditione locum honorificæ sepulturæ sponte & prompte offerrent, siquidem vir Dei in isto comitatu & natus & mortuus esset: Nihilominus tamen de voluntate Serenissimi Septemuiri Saxoniæ funus VVitebergam deportatum est, ibidemque quieti datum in templo arcis prope suggestum, vbi Venerabilis D. Dn. Pomeranus coram

aliquot millibus ibidem auſcultantibus affectuoſam & luctuoſam habuit orationem funebrem.

Concio funebris VVitebergæ habita à Pomerano.

Cum inter vias funus Halam vſque prouectum fuiſſet obuiam progreſſa eſt tota ferme ciuitas & circumfuſa funus concomitata eſt: Ibi omnes vna lamentationes ſuas & plangores acerbiſſimos vſque adeo intenderunt, vt omnes plateæ præ mœſtitudine & fletu reſonarent & ſæpius cum curru funebri ſubſiſtendum eſſet. Similiter factum eſt VVitebergæ cum eo Lutheri funus perductum humaretur.

Eccleſia in Salinis Saxonicis.

Cum Germaniæ Præceptor Philipp. Melanchton primas literas de morte Lutheri accepiſſet, lacrymis profuſe emiſſis in publica lectione ſic: Optimi, dixit, Adoleſcentes, ſcitis nos ſuſcepiſſe enarrare grammaticam explicationem Epiſtolæ ad Romanos, in qua continetur vera doctrina de filio Dei quã Deus ſingulari beneficio hoc tempore nobis per Reuerendum Patrem & præceptorem noſtrum amantiſſimum, Doctorem Martinum Lutherum patefecit. Verum hodierno die tam triſtia huc ſunt ſcripta, quæ ita auxerunt dolorem meum, vt neſciam an poſſim poſthac in hiſce Scholaſticalibus pergere.

Melanthonis lacrymæ.

Ah? Obiit Auriga & currus Iſrahel! qui rexit Eccleſiam in hac vltima ſenecta mundi: Neque enim humana ſagacitate deprehenſa eſt doctrina de remiſſione peccatorum & de fiducia Filii Dei, ſed à Deo per hunc virum patefacta. Quem etiam à Deo excitatum fuiſſe vidimus. Amemus ergo huius viri memoriam & genus doctrinæ ab ipſo traditum, & ſimus modeſtiores, & conſideremus ingentes calamitates & mutationes magnas quæ hunc caſum ſunt ſecuturæ, &c.

NB. Penetrantia & prægnantia Dn. Melanthonis verba.

O vatem.

Similiter piam & Chriſtianam concionem in funere D. Lutheri habuit Dn. D. Iohannes Bugenhagius Pomeranus Profeſſor & Parochus VVitebergenſis, quam multo cum gemitu & lacrymis, auditorio toto populoſiſſimo ſimul efflictim & ſonore plorante, exorſus eſt. Lectorem remitto ad ipſammet concionem Bugenhagii quæ hoc nomine publice extat.

Dies cõcordiæ dies emortualis Lutheri prorſus fatalis.

Ominoſum eſt hunc Germaniæ Prophetam ipſo Concordiæ die diem ſuum in his mundi fecibus vltimum obiiſſe: nam videtur ſanctam Eccleſiæ & Politiæ concordiam ſimul hinc ad cœlos, mundo immundo relicto, ſubuolaſſe. Prorſus tragica tempora etenim hunc Lutheri obitum ſecuta ſunt.

Mortẽ SS. Ambr. & Auguſt. ſecutæ fuerunt magnæ calamitates.

Mortuo Ambroſio Gothi & Vandali vbique Italiam vaſtarunt tempore Arcadii & Honorii Imperatorum.

Ex-

Quæ calamitates secutæ sint obitum Lutheri.

Extincto Beatiss. Patre Augustino tempore Theodosii secundi & Valentiniani Tertii, Vandali traiecerunt in Africã & secuta est hæresis Arriana in iis locis potentius quam vnquam antea. Mortuo sic Luthero exarsit bellum sacrum: Hispanorum, Italorum & aliarum gentium copiæ in Germaniam sunt infusæ. Bella intestina & externa adhuc durant: in multis regnis & prouinciis contra Euangelium Iesu Christi sæuitum fuit flammis & ferro: Orta sunt odia, irreconciliabilia, metus, simultates, calumniæ, diffidentiæ, discordiæ, corruptelæ, portenta opinionum, Epicureismus, perfidia, contemptus Christi verbi & fidelium ministrorum, plurimorum Apostasia, falsi fratres, serpentes in sinu, &c.

Iesuitæ triste maium Ecclesiæ & vltimus Diaboli crepitus ante diem domini nouissimum.

E qua diffidentia & doctorum dissensione & schismatibus vires aliquas Papa Romanus recuperauit, inprimis cum cerberea Satanæ soboles Iesuitica turba huc accederet, per quam non solum filius perditionis respirauit, sed & Germania & vicina regna periculosis aliquot bellorum cataractis implicita est, & deinceps ni malo huic sensim magis magisque grandescenti obuiam eatur, implicabitur.

Quæ autem superius recitaui de obitu beatissimi patris Dn. D. Martini Lutheri, collecta sunt fideliter ex commentariis fide dignissimorum testium qui præsentes omnia spectarunt & audierunt, quibus etiam longe tutius credendum est, quam impudentibus nugatoribus Papistis & Iesucidis qui contra conscientiæ (si modo eis quædam adhuc inest) dictamen diuersum quid effutire non erubescunt, cum hac in parte de rebus incognitis testimonium perhibeant.

Viuo adhuc Luthero terrum de infausto obitu mendacium infictum.

Quin etiam viuo adhuc Luthero in Italia extremæ impudentiæ mendacium de morte eius diuulgatum fuerat typisque impressum, quo Pontificii seipsos passim sed frustra titillarunt, quod vt exemplum sit malitiæ Papisticæ & Iesuisticæ, breuiter ex *Tom.* 5. Ienensi *folio* 206. *a. b.* subnectere placet.

IMPV-

IMPVDENS MENDACIVM IN ITALIA DE MORTE LVTHERI SPARSVM.

HORRENDVM, ADEOQVE INAVDITVM MIRAculum, quod in æternum laudandus Deus in fœda morte Martini Lutheri & corpore & anima damnati, exhibuit in gloriam Iesu Christi, atque in emendationem & consolationem piorum.

CVM in morbum incidisset Martinus Lutherus, corpus Domini nostri Iesu Christi sibi communicari petiit, quod vbi accepit, breui post extinctus est. Vitæ suæ terminum instare vbi animaduertit petiit vt altari imponeretur corpus suum diuinisque honoribus affectum adoraretur: Verum horrendis erroribus finem tandem imposwurus Deus ingenti miraculo populum admonuit, vt ab impietate, quam Lutherus inuexisset, absisteret, imposito enim corpore eius in sepulchrum, tantus subito tumultus & terror exortus est ac si terræ fundamenta concuterentur. Vnde qui funeri intererant, cohorrescentes obstupuere, moxque sublatis oculis sacram hostiam in aere pendentem conspicati sunt. Quare magna cum animi deuotione sanctissimam illam hostiam in sacro loco reposuerunt, quod vbi factum, tartareus iste fragor audiri desiit. Sub insequentem vero noctem strepitus & fragor priore multo impetuosior circa sepulchrum Lutheri auditus est, qui omnes per totam ciuitatem trepidos, pauoreque tantum non enectos è somno excitauit, quare mox sequente die, sepulchrum, in quod detestandum corpus Lutheri repositum erat, aperuerunt, vbi nec corpus, nec ossa, nec vllas vestes offenderunt, sed fœtor sulphureus è sepulchro exiens circumstantes tantum non extinxit. Quo miraculo complures territi vitam suam emendarunt in honorem Chustianæ fidei & gloriam Iesu Christi. ô offam & iusculum eo tempore pro papasellis!

Si hæc vera non essent quis posset excogitare? Resp. der Teuffel Pater Antichristi.

Viuente adhuc Luthero hoc mendacium apud Italos sparsum est, cumque delatum esset ad ipsum Lutherum, ipse sua manu hæc ei subscripsit.

Lutheri responsum ad tam lepidũ mendacium.

Fateor & testor hac mea manu ego Martinus Luthetus me 21. Martii figmentum hoc iracundiæ & furoris plenum de morte mea accepisse, læta-

que mente & hilari vultu legisse, sed detestatum fuisse istam blasphemiam, qua putens mendacium diuinæ maiestati adscribitur, in cæteris me non posse non gratulabundum ridere Satanæ eiusque squammarum Papæ & complicum eius odium quo me insectantur. Conuertat eos Deus à Diabolica ista malitia. Sin autem decretum est, preces meas pro peccato in mortem irritas esse, tum faxit Deus, vt mensuram peccatorum compleant & libellis per huiusmodi mendacia scatentibus se ipsos inuicem ad satietatem vsque oblectent. Hæc Lutherus.

Stigelii idyllion in mendacem Papā. Nimirum dememinerunt isti nugatores istud vetusti comici, θνητὸς τεφυκὼς, μὴ γέλα τεθνηκότα. Pro conclusione subiicio Epigramma Iohannis Stigelii quo mendacium superius Papisticum vel antichristicum digne excepit.

Papa quid agi oto sua fata precare Luthero,
Nil melius viuat seu moriatur, habes.
Is tua, dum viuit pestis te adfligit & vrit:
Mors tua tunc certe cum morietur erit.
Dura lues pestis, sed mors est durior illa:
Elige nunc vtrum perfide Papa velis.

Thuanus de morte Lutheri nolenter aliter de morte Lutheri filum intendit historicum. Subiicio itemque verba Iacobi Augusti Thuani Historici inter pontificios Clarissimi, quib. Lutheri mortē non ita per palpabilia describit mendacia vt superiores, sed paulo aliter, licet per omnia, vt Pontificii assolent, non vsque adeo fauorabiliter recenset: Sic autem *lib. 2. histor.* sui temporis, *fol.* 3. Thuanus, Sub id tempus inquit, Martinus Lutherus turbarum contra Pontificiam authoritatem concitatarum autor, natus annos 63. in patria Islebii, quod est Mansfeldicæ ditionis oppidum moritur 12. Kalend. Martias illuc VViteberga vbi docebat à Mansfeldicis Comitibus vocatus, & arbiter electus vt dissidium, quod inter ipsos de finibus & hæreditate erat, componeret. Post cœnam proxime ante noctem qua decessit, cum rogaretur, num in illa sempiterna vita simus alter alterum agnituri? Ita est, inquiebat: & scripturæ testimoniis confirmabat. Vt certatim eum viuum multi complexi, sic nec morte quidem ab eius amore auelli potuerunt. Mansfeldii si quidem cadauer, quod hinc originem duceret in suis finibus sepeliri contendebant: Sed vicit Iohan. Friderici authoritas, qui vt VVitebergam referretur atque ibi terræ honorifice mandaretur, obtinuit. Morienti adstitit Iustus Ionas Northusa veteri Chæruscorum oppido natus, olim Iohan. Friderici Saxonis Septemuiri liberorum educationi admotus eorumque fortunæ calamitosissimis temporibus perpetuus comes: & Lutheri

theri ipsius ad extremum constans minister, qui decimo post anno atque adeo climacterico suo Eisfeldiæ, vbi docebat fatis concessit. Hæc Thuanus. Notetur autem quod hoc Thuani Pontificii scriptoris testimonio superiora aliquot Papistarum mendacia iugulari possint & prorsus prosterni.

SECTIO DECIMA SEXTA.

De summis beneficiis diuinitus per Lutherum toti Christiano orbi præstitis.

SVMMA certe beneficia Deus optimus Maximus per hoc organon suum Diuum Lutherum toti Ecclesiæ Iesu Christi γνησίως Catholicæ, in hac mundi senecta vsque adeo afflictæ clementissime præstitit, quæ nunquam dememinisse debemus, sed potius gratis recolere mentibus & hanc summam gratiam & misericordiam Dei æternum celebrare. *Magnũ solatium vere Catholicæ Ecclesiæ à Deo per Lutherum præstitum.*

I. Sub Papatu noua quædam doctrina & religio manifeste erronea grassata fuerat: sonuerat in Ecclesia Matæologia Scholasticorum, Sophistica, infinita idolomania profani cultus & otiosa ceremoniarum spectacula, opinionum monstra, peregrinationum superstitio, indulgentiarum Stercoramenta, & id genus sexcenta alia Satanæ ludibria & oleta, quibus ceu equulei tormentis conscientiæ illaqueatæ excarnificabantur: Hæc omnia beatis Apostolis & primæuis patribus Ecclesiæ prorsus ignota fuerunt, sed potius recens sub Antichristo Romano per otiosos homines excogitata & inuecta fuerant. Hodie maleferiati Iesuistæ adorant ista sub nomine & specie antiquitatis cuiusdam, & contra: Lutheranismum ceu nouum Euangelium turpiter calumniantur. *Genus doctrinæ.* *Romanæ hodiernæ Ecclesiæ dogmata & ritus plane noui & ignoti vetustæ Apostolicæ & Primitiuæ Ecclesiæ.*

Nos sumus, inquiunt inquisitores antiquitatis: Sic Maiores nostri crediderunt, nec nos de his antiquis Catholicæ Romanæ Ecclesiæ & fidei moribus recedimus, &c.

Cum maxime in vera Christi Ecclesia constet quod maiorum exempla atque vitia non semper idonea sint fidei præcepta. *Aurea regula.*

Concilium enim Calcedonense *Action.1.* testatur quod Eutyches hæreticus quoque dixerit: Sic à progenitoribus meis accipiens credidi, in hac fide genitus sum, & consecratus Deo & in ea opto mori, &c. Ea tamen non fuit fides sed potius pestilens hæresis. *Eutiches frustra nisus vetustate.*

Sic Auxentius Arrianus (vt Hilarius scribit in libro contra eundem Auxentium) dixit: Quemadmodum ab infantia edoctus sum ita credidi & credo. *Auxentius Arrianus.*

Similiter Iudæi idololatræ ad Hieremiam Prophetam olim dixerunt *cap.* *Iudæi ad Hieremiam.*

44. Sic fecimus nos & patres nostri, Reges nostri & principes nostri, & saturati sumus panibus & bene nobis erat: Quibus Deus grauiter respondet: In statutis patrum vestrorum nolite ambulare, &c. Ego Dominus Deus vester. Ecce mores hodiernorum Iesucidarum & reliquorum excæcatorum Papistarum: Stylo prophetico in refractario populo iudaico exactissime depictos! Similium enim merito idem est iudicium.

Quocirca immortali nominis gloria Lutherus inter Angelos & electos Dei homines celebrandus erit, qui ad vetustam puritatem, vnde digressa fuerat reuocauit Ecclesiam, nimirum ad vocem filii Dei veluti sponsi & Pastoris sui, secundum quam vnica fides & vita nostra conformari tuto potest & debet.

Vigilius de vera antiquitate. Hæc etenim est fides & professio Catholica inquit Vigilius contra Eutychem *lib. 1.* quam Christus & Apostoli tradiderunt: Martyres roborauerunt & fideles huc vsque custodiunt. Oues meæ vocem meam audiunt, inquit Christus Iohan. 10. & sequuntur me. Nec Ecclesiæ iungitur, inquit Cyprianus Serm. 5. de lapsis, qui ab Euangelio separatur.

Scriptura sunt vera antiquitas. Scripturarum gladio Christus reiecit ipse diabolum cum ab ipso tentaretur, Matth. 4. His armis euertenda & profliganda est omnis altitudo quæ sese attollit aduersus Deum. Omnis enim scriptura, inquit Paulus, diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad refutandum, ad instituendum, ad arguendum, vt vir Dei perfectus sit & ad omne opus bonum instructus 3. *Timoth. 3. v. 16.* Sic semper pii patres contra hæreticos non aliunde quam è scripturis pugnarunt.

Augustinus quam amplexus sit antiquitatem. Augustinus cõtra literas Petiliani *l. 3. c. 6.* grauissime sic scribit, siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunq; re alia, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicã, si nos, sed si angelus de cœlo nobis annunciauerit præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, Anathema sit.

Origenes. Origenes antiquissimus scriptor in Hierem. Hom. 1. Necesse nobis est, inquit, in testimonium vocare sanctas scripturas: Sensus quippe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem.

Hæc pientissimorum patrum sententia in Papatu non amplius curabatur, potius explodebatur, & contra inualuerat scrinium Papæ omniscientis (quantumuis esset illiteratum & bardum animal) inualuerant traditiunculæ Ecclesiæ, nimirum illius quæ Christo præscribere præsumebat: inualuerant cõcilia inualuerant tricati & intricati scriptorculi quos nominabant Summularios, Scotistas, Albertistas, Occamunistas, dormi secure: & similes quisquiliæ sacrosanctum Bibliorum volumen (sed per impietatum

omnium

omnium impiissimam impietatem & Tyrannidem) populo Laico, vt vocabatur, clausum fuit, solus Papa cum rasis suis sacrificulis in Ecclesia dominabatur, qui et scripturam sacrā captiuam tenebat vnice: vt suis vsibus inseruirent vt loquitur Hieronymus ad Pammachiū: Summatim: Quod Cyprianus olim Nouatianis hæreticis dixit, idem ad Papam & eius sectarios quis merito dixisset: Audite Nouatiani apud quos scripturæ cœlestes leguntur potius, quam intelliguntur.

Quis ergo ad memoriam Lutheri reuerenter non assurgat? quis non gratuletur toti veræ Ecclesiæ Iesu Christi de hac Euangelii luce quam per spiritualem Lutheri militiam & in ministerio verbi fideliter & sancte nauatas operas in hac serotina mundi senecta Deus clementissime reaccendit cuius beneficio recte ad saluificam fidem & semitam æternæ gloriæ perducimur?

II. Articuli fidei & loci Theologici catechetici è verbo Dei exstructi roborati, clarissime inuictissimeq; demonstrati nobis per Lutherum & fidos eius discipulos redditi sunt, vtpote de pœnitentia: quis sit portus & firma consolatio mentis, quæ expauit sensu iræ Dei: Illustrauit discrimen legis & Euangelii, & ostendit rationem veræ inuocationis & quidem ad vnum mediatorem filium Dei non ad statuas, inprimis vero genuino suo restitutus est per Lutherum nitori locus de iustificatione gratuita hominis peccatoris coram Deo, qui locus totius sacræ scripturæ arx, metropolis & scopus est: Christe bone quantis scoriis, sordibus, blasphemiis scatebat & scatet adhuc iste fidei articulus in regno Antichristi! Lutherus vero hunc locum singulari pietatis zelo & gaudibundo animi robore παῤῥησίᾳ, καὶ πλυ-ροφορίᾳ in omnibus suis scriptis & certaminibus, concionibus & tentaminibus, heroice prorsus vrsit & defensauit, id quod ex diuini huius bellatoris scriptis vere πυροεντοφθέγκτοις, καὶ θεογράφοις clarissime & eminentissime elucescit, & in omnem rutilat Christianum orbem.

2. Secundum beneficium ingens per Lutherum diuinitus Ecclesiæ suggestū sunt articuli fidei.

Locus de iustificatione.

Diesen Artickel de iustificatione gratuita, (spricht Lutherus in der Warnung an seine lieben Teutschen) wollen die Papisten gar nicht leiden / so können wir sein gar nicht entrathen / denn wo der Artickel weg ist / so ist die Kirche weg / vnnd mag keinem Irrthumb widerstanden werden / weil ausser diesem Artickel der heilige Geist nicht bey vns seyn wil vnnd kan / denn er sol vns Christum verklären. Vber diesem Artickel ist die Welt so offt zu scheitern gangen / durch Sündflut / Wetter / Gewässer / Krieg vnnd

O Germania Principes qui infernales flãmas effugere vultu & cupitis, sumite hæc ad animum.

alle plagen/vber diesem Artickel ist Habel erwürget vnd alle Heiligen/vnd müssen auch alle Christen darüber sterben. Dennoch ist er blieben / vnd muß bleiben vnd die Welt immerdar zu Grund gehen. Also sol sie jetzt auch gehalten vnd vber dem Artickul gestürtzt werden/vnd sol sie Toll vnd Thöricht werden so sol sie doch den Artickul lassen stehen. Das wil ich meinen lieben Teutschen zur warnung gesagt haben.

Item auff das Vermeinte Keyserliche Edict Anno 1531. *Tom. 5.* Ienens. *fol.* 292. Ich sehe daß diesen Haupt Artickul der Teuffel jmmer muß lästern/ so sage ich Doctor Martinus Lutherus vnsers Herrn Jesu Christi vnwürdiger Evangelist (der Teutschen Prophet: denn solchen Hoffertigen Namen muß ich mir hinfurt selber zumessen meinen Papisten vnnd Eselen zur Lust vnd gefallen/*Tom. 5.* Ienens. *fol.* 280.

Pie animose rotunde.

Daß diesen Artickul (der Glaub allein ohn alle Wercke macht Gerecht für GOtt) sol lassen stehen vnd bleiben/der Römische Keyser/ der Türckische Keyser / der Tartarische Keyser/der Persen Keyser/der Bapst/ alle Cardinäl Bischove/ Pfaffen/ Mönche / Nonnen / Könige / Fürsten/ Herrn vnnd alle Welt/sampt allen Teuffeln/vnd sollen das Hellische Fewr dazu haben auff jhren Kopff vnd keinen Danck dazu/ etc.

Dieser Artickul ist das Haupt vnnd Eckstein / welcher allen Christen die Christliche Kirche schaffet / ernehret/ bauwet / erhelt / vnnd verthädiget / in præfatione vber deß Herrn Brentzij Amos.

Item In meinem Hertzen lebet vnd regieret dieser einiger Artickul: Der Glaube an meinen lieben Herrn Jesum Christum / auß welchem/ durch welchen / vnnd in welchen gehen alle meine Gedancken die ich vber diesem Erkännenus habe Tag vnd Nacht. in præfatione vber die Galater.

Tomi Lutheri scriptorum magnus thesaurus.

III. Huc annumerari merito debent omnia scripta Lutheri quæ loco summi beneficii & thesauri diuinitus Germaniæ concessi haberi & respici debent, vtpote in quibus sanctissima ipsius confessio quam coram toto imperio Romano edidit in vrbe VVormatiensi comprehenditur: Historia itemque Augustanorum comitiorum Anno 1530. quæ plena est solatii & victoriæ aduersus omnes inferorum portas & crepitacula mundi, scripta eius scatent quoque literis consolationem viuam in multiplicibus casibus spirantibus quas legisse cumprimis iuuerit eos qui hærent in profundioribus huius vitæ ærumnis. In iisdem huius viri scriptis cernitur eminus quam Spiritus sanctus aduersus totum mundum in verbo Dei triumphauit: cernuntur grauissimæ Lutheri tratciones, quas precib. & constantia inuictæ & fidei & precum ardentium superauit, vnde piæ mentes vel maxime in similibus tentationibus morbis & cribrationibus exemplum salutaris imitationis

Augustana comitia.

Viua solatia.

Preces & fides.

nis desumere possunt. Nec minoris assis & ponderis sunt libri exegetici in plerosque textus biblicos, itemque catechismus minor & maior, ex quibus tenera ætas statim cum nutricis lacte veram & solidam Dei cognitionem haurire potest. *Catechismus.*

Inter scripta eius exegetica ceu gemmulæ elucent commentarius in Genesin & in Epistolam Paulinam ad Galatas, itemque aliquot capita Matthæi & Euangelistæ Iohannis, sicut, & in Psalmos insigniores non paucos in quibus commentationibus sese Theologum vere θεόπνευστον præstitit. In Polemicis eius scriptis aduersus omnes sui seculi sectatores & fanaticos excelso Spiritus sancti & fidei robore, magnanimitate, zelo, & victorioso motu procedit. In hac Palæstra non obseruata fuit in hoc heroico bellatore quædam æmulatio, ægritudo & inuidia præconcepta in eos aduersus quos hac in parte pro veritate & gloria Dei dimicaret, sed potius conspecta in eo fuit, in his pugnis & conflictibus sincera amoris affectio excitata singulari motu Spiritus sancti, adque Dei gloriam & hominum salutem tendens: quam affectionem recte possis appellare iustam iram & tristitiam ex rei indignitate ortam, qualis in Helia describitur 1. *Reg.*19.*vers.*10. Zelando zelatus sum pro Domino Deo Israhel. Itemque in Paulo 2. Corinth. 51.*vers.*2. Zelo vos Dei zelo: despondi vos vni viro, quemadmodum & Epaphræ Zelus pro Collossensibus. *Coloss.*4.*v.*12. Et Corinthiorum Zelus pro Paulo 2.*Cor.*7. commendatur *v.*11. *Cómentarius in Epist. ad Gal. & Genes.* *Polemica.* *Zelus quid.*

Huiusmodi heroici motus in Luthero quoque animaduersi sunt quotiescunque cum aduersariis siue Papistis, siue sacramentariis, Stenckfeldianis, Antinomis, Anabaptistis & similibus hæreticorum portentosis spectris congrediendum esset, & hi motus longe supra vulgarem captum collocandos, adeoque aliis inimitabiles merito censueris, nisi forte infanti grandes alicuius senis calceos aptare & induere ridiculus tentes, vide *Mathes. concione* 14.*p.*158 & 159. *Heroici motus Lutheri.*

Ich wil pfeiffen/ Marggraff Albertus sol tantzen *Tom.* 6. Ienens. Germ. *fol.*361. Ich wils jhme kochen vnd zufressen geben: Laß sie hin lästern vnd schenden / sie sollens selbst außfegen *vide Tom.*7. Germ. Ienens. *folio* 371. Ich bin gelehrter in der Schriffe denn der Keiser/auch mehr erfahren in täglicher Vbung *Tom.* 5. Germ. Ien. *fol.* 161 *Penetrantia verba memoranda Politicis.*

Idem: Ja lieber Keyser / lieber Fürst wenn du deinen Eid vnd pflicht in der Tauffe gethan haltest/so solstu mein lieber Herr seyn/ vnd wil dir Gehorsamb sein zu kriegen/wenn du wilt: Wilstu aber dein Tauffe pflicht vnd Christlichen Bund nicht halten / sondern verfolgen / so sey dir ein Schalck an meiner statt gehorsam: Ich wil vmb deinem willen meinen Gott nicht lästern vnnd

sein

sein Wort verfolgen/vnd so frech in abgrund der Hellen mich stürtzen/etc. In libello cuius titulus: Warnung an meine liebe Teutschen.

Miseria humana etiam Principib. communis.

Item: Wir sind fürnemmer Leute Kinder sagen die Nisse: Leuse seind vnsere Vätter: Aber jhr seyt noch keine Leuse worden/ jhr seidt Staub sagt Esaias *cap.* 20. *Tom.* 3. Germ. Ienens. *fol.* 330. *f.* 1. aduersus Henricum Regem Britanniæ.

Fürstebrieffe quales.

Item: Fürstenbrieffe stecken voller Fußangel vnnd Stricke. *Tom.* 4. Ienens. Germ. *fol.* 555. *f.* 1.

De sancto Lutheri zelo & heroico clangore illius seu Euangelici classici vel buccinæ ante nouissimum extremi iudicii fulgorem in omnē mundum sic tonantis & fulgurantis grauiter sic Dn. Mathesius concion. 14. *p.* 159. Die Welt ist böß vnd entwicht/ darumb redet sie nur das beste/ wie sie meinet/ zu bösen sachen. Gott ist dargegen ein Eiferer vnnd brennend Fewr/ vnnd die von seinem Geist zum Geistlichen Streit wider die Feind GOttes angetrieben vnd angezündet werden/ lassen sich als Feinde wider jhres Herren vnnd Heilandes Jesu Christi Wiedersacher/ vernemmen/ wie König David auch singet *Psal.* 119. Iniquos odio habui. Ich bin den Flatterngeistern vnd Gottlosen feind/ vnd hasse sie hefftig/ perfecto odio. Derselbige Herr Jesus wirt auch seinen diener zur gelegenen Zeit zuentschuldigen wissen / welcher in seinem außerwehlten Werckzeug viel hitziges vnd brennendes Eifers erreget/ vnd zu seiner Kirchen bestes gebieret/etc.

Sed hæc de scriptis Lutheri didacticis & polemicis, itemque de sancto eius zelo, breuiter & satis.

Psalmi Ecclesiastici Germanici à Luthero compositi.

IV. Cæterum ingens thesaurus & depositum Ecclesiarum Germaniæ est Psalmodia Ecclesiastica quam Germanicis numeris vel odis erudite, amoe & splendide Lutherus concinnauit, qua etiam doctrinam de Deo & plerisque Articulis fidei, sicut & historias bellicas & festorum Psalmos, preces, confessiones pias, & gratiarum actiones complures est complexus, & venam ingenii diuinitus sibi concessam ad Dei autoris celebrationem & laudes dignissime retulit. Id enim præcipuum & generale munus est vatum bonorum: ὑμνεῖν ἀθάνατον: ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν. Accedit ad prædictas cātiones Ecclesiasticas harmonia animosa & affectuosa quæ facile eūdem motum & spiritum quem sententiæ ipse rhitmorum in animis canentium ciet & exsuscitat.

Atque hi Psalmi Ecclesiastici multum ad εὐκαταστασίαν & felicitatem Ecclesiæ contulerunt: Sic enim vulgus literarum expers facilius didicit doctrinæ Christianæ summam, preces & consolationes diuinas, quas & eo fidelius & altius memoriæ insculpere potuit, præsertim cum mascula & pathetica

rica harmonia mentes & animos penetrantius ingrederetur & pios motus ac affectus in eis accenderet & inflammaret qui cum verbis & sententiis ipsis examussim correspo nderent.

Hæc sacratissima vestigia coryphæi Lutheri etiam alii viri pii & docti, nec non pientissimæ quædam matronæ religiose & felicissime legerunt & sequi voluerunt, vtpote Dn. Philippus Melanchton, Hermannus Bonnus, & alii qui latinos hymnos composuerunt, qui hymnis Sedulii, Prudentii, Ambrosii, Prosperii, Iuuenci presbyteri, Hilarionis, Gregorii, Pontii Paulini, Felicis Episcopi, Victoris Massiliensis, Damasi & similium hymno Psalmistarum annumerari merito possunt & debent. *Lutheri vestigiis institerunt etiam alii pii viri & matronæ.*

Concinuerunt his pientissimi & potentissimi etiam aliquot Heroes Brandenburgici, nimirum Marchio Casimirus & Georgius, itemque Maria Regina Hungariæ. *Principes Psalmographi.*

Doctores Ecclesiarum deuoti & cumprimis Religiosi: Paulus Speratus ex nobili Sprottorum familia Sueuica oriundus à Luthero in Borussiam missus ibidemque factus Episcopus Pomezaniensis, cuius Psalmus elegantissimus & vere didacticus est: Es ist das Heil vns kommen her/rc. *Paulus Speratus nobilis.*

Huic in Borussia coætaneus fuit Iohannes Poliander cuius ode Ecclesiastica est Nun lob mein Seel den Herren. *In Borussia.*

Rigæ claruit Andreas Knophius, quo autore habemus sacratissimas cantiones: Von allen Menschen abgewandt. Itemque. Was kan vns kommen an für Noth. *Rigæ.*

Noribergæ floruerunt VVenceslaus Linckius, Vitus Theodorus, Lazarus Spenglerus quorum cantiones Germanicæ publice extant. *Noribergæ.*

Lucas Lossius Orpheus Luneburgensis merito vocatur propter concinnatam Psalmodiam Ecclesiasticam Latinam quæ est passim in Ecclesiis & Scholis Germaniæ in manibus eorum qui cultui diuino in templis ratione officiorum vacant. *Luneburgæ.*

Prædictis illis digne accenseantur D. Erasmus Albertus Marchicus Theologus D. Iustus Ionas Hallensis D. Nicolaus Selneccerus Lipsensis, M. Ludouicus Helmboldus Mulhusinus, Nicolaus Hermanni Valle Ioachimiceus, M. Iohannes Mathesius Sareptanus Theologus, Henricus Moller in vinculis, Iohannes Agricola, Ministerium Brunsvvicense, Sebaldus Heiden, Erhardus Hegenvvalt, Iohannes Gigas, D. Paulus Eberus, Iohannes Stigelius, Adamus Fuldensis, D. Iohannes VValterus D. Iohannes Zvvick, Ambrosius & Thomas Blaureri, Michael & Iohannes VVeis, Gregorius Maier Organædus, Iohannes Angelicus, Matthæus Greiter, Symphorianus Pollio, Ludouicus Oelerus, VVofgangus Dachsteinius, Burchardus *Insigniores Ecclesiastici Psalmographi.*

VValdis, Iohannes Kolros, Adamus Riesnerus, Ludouicus Hetzerus, Henricus Vogther/Conradus Hubertus, D. VVolfgangus Capito, M. Casparus Stolshagius, VVolfgangus Mosel, M. Iohannes Frederus, M. Iohannes Lauterbachius, Poeta Sueuicus, D. Simon Pauli, M. Cyriacus Spangenbergius, Elisabetha Crucigerin, D. Philippus Nicolai, &c. Horum pene labore comportatus est liber Psalmorum, qui vsitatus est in Ecclesiis reformatis Luthericis, & hoc nomine à pia posteritate æternum & laudabile reportant memoriæ nomen & gloriam.

Lobwasseri Psalmodia. D. Ambrosii Lobwassers Psalmodia suam quoque meretur laudem quæ hodie inprimis frequens est & vsu quotidiano innotescit maxime. Simpliciter verba Psalmorū Dauidicorum in rhitmos vir ille contraxit, nec vnquam (quod aliquantum tamen irreligiosum videtur) mentionem nominis Christi submiscet, cum tamen Psalmi teste ipsomet Christo de Messia & mundi redemptore multum inculcent, & vaticinentur, id quod in specie obseruandum est in Psalmo octauo, quem Lobvvasserus (vel potius Th. Beza & Clemens Marotus qui duo primi autores sunt huius Psalmodias olim idiomate Gallico in illos Rithmos apte concinnatæ) de nudo homine lapso & per Christum redempto tantum, & non de Christo cantillat, cum interim tribus inuictissimis scripturæ testimoniis constet quod Psalmus octauus intelligendus sit de Christo secundum statum exinanitionis & gloriosæ exaltationis itemque de regno eius Spirituali, quod non consistat per vim & strepitum armorum corporalium, sed per laudem nominis ipsius ex ore coram mūdi superbo supercilio abiectissimorum hominū protectam, qui à sapientibus & profanis hominibus reputentur pro infantibus & lactentibus. Testimonia quibus sensus hic octaui Psalmi ad oculum roboratur & euincitur sunt ad Ebręos *cap. 2. v. 6.* Item, *1. Corint. 15. v. 27.* Itemque *Matth. 21. v. 16.* vbi Christus ipsemet hunc Psalmum octauum de se interpretatur.

Cæterum veritas ipsamet testatur, quod in plerisque Psalmis Lobvvasserianis quædā obscuritas occurrit, quæ tanta est vt nud⁹ textus Psalterii germanicus in versione simplici Lutheri longe clarior & euidentior intellectu sit, quam rhitmi isti Lobvvasseri. Contra vero si perpendas Psalmos quos Lutherus in soccum rhitmicum & hymnum Germanicum Ecclesiasticum concinnauit, ibi statim percipis & delibas, quod non solum verba Psalmi, sed & intimus genuinus sensus significanter, erudite, & eleganter exprimantur, vt tales Psalmodias iure & merito possis vocare solidam & pientissimam Psalmorum Dauidicorum exegesin & elucidationem.

Et ne beneuolus lector suspicionem in me sinistram præconcipiat ac si hæc

hæc ſcriptitem ex corruptis affectibus, præcoci iudiciolo & vacuis palmis, rogatur à me peramanter vt tantillum temporis extrahat & inſpiciat primo Pſalmum 14. ſecundum ſimplicem Verſionem Germanicam Lutheri, dehinc legat Rhitmos Lobvvaſſeri in eodem Pſalmo: Inſuper adiungat Lutheri Canticum Eccleſiaſticum: Es ſpricht der Vnweiſen Mund wol. Idem tentet beneuolus lector in Pſalmo 46. Ein veſte Burg iſt vnſer GOtt/ Itemque in Pſalmo 47. Es wolle vns Gott genädig ſeyn Si hæc quis in timóre Domini expenderit, ſimul longe maximum deprehendet interuallum & quam multis paraſangis Lutherus poſt ſe Lobvvaſſerum relinquat, vt nihil interim de modis Harmonicis quam & hic diſtent æra lupinis addam.

Fuſius hæc nonnihil volui innuere, vt lectori beneuolo præberem anſam ſpiritus probandi & quod bonum eſt internoſcendi eligendi & retinendi. Sunt hodie multi quibus nihil pulchrum videtur, niſi aduolitet ex Galliis, niſi ſit recens coctum & natum: & quamprimum iſti didicerunt rhitmos Lobvvaſſeri per diſtortos balbutire nares, mox poſt ſeſe aſſolent, nec ſine ſublimato naſo, ponere Lutheri Pſalmodiam Eccleſiaſticam quod hæc aliquantum vulgatior & vetuſtior ſit: Qua in re certe ridiculi ſunt, & in medio ſuæ obfirmatæ ſapientiæ apparatu ſuam produnt ſimplicitatem, ſimulque inconſtantem quandam animi leuitatem, præ cuius libidine auriculæ ipſorum pruriunt cupiditate audiendi & captandi nouitates quas loco ſecretioris alicuius myſterii aliquandiu exoſculantur cum domi longe pretioſiora iam pridem haberent, quæ tamen aſpernantur præ faſtu & tædio intempeſtiuo, ne dicam fanatico & ſemi inſenſato.

Interim tamen non reiicio diligentem operam & ſtudium Lobvvaſſeri qui ſuam laudem ſuo loco promeritus eſt: Si enim quiſpiam ad tabernaculum Domini aurum argentum & gemmas non attulerit, ſatis eſt ſi pilos caprarum adferat: Nec enim omnia poſſumus eſſe candelabrum aureum in téplo Domini & ſimilia eminentiora & nobiliora vaſa in cóſpectu Domini: neceſſum eſt etiam vt adſint minora vaſa quale fuit emúctorium & ſimilia: Quiſque dat & laborat pro vt à Domino accepit.

Non per omnia repudianda Lobuuaſſeri Pſalmodia.

Lobvvaſſeri veſtigiis recentius laudabiliter & feliciter inſtiterunt Franciſcus Algermānus & VVolffgangus Striccius quorum vterque totum Dauidis Pſalterium eodem modo quo Lobvvaſſerus, in odas & Rhitmicas cantiones redegit & publicauit. Depone, ſi placet, faſtidium & ſupercilium Gallicum ἄνευ προχείματος καὶ προσωποληψίας vtriuſq; hac in re nauatas operas ſpiritu ſedatiore & affectu manſuetudinis perluſtra, nec dubitem quin labor hic tibi ſit in Chriſto arriſurus.

Algermānus & VV. Striccius.

Agenda Ecclesiastica. V. Luthero facem scripturarum præferente habemus etiam puriores hoc tempore consuetudines & ceremonias in Ecclesia quam olim sub barbaro titulo AGENDÆ ECCLESIASTICÆ venditabantur: quæ sub Antichristo sic vsque fœditatibus, ridiculis gesticulationibus, ludis theatricis spectaculis, moribus inanibus obseruantiis processionibus & id genus infinitis pluribus futilaciis & ineptiis scatuit, vt præconium verbi Dei & sacrosanctæ scripturæ inter tot crepitus & crepitacula, stridores & furores prorsus expirarent totusque cultus diuinus spurcissime contaminaretur. Vt commune in hos Antichristi mores quadret istud quod B. Hieronymus dicit aduersus sui temporis vanorum in Ecclesia morum architectos de domo Dei scenam fecerunt populorum. Hieronymus in Epist. ad Ephes. *capit* 5.

Multa huiusmodi in Papatu fuerunt superstitiosa aut histrionica vel ridicula, vel cum sacris literis pugnantia aut etiam sobriis hominibus prorsus indigna. Hæc omnia Luthero lucernam verbi cœlestis promente & in totius Christiani orbis propatulum ceu eminens candelabrum prostituente, repudiata, resecta & abolita sunt, & è cœtibus Ecclesiasticis foras sequestrata & proiecta. Retenta vero sunt, quæ tradita fuerunt ab Apostolis & alia quædam quæ visa sunt sine Ecclesiæ scandalo & incommodo ferri posse, vt augerent decorum & ordinem Ecclesiasticum: Sicut Paulus commonefacit vt omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν καὶ πρὸς οἰκοδομήν, siquidem Deus sit ἀκαταστασίας olor. 1. *Cor.* 15. *v.* 40. 26. & 33.

Vnum & alterum exemplum subtexo, vt rei euidentia eo lucidius constet & appareat.

Varietas officiorum & Ceremoniarum in Papatu. Cogitet semel, Lector Deum timens, & expendat, numeret & dinumeret varietatem officiorum Ecclesiasticorum sub regno Antichristi. Sane Christus instituit ordinem Apostolorum *Matth.* 10. his addidit alios complures discipulos, inter quos nonnulli quoque docebant & aliis modis Ecclesiæ inseruiebant. Quemadmodum & Paulus ait: Deum posuisse in Ecclesia, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios doctores, alios ministros, 1. *Cor.* 12. *v.* 28. & *Eph.* 4. *v.* 11.

Idque hunc potissimum in finem, vt officia illa Ecclesiastica facerent ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii ad ædificationem corporis Christi, hoc est: Ecclesiæ, Itemq; vt certa esset doctrina nec ambigua, quod Apostolus dixit: nec circumferamur quouis vento doctrinæ. Certos enim oportet esse homines de salute: Ideo & doctrinam certam esse necessum est credendorum, faciendorum & omittendorum, quod requisiuit Apostolus 1. *Corinth.* 12. *versicul.* 7. πρὸς τὸ συμφέρον ad vtilitatem. Sic fuerunt in prisca

Ecclesia

Ecclesia (priusquam Sathan primogenitum suum Antichristum enixus esset, post Apostolos proximi Euangelistæ, qui nomen à prædicatione Euangelii habuerunt, itemque pastores, quod verbo cœlesti pascerent Ecclesias. Similiter Doctores, qui scripturas interpretabantur & de negotio religionis disseruerunt, ipsosque pastores informarunt. Presbyteri quoque ordinati fuerunt secundum mandatum Apostoli, *Tit. 3. versicul. 5.* quos postea vocarunt Episcopos, & hi erant nil aliud nisi ministri in verbo & Sacramentis. Et Episcopus fuit olim non nomen dignitatis, sed officii & laboris.

At confer nunc pluralitatem illam officiorum Ecclesiasticorum & titulorum in Papatu, & videris quam turpiter ab Apostolica puritate defecerit colluuies illa Ecclesiæ Romanensis, & simul cogita circa quam multas & varias ceremonias, mores, functiones, gesticulationes & spectacula tot officiarii occupati sint.

Ecclesiam hi vere transmutarunt in regnum quoddam mundanum in quo esset vnus rerum monarcha & autocrator. Hinc infinita instituta sunt officia, sibi inuicem seruientia & subseruientia, quemadmodum annuli in catena cohærent. Omnia vero eo vnice collimarunt vt diuitiis & honoribus tantum locupletarentur & ornarentur personæ, retinerentur tituli, præsidentiæ, iura publica & quicquid ad priuilegia Ecclesiastica pertinet.

Vt taceam innumerabiles ordines in regno Papatus, attingo saltem hic varietatem ministeriorum & ceremoniarum in Ecclesia Romanensi: quibus sigillatim peculiaria priuilegia honores & dignitates addiderunt.

Supremam in illa colluuie dignitatem obtinet Papa in toto religionis istius imperio monarcha & toparcha: hic eousque impietatis & tyrannidis ascendit vt iactet potestatem suam in terris, cœlo, & inferis, quam potestatem nullus Apostolorum sibi vnquam arrogauit. *Altitudo Papa.*

Huic subsunt aliæ maiestates & dignitates, extra (vt vocant) chorum, vtpote Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Archidiaconi, Archipresbyteri & Præpositi. *Pracipua Maiestates Ecclesiastica in Papatu.*

In choro autem de nutu Papæ præsto sunt Decanus, Subdecanus, Cantor, Thesaurarius, Scholasticus, &c.

Priusquam autem quis adscenderet ad superiores istas dignitates obseruandi fuerunt gradus ordinum, quales fuerunt Ostiarius (qui templi claues *Gradus ordinum.*

gestabat & ianitor erat intus & extra omnia curabat, exclusos olim & banno implicatos repellebat, pœnitentes vero de consensu Cleri iterum admittebat.) Cæterum inter hos ordines connumerabatur Cantor, Lector Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, sacerdos & plures id genus alii. His ita Ecclesia ad compressionem animæ vsque onerata fuit. Mireris (, nec sine causa) quid portendant tot nomina gradus, ordines? Certe nihil aliud præsupponunt, nisi immanem copiam humanarum traditiuncularum, obseruationum, regularum, morum, ceremoniarum, statutorum gesticulationum spectaculorum quibus conuentus Ecclesiastici in Papatu constrepuerunt, ac si horrendum in modum, ranæ Apocalypticæ & bubones Antichristi tussirent, reboarent, screarent & illotis contactibus suis omnia fœdarent: interim tamen fruges consumerent & depascerent omnes.

Vide mi in Christo chare lector: ab his tenebris & horroribus sub renascentem doctrinam cœlestem Ecclesiæ reformatæ, liberatæ & manumissæ sunt.

Plura hic recenserem de huiusmodi pluribus aliis futilaciis & quisquiliis quibus ceu pustulis strumis & cancrosis scirrosisque hulceribus Ecclesia Antichristi scatuit, nisi mihi temperarem rationem habens breuitatis.

Silentium de Christo inter tot gradus & ceremonias.

Hoc saltem obseruetur quod inter tot futilitates & ceremoniarum varietates vera Theologia in Papatu sensim conticuerit, vera deuotio refrixerit & solida in animis hominum pietas expirarit. Potius omnia in Ecclesiis strepuerunt de cibo & eius delectu, ieiunio quadragesimali, de obseruatione temporum, de feriis, de sepulturis, de purgatorio incendio & excoctione, de spectris, de templis, de habitu ministrorum, de oleo, de sale, de sputo, de cereis, de imaginibus, de aspergillo, & sexcentis id genus aliis, omni glacie gelidioribus gerris & nugis.

Lutheri querela.

Audiamus quid vir Dei Lutherus de tot gesticulatoribus & titulorum portentis ex zelo diuino dicat *Tom.2.* Eislebiensi *fol.81.* Wir haben erlitten so viel Bullen Krämer/Cardinäl / Legaten/Commissarien/ Vnter Commissarien / Ertzbischoffe / Bischoffe/Epte/ Pröpste/Dechante / Verthumbte Herren/Priores Gardianten/Stationirer/Terminirer/ Stifftbotten/ Klosterbotten/ Capellenbotten/Altarbotten/Glockenbotten/Thumbotten vnd wer konte die Rotten solcher Schinder vnd Schlinder alle erzehlen? so der Rhein kaum genug were die Buben alle zuerseuffen.

Querela Ambsdorffii.

Videmus ceremonias illas externas (verba sunt Nobilissimi Dn. Nicolai Ambsdorffii in 10. caput Apocalypseos) in Ecclesia Antichristi omnino neces-

necessario irremissibiliter & strictissime obseruari, si spectemus monasteria, cum primis & canonicorum Collegia tot amplissimis tamque splendidis dotata bonis & reditibus quæ etiam in hoc solum & vnicum condita sunt, vt missam ornent & eiusdem adeo multiplices & varias ceremonias celebrent atque illustrent, tot nimirum Campanarum & nolarum perpetua fere agitatione, motu & pulsu, tot cymbalorum & canticorum, tamque diuersarum lectionum crebra repetitione, organorumque ac fistularum concentu, tot Missarum & exequiarum pro viuis simul ac mortuis incessabili iteratione: vestium item & ciborum alteratione ac vicissitudine: tam mirabili cucullorum varietate: rasura item & variarum insuper rerum olei nimirum, salis, aquarum, candelarum, cereorum, ignis, petasonum, placentarum, ouorum, herbarum, olerum & aromatum: in certos dies per totius anni tempora distributa benedictione & consecratione: quibus ex ceremoniis ritibus ac pompis omnibus (quales Elementa mundi Paulus ad Gal. 4. vocat) constat, in quibus consistit item viuit & floret, in quibus tota versatur, aliud nihil agens ac faciens Romana Ecclesia, quam quid & quomodo canendum, legendum, comedendum, & quibus hic vel alibi vel hoc vel alio tempore vestib. vtendũ sit, quæ omnia Papa in suis traditionib. decretis, cõstitutionibus & legib. tam strenue, & seuere, tamque stricte præcipit obseruanda, vt gladio etiam & excõmunicatione eorũ præuaricatorib. interminatus grauissime: & præuaricatores, aut qui aliqd saltẽ aduersus tot ordinationũ plaustra mutire ausint, hæreticos ilico pronũciet & igne cõburendos statuat: Ob hanc videlicet solam & vnicam causam quod eiusmodi Iunonium Antichristi fœtum, tot ceremonias & Ecclesiasticas pompas non curent nec obseruent: quas ille verissimus perditionis filius contra apertissimum Dei verbum, contra præceptum & mandatum Dei in Ecclesia adeo superbe instituit & obseruandas sanxit. Christus autem luculentis verbis *Luc. 17. vers.* 20. inquit: Non venire regnum Dei, hoc est: Ecclesiam Christi, cum obseruatione, id est: externis ritibus: Ecce enim, Regnum Dei, inquit, intra vos est. Et Paulus *Rom.* 14. *vers.* 17. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritus sancto. Et iterum 1. *Cor.* 4. *v.* 20. Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute, id est: Christi Ecclesia siue Christianismus non in canendo, legendo, bibendo, edendo aut vestiendo, sic vel aliter, sed in vera fide & vera dilectione consistit.

Quandoquidem autem Pontificia Ecclesia talibus humano iudicio excogitatis ceremoniis, sine verbo & mandato Dei constituta fundata & ita mensurata est: quamdiu nimirum, quoties quomodo & quando missandum,

sandum, legendum, comedendumque, & quibus vestibus aut gestibus etiam vel hic vel alibi vtendum sit: Certum eam ipsam esse templum illud mensuratum circa altare & adorantes in eo apocalypticum. Huc vsque Amsdorffius.

Lutherus taxat varietatē graduum & vestimentorum in Papatu.

Zelo diuino correptus excandescit vir Dei Lutherus in istos diuinæ veritatis oppressores & inanes gesticulatores *Tom. 1.* Eislebiensi *fol.* 243. vbi in hæc erumpit verba: Ich bitte dich doch vmb GOTtes willen sihe sie recht an: Da findest du keinen der sich deß Glaubens vnnd der Liebe rühme/ solche zween Orden vnd Stände achten sie nicht/ sondern der eine träget eine Platten dieser eine Kappen / der einen Mantel / dieser einen Rock / der Weiß / dieser Schwartz/ der Graw/ dieser Blauw / der einen Spiegel / dieser eine Scheren/ vnd so fortan/ daß sie mit anderm Gauckelwerck vmbgehen/ daß man greiffliche Finsternus da sehen muß/ damit GOtt die Welt geplaget hat. Das seind die Hewschrecken / Rauppen / Käffer / vnd der schädlichen bösen Würme mehr / die alle Lande gefressen vnnd verderbet haben. Vnnd sihe in daß du GOTT dancksagest / vnnd solche Gnade nicht vergessest / der dir solches zuerkennen gegeben / vnd dich von jhnen erlöst hat.

B. Augustin. indignatur propter multitudinem ceremoniarum.

De multitudine talium otiosarum ceremoniarum, constat B. Augustinum grauiter suo etiam tempore conquestum esse. Epist. nimirum 119. vbi sic: Hoc nimis, inquit, doleo, quia multa, quæ in diuinis libris saluberrime præcepta sunt, minus curantur: & tam multis præsumptionibus, sic plena sunt omnia, &c.

Atque iterum ibidem: Quamuis ista contra fidem non sint: tamen ipsam religionē, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, seruilibus oneribus ita premunt vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etsi tempus libertatis non agnouerint legalibus tamen sarcinis (à Deo oriundis) non humanis præsumptionibus subiiciuntur.

Chrysostom.

De talibus commentis & præsumptionibus ita Chrysostomus Episcopus Thraciæ Homilia 52. in Matt. ait: Non dicunt cur legem Mosi, sed cur traditionem seniorum transgrediuntur? Vnde patet eos multa innouasse, cum Deus contra vetuisset, ne quid adderent aut minuerent: sed illi cum timerent, ne principatum amitterent, ceu legum latores, vt maiores esse viderentur plurima innouarunt. Quæ res ad tantam tandem peruenit nequitiam vt præcepta sua custodirent magis quam præcepta Dei. Subscribit his ad eundem modum Cyrillus in Iohan. *lib. 8. capit.* 1. Vellent, inquit, suam doctrinam & paternas traditiones ab hominibus potius suscipi atque

Cyrillus.

in ad-

in admiratione honoreque haberi. Quicquid ergo Christo credentium accesserit, sibi detractum putant.

Sancte ergo & pie huiusmodi multæ ineptiæ per Lutheri ministerium in nostris Ecclesiis abolitæ & inde explosæ sunt, idque secundum cōsilium & consensum B. Augustini dicta Epist. 119. Omnia talia, inquientis, vbi facultas & occasio, tribuitur sine omni dubitatione resecanda existimo. Suffragatur etiam Stephanus Papa *Distinct.* 63. §. Quia sancta, &c. Si nonnulli ex prædecessoribus & maioribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem, sine tarditate aliqua & cum magna autoritate à posteris destruuntur. Similiter Damasus *dist.* 68. §. Papa: Quod ratione caret exstirpare necesse est.

Secus facientes grauissime obiurgat Iehoua per Prophetam Hierem. *cap.* 23. *vers.* 27. Volunt facere vt obliuiscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum. Hierem. 2. *capit. versicul.* 13. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Hierem. 23. *versicul.* 28. Quid paleis ad triticum? Esa. 1. *vers.* 12. Quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Christus ipse seuerissime tonat aduersus otiosas & odiosas illas ceremoniarum nænias, *Matt.* 15. *v.* 13. Omnis, inquit, plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.

Quam optandum ergo sit! vt mendacia ista Antichristi quæ in Papatu in hunc vsque diem residua sunt veritas Christi deuoret, vt loquar cum Hieronymo ad Agasiam q. 11.]

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

De sacratissimo deposito Bibliorum Germanico idiomate per Lutherum expressorum: quibus ceu vere aureo κειμηλίῳ totam Iesu Christi Ecclesiam Heros iste diuinus ornauit & locupletauit. Subtexitur his quod per renatam doctrinam cœlestem status Politicus & Oeconomicus, sub Papatu per tot retro secula extreme contemptus, pristino suo honori & dignitati postliminio restitutus sit.

PRÆMEMORATIS iisdemque summis per Lutherum toti Iesu Christi Ecclesiæ diuinitus præstitis beneficiis recte etiam annumeramus, quod vir Dei pro felicius ad omnem posteritatem propaganda cœlesti do- *Germanica Lutheri Biblia.*

ctrina in linguam germanicam scripta prophetica & Apostolica ex Hebræis & Græcis fontibus tanta perspicuitate significantissimis verbis & verborum formis verterit, vt illa ipsa translatio plus fidei intellectus lucis & solatii suggerat lectori, quam locupletissimorum commentariorum alias spatia & scrutinia.

Lectio bibliorum Laicis olim interdicta.

Decretum Antichristicum est: Laicis Non pateat lectio Bibliorum in vernacula lingua. Quod decretum tanquam execratissimum & horrendum scelus, tota mente atque omni detestatione pii omnes merito despuunt & abominantur. Filius Dei Iohan. 3. *versicul* 20. Qui odit lucem, inquit, male agit. Nempe hoc illud est: O Papistæ quod populum tam tyraunice diuini verbi luce prohiberis, ne, ex comparatione animis eorum tenebrarum vestrarum fastidium & nausea oboriatur, argute in vos lucifugas, vsurpem istud quod ait Plinius *lib.*18.*capit.*7. Tritico reperto continuo (collatum) damnatum est hordeum & quadrupedum refectibus traditum est. Tertullianus etiam grauiter & vere in libello de Præscription. dicit: Ipsa doctrina hæreticorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius autoris esse neque Apostolici viri. Et Chrysostomus in Matt.*cap.*23. scribens, Hæretici, inquit, claudunt ianuas veritatis.

His scripturarum osoribus in Papatu Lutherus vernaculis suis Bibliis, à se ex Hebræis & Græcis fontibus dissertissime, grauiter, suauiter & significantissime in Teutonicam linguam nostram translatis occurrere voluit, nihil dubitans quin fumi mendaciorum & stercoramenta reliquiarum, quas venum propolæ, institores, & scraptæ indulgentiarii impudentissime prostituebant, quin, inquam, ista omnia ad lucem scripturarum, posita, continuo lapsura & euanescendo corruitura essent, quemadmodum legitur quod Dagon coram arca Dei corruerit, 1 Sam.5.v.4.

Nec spes Reuerendum Patrem Lutherum fefellit: Lux etenim scripturarum è Germanicis Bibliis Lutheri rutilans in vniuersam Germaniam sic vsque noctem Papisticorum errorum & superstitionum discussit, vt plurimis in locis exploso Antichristo, Euangelium Iesu Christi inuenerit & adhuc per Dei gratiam inter mediocria halcyonia possideat hospitia, licet maxime contra frendeant & labrum mordeant Papa & omnes squammæ, cicadæ & caudæ eius Monachi, Iesuitæ, sacrificuli, &c.

Olim laicis patuit lectio Bibliorum.

Et recte sancteque sic factum est: Cur enim Christianis præcludatur aditus ad cognoscendum scripturas. Audiamus consensum vetustæ Ecclesiæ, B. Augustinus de doctrina Christiana *lib.* 2.*capit.* 5. Scriptura diuina, (inquit) ab vna lingua profecta per varias, interpretum linguas longe

lateque

lateque diffusa innotuit gentibus ad salutem. Et rursus in Psalmum 105 Habemus, ait, Dei beneficium qui scripturas suas in multis linguis esse voluit. Loquatur etiam suam sententiam Iohannes Chrysostomus ex Homilia 1. in Iohannem his verbis: Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, & innumeræ aliæ gentes dogmata ab hoc (Euangelista Iohanne) introducta in suam transferentes linguam homines barbari, philosophari didicerunt.

Huic suffragatur etiam B. Hieronymus in Psalm. 86. sic, inquiens: Scriptura sancta omnibus populis legitur, vt omnes intelligant. Adiicit porro, suum etiam calculum Theodoretus in tractatu de corrigendis Græcorum affectibus *lib.5.* vbi disertissime sic protestatur: Hebraici libri, inquit non modo in Græcum idioma conuersi sunt, sed etiam in Romanam linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicam, & Scythicam atque adeo Sauromaticam: semelque vt dicam in linguas omnes quibus ad hunc vsque diem nationes vtuntur.

Beatissima ergo est nostri seculi ratio quod frui nobis liceat vernaculis Bibliis, quæ significantissime vir Dei Lutherus in aspectum hominum maximo cum labore, vigiliis fide & diligentia reduxit.

Ante Lutherum qualia biblia fuerint.

Ante Lutheri tempora: Sacræ scripturæ situ & puluere squalebant, habebantur quidem Biblia sed corruptissima: Germanica nuspiam aut certe rarissime apparebant, & quidem è latina vulgata versione, quæ infinitis barbarismis solæcismis & mutilatis hiulcisque periodis & sententiis fœdissime scatebant, translata, è quibus nemo, nisi difficilime ceu ex Sphyngis ænigmate sensum eruere poterat.

Versio latina vulgata corruptissima adhuc Papicolis maxime placet.

Vt autem res euidentius pateat, in lectoris conspectum pono paucula exempla vetustæ versionis latinæ, vulgatæ quæ in Papatu frequens & quotidiana fuit, vt constet, in quantis tenebris obambularint cæci isti & cæcorum duces & præsules.

Prouerbiorum.16.*versicul.* 11. Pondus & statera iudicia Domini sunt & opera eius omnes lapides SECVLI. pro SACCVLI. Hoc certe est stolidum erratum: & cogita, qualem sensum genuerit ista vox in Germanica traslatione ex hoc Latine codice facta.

Absurdissimus & obscurissimus textus est Psalm.16.*v.* 14. & 15. vbi latina corrupta vulgata versio sic: Eripe animam meam ab impio frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eo-

 rum

rum, &c. An non maxime peregrinus sensus hinc prosiliat: imo nullus sanus sensus? Franciscus Vatablus autem iuxta Hebræos fontes vertit sic: Erue animam meam ab impio, qui est gladius tuus, à viris qui sunt manus tua, erue Iehoua à viris de mundo quorum pars est in vita. Sensus planus est Eripe Domine gladio roboris tui animam meam ab impio & ab hominibus, in quorum exitio declaras potentiam manus tuæ, ab hominib. epicureis filiis huius seculi, qui nihil de æternis bonis soliciti partem suam in huius vitæ bonis terrenis collocant.

Psalmo 28. *versicul.* 6. corruptissima est Latina versio sic sonans: Comminuet eos tanquam vitulum Libani & dilectus quemadmodum filius vnicornium, &c. Quis hic sensus? Quis ille vitulus Libani? & quis est ille dilectus vt filius vnicornium? Vitiosissima hæc est translatio. Lutherus hic è fonte Hebræo sic vertit: **Er machet sie lecken wie ein Kalb/Libanon vnd Sirion wie ein Junges Einhorn.** Exilire faciet eas (cedros) sicut vitulum: Libanon & Sirion sicut filium vnicornium, &c. Sensus est: Quando in magnis tempestatibus vox seu tonitru omnipotentis Dei exauditur, tum simul commouentur inde montana Libani & cedri tactæ fulmine, subsultant, non aliter atq; vitulus lasciuiens, aut catulus vnicornu ferociens exsilire solet.

Psalmo 54. *versicul.* 22. Diuisi sunt ab ira vultus eius & appropinquauit cor illius. Qualem tu hic, mi Christiane lector, eruas sensum? admireris & execreris ne corruptissimam hic versionem? Lutherus mendosa hac versione posthabita ex Hebræo sic vertit: **Ihr Mund ist glatter denn Butter vnd haben doch Krieg im Sinne.** Vatablus sic: Leniora sunt magis quam butyrum verba oris eius at, prælium in corde eius.

Psalmo 71. *vers.* 16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, &c. Hic nullam exprimit Latina vulgata versio mentem. Firmamentum enim ponitur absurdissime pro, Frumentum. Lutherus ergo ex Hebræo solidius transtulit, **Auff Erden auff den Bergen wirt das Getrayd dick stehen.** Vatablus: Erit pugillus frumenti in terra latus in capite montium, & cæt.

Psalm. 89. *vers.* 3. Ne auertas hominem in humilitatem & dixisti: Conuertimini filii hominum, &c. Quam hic textus, mi Lector ἀπροσδιάνυσος! Lutherus hic ergo consuluit Hebræos & Græcos fontes & sic transtulit: **Der du die Menschen lässest sterben / vnnd sprichst/kommet wider Menschen Kinder.** Vatablus: Conuertis hominem vsque ad contritionem & dicis: Reuertimini filii hominum.

Eodem Psal. v. 10. absurdissima est latina versio. Anni nostri sicut aranea medita-

meditabuntur. Quis hic comprimat risum? Lutherus fundamentaliter ex Hebræo Wir bringen vnsere Jahre zu wie ein Geschwätze.

Mox versu 12. legit vulgata versio Latina: Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur. Hic Paraphrastes iste prorsus dissentit Prophetæ. Nam Moses huius Psalmi autor in sua lingua dicit: Quia succiditur festinanter (vita nostra) & auolamus. Lutherus aptissime: Denn es fähret schnel dahin als flögen wir davon. Vatablus: Quoniam recedit cito & auolamus.

Psalm. 126. *versicul.* 5. Ita filii excussorum, &cæt. Quis hic sensus? Lutherus è fonte Hebræo limpidissime sic vertit: Also gerathen die jungen Knaben.

Fœdissimi solœcismi frequentissime occurrunt, vt Psal. 51. *v.* 7. Emigrabit te. pro Emigrare faciet vel euellet.

Psal. 59. *v.* 8. Partibor Sichimam & conuallem tabernaculorum metibor. Partibor pro partiar, & metibor pro metiar.

Psal. 76. *v.* 7. Scopebam spiritum meum.

Psal. 77. *v.* 70. De post fœtantes accepit eum.

Psal. 15. *v.* 5. Odiui pro odio habui, & quis omnia sine nausea repetat?

In nouo testamento similes sunt multæ ineptiæ.

Hebræ. 13. *v.* 16. Talibus enim victimis promeretur Deus, pro delectatur Deus, εὐαρεστεῖται ὁ θεός.

Marc. 5. *v.* 35. Adhuc eo loquente veniunt nuncii ad Archisynagogum. Hic Græcus textus sic habet ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, veniunt ab archisynago go, id est ædibus principis.

Luc. 15. *versicul.* 8. Mulier euertit domum quærens drachmam: pro EVERRIT σαροῖ τὴν οἰκίαν. Insania esset euertere domum propter vnum amissum nummum?

Iohann. 1. *versicul.* 25. Hæc in BETHANIA facta sunt vbi Iohannes baptisans: pro BETHABARA & pro baptizabat: quis excuset has infantias & ineptias?

Iohan. 21. *versicul.* 22. Sic eum volo manere donec veniam. pro si volo.

1. Petr. 3. *vers.* 18. corruptissimus est textus vetustæ latinæ versionis. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Hic vis infertur manifesta Græco textui: θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι. Tota periodus Græca sic ergo recte sonat. Christus semel pro peccatis nostris mortuus

eſt,iuſtus pro iniuſtis,vt nos offerret Deo,mortificatus quidem carne,viuificatus autem ſpiritu.

Hebræ. 13. *verſicul.* 2. Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim latuerunt quidam angelis hoſpitio exceptis. Pro inſcii Angelos hoſpitio ſuſceperunt.

Matthæi 5. *verſic.* 41. Quicunque te angariauerit mille paſſus vade cum illo alia duo. pro. Qui te adegerit ad milliare vnum vade cum illo & alia duo.

Matthæi 20. *verſicul.* 25. Filius hominis non venit miniſtrari, pro miniſtrare.

Matthæi 22. *verſicul.* 10. Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium, pro. diſcumbentibus.

Ibidem. *verſicul.* 30. Non nubent, neque nubentur. Ohe Priſciane!

Luc. 21. v. 38. Omnis populus Manicabat ad eum, pro. mane ibat. Ferulis dignum erratum.

Luc. 23. *verſ.* 29. Beatæ ventres quæ non genuerunt pro: qui & pepererunt.

Actor. 3. v. 19. Pœnitemini, pro. pœnitentiam agite.

Actor. 10. *verſicul.* 16. Hoc factum eſt per ter. &c. Quomodo vales Priſciane?

2. Cor. 8. v. 15. Qui modicum non minorauit.

Iacob. 1. *verſicul.* 13. Deus eſt intentator malorum, pro. Deus non eſt tentator ad malum.

Sic aliis in locis inuenetis plures pudendos errores & ineptias in eadem veteri latina translatione, quales ſunt: Paxillus, pro paxillius, ſepem, pro, ſpem, Altera matre, pro, Adultera matre, victu pro viduæ, cecidit pro cecinit, &c.

Prolixius hæc commemoro propter ſequentes potiſſimum rationes, 1. vt lector beneuolus perpendat cimmerias tenebras quib. ſacratiſſima ſcripta Prophetica & Apoſtolica obſita & ſepulta fuerint ſub Papatu Antichriſtico è quibus per Lutherum in lucem reuocata ſunt.

Cōciabulum Tridentinū ſtolidiſſime approbat corruptam illā Verſionem bibliorum.

2. Vt ob oculos verſetur fœtens & abominabilis Concilii Tridentini vanitas quod ſub Anathematis pœna vitioſiſſimam iſtam Latinam verſionem ceu autenticam omnibus commendat & obtrudit. Vnde furioſum & blaſphemum pronunciatum eſt Gregorii de Valentia in Analyſi Catholicæ fidei: Porro ex dictis intelligitur (ſunt verba hæc iſtius amentis Hiſpani Gr. Valentiani) nullo modo autores illos audiendos eſſe, qui ad huc

poſt

post concilium Tridentinum (Satanicum) contendunt: Posse etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos & Græcos codices, tanquam per fontes, (vt aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiam attinet, emendari. NON LICET HOC FACERE. Quin potius Hebraici & Græci codices, sicubi à nostra editione dissideant, per nostram corrigendi & emendandi sunt. *Furor Gregorii de Valentia.*

Nam hanc Ecclesia (malignantium, Antichristica, Diabolica) peculiari definitione per omnia comprobauit non illos: Quanquam nec illos reiecit, nisi vbi huic nostræ editioni forte contradicent. Hactenus de Valentia: Proh: vero pudor!

Sic similiter in omniũ conspectu posita est inexcusabilis stoliditas & arrogãtissimum supercilium iniesuati Cardinalis Rob. Bellarmini, qui multis in locis hanc eandem vulgatam translationem Biblicam, iam laudat, iam rursus reprobat, prout versio ista inseruit Regno Romanæ Thaidis fulciendo, vel non inseruit: In *lib.* 4. *cap.* 11. de Christi anima suadet iste Lucianus vt Græci codices corrigantur secundum hanc turpissimis erroribus scatentem versionem Latinam: Habet enim, inquit, apud Catholicos authoritatem. De sacra. Eucharist. *lib.* 4 *capit.* 26. sic protestatur: Non multum, inquiens, credendum est Græcis codicibus quos Chemnitius magnifacit. *Bellarmini insolentia.*

Contra: Sicubi Latina hæc vitiosa versio Antichristo & eius decretis non respondet, ibi mox Bellarminabundus iste filius Geth eandem repudiat & prouocat ad textum Græcum vt manifestum est de Sacrament. Eucharist. *lib.* 4. *cap.* 24. circa locum 1. *Cor.* 10 vbi expresse in latina versione habetur: De vno calice participamus.

Quis inter Papistas sit (honesti saltem sit sanguinis & pudoris homo) qui hæc possit saluo frontis colore & verecundiæ integritate approbare! quod Latinus textus tam corruptus debeat præferri Hebræis & Græcis fontibus in quibus locutus est Spiritus sanctus per os Prophetarum & Apostolorum? Quis probet quod iam laudent & mox damnent, idem, prout faciat, pro vel contra Papam? Et vt res tota eo vnice dirigatur quo fama & gloria Antichristi amplificetur & celebretur: etiamsi interim vel maxime os Spiritus sancti in scripturis Propheticis & Apostolicis loquens, infamandum, traducendum & transfigendum sit? Quousque vos ô arundines, militabitis contra Deum qui est ignis consumens? Vos inquam Iesucidæ ô arundines, o bullæ euanidæ, o vmbratiles & transitoriæ:

imagi-

Nonne de huiusmodi Papisticis Biblicis versionib. recte & merito dixeris, quod nec cor nec caput, nec pedes habeant, & similes sint hi interpretes oratorib. Romanis ad pacem faciendam inter Nicomeden & Prusiam missis, quorum vnus caput cicatricibus sparsum habuit multis, alter pedibus æger, tertius ingenio socors extiterit vt Florus in Epit. Liuii lib. 50. refert?

VI. Quarta causa, cur hæc fusius recensuerim est, vt inflammetur animus Christiani Lectoris, ad seriam gratiarum actionem erga Deum Patrem & fontem omnis consolationis gratiæ & misericordiæ, pro Germanicis nostris Bibliis quæ Reuerendus Pater D. D. Martinus Lutherus ex Ebræis & Græcis fontibus tam perspicue, eleganter, grauiter & significanter in nostram istam vernaculam linguam transfudit, vt isthæc Germanica paraphrasis, versio siue translatio vice lucidissimi commentarii haberi possit, imo multorum prolixe scriptis commentariis merito anteponatur, adeoque vt multæ per Germaniam aulæ proprietatem & puritatem linguæ Teutonicæ inde didicerint.

Dulcissime & affectuose historiam translationis Bibliorum recitat Dn. Mathesius Concione 13. pag. 141. Verba eius insigniora huc enotata adscribo: Diß 1540. Jahr gieng das hohe Seelige Werck die Dolmetschung der Bibel von stadt/wie auch die grosse Bibel diß Jahr getrucket wardt. Diß ist (NB.) der grösten Wunderwerck eines/ das vnser Gott durch Doctor Martin Luther vorm Ende der Welt hat außgericht/ dz er deß erstgebornen Japhiten Kindern/die er auch mit der höchsten Kron vñ Scepter auff Erden verehret/eine sehr schöne Teutsche Bibel lässet zurichten/vnd redet vnnd erkläret vns was sein ewig Göttlich wesen vnnd gnädiger Wille ist / an guten dürren verständlichen Teutschen Worten/Gottes Sohn erweckte einen Teutschen Sachsen der gewandert war / vnnd die Biblien GOTtes in Meißnische Zunge brachte. *Mathesius de Lutheri Biblica translatione.*

Item Erstlich kam dz Newe Testament durch D. Luther verteutschet: Sehr willkommen war diß Buch den frommen Teutschen / wie jhr vber viel hundert tausend in Teutscher Sprache sollen getruckt seyn / ob es wol dem Teuffel vnd seinen Helffern wehe thete.

Item Doctor Luther erlernet sich bey Juden vnd frembden Sprachkündigen: Er erfragte sich bey alten Teutschen von guten Worten/ wie er jhm etliche Schöps abstechen ließ/damit jn ein Teutscher Fleischer berichtet wie man ein jedes am Schaf nennete. Item: Er hatte grosse Sorge/Arbeit/ vnd nachdenckens gebraucht. Jch bin/saget er/neben dem Herren Philippo vnd Auro-

gallo wol 14. ganzer Tage vber einer Zeil / oder Wort gesessen / biß sichs hat Teutsch reden lassen.

Consultatio doctiss. virorum. Recenset etiam Dn. Mathesius, quod inter multam inuocationem & ardentissimas preces operi isti vir Dei vacauerit, & peculiares solennesq; conuentus hebdomatim per annos non paucos celebrauerit cum istius seculi præstantissimis & doctissimis Theologis & professoribus, quales fuerunt D. Iohan. Bugenhagius, D. Iustus Ionas, D. Casparus Cruciger, Dn. Philippus Melanchton, Matthæus Aurogallus, M. Georgius Rorarius, itemque D. Bernhardus Zieglerus, D. Forsterus & alii: Quilibet horum diuisos demensosq; sibi hinc inde labores magna fide nec sine profusis ad Deum seriis gemitibus & precum incensis fidelissime expediuit & perfecit. Vide Mathesium loco dicto.

Festum trāslationis Bibliorum. D. Pomeranus venerandus senex, pastor Ecclesiæ VVitebergensis magni nominis Theologus, deque multis diuersarum regionum Ecclesiis optime meritus, hunc laborem translationis Bibliorum, tanti fecit, vt quotannis in suis ædibus festum translationis Bibliorum celebrarit, vt hac ratione memoriam huius summi doni grata mente in familia sua conseruaret. Mathesius loco dicto.

Ioh. VVigandus de Bibliis Lutheri Germanicis. In oratione admonitoria de bonis & malis Germaniæ Francofurti Anno Christi 1566. excusa & scripta à D. Iohann. VVigando Theologo VVismariensi, sic idem VVigandus: Biblia sacra in clarissimam lucem summo Dei beneficio iterum sunt producta & in manus atque vsum hominum familiarem tradita. Cōstat enim Biblia sacra multis iam seculis pro obscuro libro vbique locorū esse habita peneq; situ & squalore interiisse, eius quidē rei istę potissimum erant causę. 1. Quod tantum Latina sanctorum librorum versio commendabatur, quæ profecto plurimas illustres res & sententias patum concinna interpretatione inuoluit & obscurat. 2. Quia tantum ad Scholasticorum disputationes & summas in Scholis adsuefiebāt, qui Theologia imbuebantur: Laici vero à lectione Bibliorum non aliter atq; sues ab Amaraco arcebantur, ac publice audiebant tantum legendas sanctorum. Vere igitur quod in Samuele 1. Sam. 1. dicitur: Verbum Dei erat pretiosum, nimirum ob raritatem eo tempore. Nunc vero Biblicæ versiones luculentæ extant, inprimis vero Germaniam Teutonica translatione per Lutherum ornauit Deus ita vt omnes linguarum periti vltro fateantur, feliciorem, clariorem, planiorem versionem ex Hebraico textu apud nullam aliam gētem extare. Nam de Græca quidem & Latina interpretatione, quæ iam habentur non difficile est iudicium, aliæ vero gentes à Germanica etiam versione aliquam lucem hauserunt.

Mul-

Multorum ſcriptis memoriæ conſecratum & tanquam diuinum beneficium magnifice prædicatum, eſt quod ſeptuaginta illi viri Hebræũ textum in Græcum transfudere conſilio Ptolomæi Philadelphi regis Ægyptiaci. Vidimus autem & nos adoleſcentes qui VVitebergæ tum ſacris literis erudiebamur, quomodo certis horis congrederentur in ædibus Lutheri, Melanchthon, Cruciger, Forſterus, Aurogallus, Ionas, ſuaſque in reddendis quam commodiſſime ſanctæ linguæ phraſibus, operas ſingulari ingeniorum acumine, dexteritate, pietate conferrent, Luthero architecto operis, quid conuenientiſſimum eſſet, iudicante & ſequente. Dictante igitur Spiritu ſancto Biblia Germanica tam terſa, tam clara, tam lucida prodierunt, ita vt pueri & puellæ iam Biblia legentes, proprium & genuinum ſenſum abſque longis commentariis ob oculos videant, atq; fundamenta pietatis & omnis conſolationis addiſcant. Hæc vere à nobis dici res ipſa oſtendit. Nam Biblia iam plura in priuatis Laicorum ædibus habentur quam olim in collegiis & Bibliothecis Eccleſiaſticorum omnium extiterunt.

Cum igitur Biblia ſint fons & ſcaturigo ſacræ religionis, cultuum diuinorum, imo æternæ noſtræ ſalutis, ideo æternas Deo pro hoc tanto munere gratias debemus. Nihil iam dicam de aliis verſionibus, quas Germanici Doctores, aliis in linguis dederunt. Præclaram nauauit operam in noui teſtamenti illuſtratione Eraſmus: inſignem etiam impendit operam in vetus inſtrumentum Munſterus & alii nonnulli, ſed inter haſce translationes omnes (quod pace omnium dicere liceat) veluti ſol in medio cœlo Germanica translatio eluceſcit, vt quæ Hebraica idiomata planiſſime exprimit. Huc uſque VVigandus Theologus meritiſſimus. *Eraſmi nouum Teſtamentum. Sebaſtianus Munſterus vertit vetus Teſtamentũ.*

Franciſcus Driander Hiſpanus, alio nomine Denzina qui nouum teſtamentum in Hiſpanicam linguam tranſtulit, per multos nunc annos clarus ſæpius optaſſe, alicubi à D. Tilemanno Heshuſio ſcribitur, cognitionem linguæ Germanicæ, ob nullam aliam cauſam, niſi vt poſſet intelligere Germanica Biblia D. Lutheri, quæ audiret tantopere ab omnibus doctis commendari. *Driander.*

Proinde nos Germani multo magis diuinũ depoſitum iſtud inſtar inæſtimabilis & lõge pretioſiſſimi theſauri exoſculemur & ſingula in ſacroſanctis ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis trutinemus & perpendamus. Rectiſſime etenim Apoſtolus commonefacit: Rom. 15. v. 4. Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationẽ ſcripturarum ſpem habeamus. Baſilius in Pſalmum 1. ſcribens: Scriptura, ait, diuinitus inſpirata inſtar eſt cuiuſdam ἰατρεῖον, ex quo quiſque aptum morbo ſuo remedium eligere poſſit.

Ordo Magistratus Politici à contemptu Antichristico liberatus per Lutherum.

Magistratus politici quoque & Laicorum maximus sub Papatu Antichristico fuit contemptus: Papa enim & clerici non solum à suis humeris Magistratus iugum excusserant, sed sibi quoque prorsus subiecerant: ideo vt politicus Magistratus, respectu Laicorum quidem esset Magistratus, respectu vero Papæ, Episcoporum, sacerdotum & clericorum idem esset subiectus atque subditus. Res eo quoque progressa fuerat vt Magistratus politicus & status Oeconomicus Laicorum pro ordinibus profanis, impuris & pollutis reputarentur, in quibus nemo beate mori & æternam salutem consequi posset, nisi subleuaretur clericorum operibus meritoriis, missis, vigiliis, indulgentiis, &c. Sic etiam tum Magistratus, tum subditi seculares vt vocabantur à cognitione rerum spiritualium & quæ ad animæ salutem spectant, prorsus relegabantur, scripturæ eis prorsus adimebantur: si quis tale quid inter seculares affectaret, audire cogebatur illud: Vade post me Satana, scandalum mihi es, vt Asotus, scriptor pontificius manifeste scribit & propugnat, in libello cuius titulus est: Assertio Catholica.

Asoti intempesta vox.

Syluester 1. Papa in Concil. Roman. Canon. 16. sic contra Magistratum Politicum decernit: Nemo Clericus vel Diaconus aut presbyter propter causam suam quamlibet, intret curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatio simulachrorum est. Concilium Eliberinum Can. 56. sic habet. Magistratum vero, anno quo agit duumuiratum, prohibere placet, vt se ab Ecclesia exhibeat, &c.

Papa nominitat se solem, Cæsarem Romanum vero Lunam: portabatur hexaphoro. Requirebat, vt prandenti sibi Cæsar ad mensam ministraret: Equitabundo alias sibi teneret stiuam, præsumebat, strictissimeque affectabat Cæsarem coronare vel non admittere, iactabat se mundi & omnium imperiorum & prouinciarum Dominũ, in cuius solius potestate esset transferre regna, pedes item suos, osculo libandos, &c. Adrianus Papa ad hunc modum supra Imperatorem Fridericum sese extulit, inquiens, Imperator per nos imperat: vnde habet imperium nisi à nobis? Ecce in potestate nostra est, vt demus illud cui volumus. Auent. lib. 6. Itemque Iohannes de Parisiis in tractatu de potestate Regia cap. 5. Solus Papa est verus Dominus temporalium.

Nimirum hi sunt isti barbari & subuersi homines qui dominationes contemnunt sicut Petrus prænunciauit huiusmodi impuros blasphematores in nouissimis futuros temporibus 2. Petr. 2. v. 10.

Tom. 1. German. VVitebergens. fol. 445. Lutherus sic: So stunds dazumal: air: Es hatte niemand gelehret noch gehöret / wuste auch niemand von

der Weltlichen Obrigkeit etwas/woher sie käme/was ihr Ampt oder Werck were/oder wie sie Gott dienen solte. Die allergelehrtesten hielten die Weltliche Obrigkeit für ein Heidnisch/Menschlich vngöttlich Ding/als were es ein gefährlicher Standt zur Seeligkeit. Daher hatten auch die Pfaffen vnd Mönche dermassen die Könige vnnd Fürsten eingetrieben vnd vberredet/ daß sie andere Werck für sich namen/GOtt zu dienen/als Messe hören/Walfahrten/Messe stifften/&c. wurden rechte Pfaffen vnd Mönche ohne das sie nicht Kappen noch Platten trugen.

Item. Mein gnediger Herr Hertzog Friderich seeliger Gedächtnus ward so fro/da ich zu erst von Weltlicher Obrigkeit schrieb/daß er solches Büchlein ließ abschreiben/sonderlich einbinden vnd sehr lieb hette/daß er auch möchte sehen was sein Stand were für GOtt.

Tom.12. German. VVitteberg. fol. 244. 4. vel Tom. 6. Ienens. German fol. 9. f. 2. Ich habe gesehen mit diesen Augen/da ich bey meinem vierzehenden Jahr zu Magdeburg in die Schule gieng einen Fürsten von N. der gieng in der Barfüsser Kappen auff der breiten Strassen vmb Brodt/ vnd trug den Sack wie ein Esel/daß er sich zur Erden krümmen muste/aber sein Gesell Bruder gieng neben jhme ledig/ auff daß der fromme Fürst ja allein das höchste Exempel der Grawen beschornen Heiligkeit der Weldt einbildete/ sie hatten jhn auch so vbertaubet/ daß er alle andere Werck im Kloster gleich wie ein ander Bruder thete/vñ hatte sich also zufastet/zuwachet/ zucasteyet/ dz er sahe wie ein Todtes Bilde/eitel Bein vnd Haut/starb auch baldt/denn er vermocht solch strenges Leben nicht zu ertragen. Summa: Wer in ansahe/der schmälzte für Andacht/vnd muste sich seines Weltlichen Standes schämen. Item der Ehestand war auch gehalten als ein gefärlich Schewsal/ & cæt.

Sed honori pristino per vim lucem & gloriam sacrosanctæ scripturæ postliminio restituit Lutherus noster statum Politicum & Oeconomicum, quo nomine Reges & principes merito in honore habent authoritatem & memoriam diuini istius Herois. Norunt etenim iam, se à Deo in scripturis ornatos & honestissimis encomiis commendatos esse, proindeque se in vitæ ordine qui Deo placet & acceptus est recte & bona conscientia consistere 1. Petri 2. v. 13. Subditi estote omni humanæ ordinationi propter Dominum, siue Regi aut superiori, siue præsidibus vt ab eo missis. Quæ doctrina consentit cum illa quæ est ad Rom. 13. v. 1. 1. Timot. 2. v. 2. Orare iubet Apostolus pro Regibus & quibusvis in eminentia constitutis: Quod vtiq; non faceret, si præesse aliis vel parere magistratibus cum pietate Christiana pugnaret. Tit. 3. versicul. 1. Suggere illis, vt sese submittant principibus

Politicus Magistratus merito amat autoritatem Lutheri.

& potestatibus & obtemperent. Imo ipse Christus parendo honorauit Magistratum, soluens tributum Matth. 17. v. 27. Et Matth. 22. v. 21. Cæsari iubet reddi quod sit Cæsaris, & Deo quod est Dei.

Sic nimirum indicat piorum officia esse distributa: alia debent Deo, alia Magistratibus: quæ tamen non pugnant, sed dicuntur subordinata.

Nimirum his armis liberauit Lutherus noster Magistratum politicum ex laqueis Antichristi Romani, & docuit constanter & solide Papam potius cogendum esse sub Imperatoris & Magistratus Politici sceptrum. Omnis anima, inquit, imo imperat Apostolus Rom. 13. v. 1. subdita sit potestatibus supereminentibus, hoc est: Omnis homo: loquitur enim de homine in genere per synodochen.

Anne autem Papa & clerici eius rasi & tonsi non sunt homines? Cur ergo præcepto Apostolico non ligentur? Siquidem istud vniuersaliter datur omnibus & datur sine omni exceptione.

Et loquitur Apostolus hic non de officio Ecclesiastici Magistratus, quale Papa affectat, & Episcopi: Sed de Magistratu ciuili, cuius obedientia necessaria ex præcipiente Paulo. Ideo & huic parendum est in ciuilibus, præsertim cum ciuilium administratio non sit Papæ.

Sacerdotes in veteri T. obediebant Magistratui ciuili. In veteri Testamento eadem fuit ratio obseruata. Pontifices & sacerdotes enim non eximebātur ab obedientia ciuili per functionem suam quam tenebant: Sed Aaron Pontifex necessario debuit obedire Mosi ciuili Magistratui: imo ab eodem seueriter fuit castigatus in causa religionis cum aureum conflasset vitulum. Hoc ita obseruatum est, vt prophetæ quoque ipsi deinceps in ciuilibus, non sacerdotibus & Pontificibus, sed Politico magistratui obedirent. Sic Christus obediuit: Et obediēdum ciuili Magistratui præceperunt Paulus & Petrus locis antea dictis.

Et Petrus manifeste prohibet Episcopis ne dominatum in clerum sibi vsurpent 1. Petr. 5. v. 3 quasi dicat: Hoc pertinet ad Politicum Magistratum non ad ministros Ecclesiæ.

Christus hac de re ad Apostolos: Principes gentium, inquit, dominantur, vos vero non sic: Matthæi 20. vers. 25. Luc. 22. vers. 25. Marc. 10. v. 14. Et Christi exemplum cum primis illustre est qui quæsitus ad regnum, abdidit se Ioh. 6. v. 15.

Status Oeconomicus. Sic Oeconomicus status quoque mediante luce & gloria scripturæ sacræ, per Lutherum è tenebris in lucem rursus protractæ, hodie in suo consistit honore. Nouerunt etenim Laici esse se in ordine qui Deum habeat authorem & comprobatorem, quod Papa & Monachi, sacrificuli & rasi clerici Antichristici de se nullatenus affirmare possunt; Quis enim author

thor sit solii Antichristici alius quam Spiritus tenebrarum? sub eiusdem sceptro etiam Monachi, sacrificuli, Missifices clerici in regno Pontificio viuunt, & sui æternam reprobationem, in pœnitentiam egerunt, certo tandem acceptui sunt. id quod certum est & norunt hoc ipsi per morsus & remorsus inquietæ suæ, qua æstuant, conscientiæ.

Maxima quoque felicitas est status Oeconomici quod patet piis patribusfamilias lectio Bibliorum vernacula: Itemque postilla maiora R. Patris Lutheri domestica & Ecclesiastica sicut & aliorum Theologorum. Ex his discunt pii patresfamilias cum suis liberis veram pietatem, fidem & rationem Deo placendi, tandemque bene & beate ex his miseriis emigrandi in requiem & lucem æternæ vitæ.

In Oeconomico statu patribusfamilias lectio Bibliorũ & alia scripta Theologica.

Sic fieri vult ipsemet sanctissimus Pater Augustinus Epist. 3. ad Volusianum: Deus, inquiens, in scripturis quasi amicus familiaris sine fuco loquitur ad cor doctorum & indoctorum.

Augustinus.

Et Iohannes Chrysostomus scripturarum lectionem, laicis hominibus magis necessariam & conuenientem & fructuosam esse scribit, quam vel Monachis vel sacerdotibus, vel quibusuis aliis. Apertissime enim sic Homil. 3. in Matth.

Hoc est ait quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit, quod lectionem diuinarum scripturarum ad solos putat is pertinere Monachos: Cum multo magis vobis, quam illis sit necessaria. Itaque multo est grauius atque deterius, rem superfluam esse putare legem Dei, quam illam omnino non legere: Hæc enim verba sunt quæ de diabolica prorsus meditatione promuntur. Hæc B. Chrysostomus.

Celebratur hoc nomine Vlphilas Episcopus Arrianus quod scripturas in linguam Gothicam transtulerit. Tripart. lib. 8. capit. 13. & lib. 5. capit. 36. & 38. Cuius etiam meminit Dn. Mathesius concion. 13. de Luthero

Vlphilas.

Itemque B. Hieronymus in Dalmaticam linguam scripturas sacras transfudisse legitur: Id quod & Stanislaus Hosius non dissimulat in tractatu: De sacro vernacule legendo.

Hieronym.

Rursus B. Chrysostomus Concion. 3. de Lazaro. Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio. Magnum præcipitium, & profundum barathrum scripturarum ignorantia. Nihil scire de diuinis legibus magna salutis perditio: Ea res & hæreses peperit & vitam corruptam inuexit: Hoc sursum deorsumque miscuit omnia.

Chrysost.

Origenes antiquissimus scriptor in Leuit. Homil. 9. ad populum habet: *Origenes.*

Optamus

Optamus vt operam detis non solum in Ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus vestris exercere & meditari in lege Domini die ac nocte.

Hieronym. Hieronymus inquit in Epistolam ad Colloss. cap. 3. Laici non tantum sufficienter, sed etiam abundanter verbum Dei habere debent & se inuicem docere.

Origenes. Rursus Origenes ad suos de plebe auditores in Iosu. Homil. 20. ait: Me dicente quod sentio, vos decernite & examinate si quid rectum est aut minus rectum.

Theodoretus Et ne quid desit, adiicio locum maxime illustrem ex Theodoreto qui in libello, de natura hominis sic: Passim videas, inquit, hæc nostra dogmata, non ab aliis solum teneri, qui sunt Ecclesiæ Magistri, populorumque præceptores, sed ab ipsis quoque sutoribus, fabrisque ferrariis, lanificibus præterea, cunctisque artificibus, quin & à fœminis item omnibus, non iis modo quæ literas didicerunt, si quæ illæ sunt, sed quæstuariis ac sartricibus, ancillisque adeo ac pedissequis. Neque illi solum qui vrbes incolunt, homines, sed ipsi quoque agricolæ probe eadem sciunt: fossoresq; adeo & bubulcos inuenias plātarumq; consitores de diuina Trinitate, rerumque omnium creatione dissertantes, humanæ item naturæ magis conscios esse, quam Plato & Stagirites fuerint. Hæc ille.

Scopus Lutherien Germanicis Bibliis. Sic recte: sic conuenienter: Huc etiam Diuus Lutherus noster Germanicis suis Bibliis collimauit vnice & respexit sedulo, nimirum vt pater Oeconomicus cum filio, vir cum vxore, domi de verbo Dei conferant, illud legant relegant & meditentur, sicut etiam his iisdem fere verbis idem vrget Chrysostomus in Iohannem Hom. 1.

Quis ergo in hac luce Euangelii gratias non agat sapientissimo sacrarum scripturarum autori Deo pro hac incomprehensibili felicitate? Quis non gratuletur statui Politici Magistratus & ordini Laicorum in ordine domestico? Hos enim veluti porcos & rudes & inconsideratos olim à scripturarum lectione & cognitione Antichristus Romanus & Pharaonici eius lictores violenter & tyrannice deturbabant & excludebant: qua in re hi carnifices & animarum occisores responderunt voto Iuliani Apostatæ de quo Cyrillus libr. 6 & 7. contra Iulian. scribens commemorat, quod Christianos hoc nomine reprehendere solitus sit, quod mulierculas & pueros scripturas legere paterentur. O quam sic similia labra lactucis cernas in hodiernis Papisticis Iesucidis & Esavviticis papicolis!

Iuliani Apostata vestigiis insistunt Papicolæ.

Ita, inquam, vides miserabilem & deploratam olim fuisse & adhuc vbi aula papalis luculento suo gaudet foco, esse religionemque nequit consistere

nisi

nisi obtuta Dei veritate & scripturæ cœlestis autoritate. Hanc enim Lemnio obtutu aduersantur & Scythica oratione persequuntur.

Quam, quæris, ob causam? Respondet Tertullianus in libro de Trinitate: Scriptura, inquiens, diuina hæreticorum fraudes & furta facile conuincit & detegit. Clarius adhuc respondet Chrysostomus in opere imperfecto *Homil.* 44. *Papicola cur scripturas S. formident?*

Hæretici, inquit is, sacerdotes claudunt ianuas veritatis. Sciunt enim si manifestata fuerit veritas, Ecclesiam suam esse relinquendam, & se de sacerdotali dignitate ad humilitatem venturos popularem.

Quocirca, quisquis es lector Christiane: Christo pro luce scripturarum inprimi; pro Germanicis Bibliis D. Lutheri deuotas solue gratias & grato animo in hac luce & cl ritudine ambula, & caue tibi, si animæ salutem amas, ab hodiernis Iesucidis, Bibliorum truculentis flagellatoribus (Hæc si non credis legas duos libellos D. Danielis Crameri wider den Bibelschänder Iesucidam Vberum Herbipolensem, Anno Christi 1607. publicatos) hi enim sunt vere locustæ stipulares & turba depastrix tanti patrimonii scripturarum diuinitus per Prophetas & Apostolos traditarum, quas si contra istos Bibliorum hostes stringas, mox nasum crispant, aut terribili ridentes vultu surgunt & labrum mordent. *Iesuitæ scripturarum Biblicarum hostes infensissimi.*

————*Nec frons hilarata serenis*
Luminibus sese explicat.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

Qua demonstratur quam vane triumphent Papistæ in quadam contra Luthericas Ecclesias antiquitate, cum Pontificia Romanensis Mataologia & religio potius recens nata & è cerebro vel scrinio Abyssi Antichristico progenita sit.

NOVITATIS accusant Pontificii rabulæ doctrinam Euangelicam quæ in nostris sonat Ecclesiis, & iam per multos annos impudenter vocitant, quintum pseudo Euangelium: Lutherum quintum Euangelistam, & nos omnes nouæ fidei cuiusdam, quæ ante annos iam nonaginta toti mundo prorsus incognita fuerit sectatores: Suam vero Synagogam vocant per turpissimum mendacium omnium Ecclesiarum matrem, seque ea do- *Ementita Papicolarum doctrina antiquitas.*

cere aiunt, quæ à Christo, Apostolis, Apostolorum successoribus, Patribus & maioribus acceperint, quæ multo Martyrum sanguine effuso sanctificata & roborata fuerint. Obiiciunt nobis (sed impudenter) Tertullianum illud antiquissimum quodque verissimum esse. Breuem discursum ergo simplici subnectam filo, primum de nouitate Papatus: deinceps dicturus de vetustate, vt vocant Lutheranismi. Primum in genere teneatur firmiter quod antiquitas non sit regula & præceptum fidei. Non raro enim fit vt vetera, quæ sic nominantur, sint vel vitiosa vel etiam verius noua quam vetera.

Num antiquitas sit regula fidei?

Arnobius.

Subscribit his constanter & solide Arnobius (qui vixit pridem ante S. Athanasium imo & Lactantium & Eusebium Cæsariensem, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus tempore nonæ & decimæ persecutionis ab Aurelio & Diocletiano circa annum Christi 280. & 290. motæ) in *lib.2.* aduersus gentes: Religionis authoritas, inquiens, non est tempore æstimanda, sed numine, nec quo die, sed quid colere cœperis intueri conuenit: Quod verum est: Serum non est: Cyprianus etiam adiicit suum calculum *lib.2. Epist.* 3. ad Pompeium vbi disertissime: Consuetudo sine veritate, inquit, vetustas erroris est. Item: sic solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit, nec enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

Cyprianus.

Eutyches olim prouocauit ad antiquitatem.

Quod si quæuis antiquitas confuse sic intellecta fidei & confessioni præscribere debet: Cur olim Eutyches in generali quarta Synodo Chalcedonensi sub Leone Magno Episcopo Romano & Martiano Imperatore, per suffragia 630. Episcoporum damnatus est? Nam Eutyches quoque subinde ingeminauit: Sic à progenitoribus meis accipiens credidi: in hac fide genitus sum & consecratus Deo, & in ea opto mori. Sicut acta Concil. Chalcedonensis referunt action. 1.

Auxentius Arrianus.

Cur etiam Auxentius olim ob Arianam hæresin damnatus est? qui similiter gloriatus est: Quemadmodum ab infantia edoctus sum, ita credidi & credo. Hilar. in Epist. Auxent

Non omnis nouitas reprobanda.

Sic quod nouum est cur indistincte reprobetur statim & explodatur? Christus enim ipse adsimilat doctrinam suam vino nouo *Matt.* 9. *versicul.* 17. & dicit ad discipulos suos Mandatum nouum do vobis *Ioh.* 13. *v.* 34.

Nominat etiam calicem benedictionis nouum testamentum in sanguine suo, *Luc.* 22. *v.* 20. Et dic mihi sodes.

Quod vetus est fuit hoc non aliquando nouum?

Si rimeris cursum & processum traditarum sacrarum literarum & diuinarum patefactionum, inueneris quod impii semper plenis tibiis cantillarint istud: Nouum est: Nouum est. Recens est natum, hactenus inauditum. Sanguinarius & profanus vir Haman Iudaicum populum olim in aula Regis Assyriæ sic falso & diabolice lancinauit & traduxit, Habes hic, inquiens, Rex populum nouis quibusdam vtentem legibus ad omnes autem tuas leges contumacem & rebellem. Esther. *c.*3.*v.*8. *Haman.*

Cum Paulus Athenis Christum saluatorem mundi prædicaret, aiebant profani homines Epicuræi & Stoici: Quæ hæc est noua doctrina? Noua etenim quædam infers auribus nostris Actor. 17.*v.*19.

Cæterum in specie nunc dispiciamus Antiquitatem illam quam ceu Mineruam Phidiæ plenis buccis Pontificii crepant: Audiamus seorsim Petrum Canisium qui *folio* 30. Operis Cathechistici sub numero testimoniorum decimo tertio per glossulam marginalem commonefacit, in qua Ecclesia sit permanendum, in contextu autem ipse respondet Canisius ex nouo capite Dialogi B. Hieronymi aduersus Luciferianos his verbis: Breuem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat, &cæt. *Antiquitas Papistica religionis.*

Bene & solide, bone Canisi. Veram enim rectam & solidam antiquitatem fidei vere Catholicæ inuestigaueris nuspiam tutius quam in præceptis Dei, Prophetarum & Apostolorum: Nec in fidem & religionem periculosius quid dixeris quam si eam nouitatis accuses Siquidem & in Deo ipso & in eius cultu nihil oportet esse nouum. *Canisii sanū & pium consilium.*

Iam vero, bone Canisi, quæso te per mansuetiores Musas, dic mihi, vbinam (vt sexcenta alia silenti pede prætercam & vnum alterumque saltem hac vice exemplum attingam) à Christo vel Apostolis aut Apostolicis Orthodoxisque patribus, mutilata & dimidiata cœna dominica est instituta? Proferatur hic solida antiquitas ex sacrarum literarum monumentis, Euangelistarum scriptis & Apostolorum Epistolis. *Canisius fiṅt auff dem Examen Bäncklein.*

Annon Ecclesiæ vestræ Romanensis capita, pontifex, inquam Romanus cum suis Cardinalibus, Episcopis & Doctoribus totoque concilio Constantiæ congregato hoc Christi testamentum sacrilege contra manifestam ipsius institutionem, Apostolorum duodecim & totius vere Catholicæ & Apostolicæ primitiuæ, totq; seculorum obseruationem violauit & insuper palpabilē istius testamenti Christi mutilationē contra institutionē Autho- *Mutilata cœna.*

ris, contra 1.. Apostolorum, contra totius Ecclesiæ obseruationem: toti orbi Christiano sub Anathematis & exsecrationis pœna credendam promulgandam & obseruandam posuistis?

Hic certe non apparet vllum antiquitatis solidæ vestigium: Noua est hæc fides, noua religio, omnibus retro seculis in Ecclesia vere Catholica inaudita, vbi hic Tertulliani dictum: Antiquissimum quodque est verissimum?

Missa num[...] natur soli[...] da antiquita[te].

Et vbi eadem Domini cœna in Missa pro viuis & defunctis sacrificium vere propitiatorium, à Christo vel Apostolis instituta aut celebrata est? Noua hæc sunt omnia & veræ antiquitati prorsus incognita: Constat etenim post sexcentos, Apostolorum tempore, circiter demum annos cum Canone natam Missam inque Ecclesiam intrusam.

[Sept]em Sa[cra]menta.

Et vnde septem illa vestra habetis Sacramenta? Quo antiquitatis colore hæc pingere & illinire potestis? An vero ideo necessum est septem in vestra Ecclesia esse sacramenta, quia liber in Apocalypsi habeat septem sigilla Apocal. 5. *versic.* 1. Septem Angeli habeant septem tubas. Apocal. 8. *vers.* 2. Christus in dextra septem habeat stellas Apocal. 1. *versicul.* 16. Christus ambulet in medio septem candelabrorum aureorum Apocal. 2. *versicul.* 1. Zacharias super lapidem septem videat oculos Zach. 3. *v.* 9. Septem fuerint lucernæ in tabernaculo? Exodi 37. *versicul.* 23. An ideo, inquam necessario habenda inter vos septem Sacramenta statuitis? vt statuitis in quodam vestro compendio? profecto pueriliter & ineptissime sic deliraueritis, nec digni fueritis solutione.

Alexander Halensis.

Quod hæc noua sint dixerit vobis in faciem ipsemet vester Alexander Halensis parte 4. *quæst.* 24. *memb.* 2. Sacramentum, inquiens, confirmationis, neque Dominus instituit, neque Apostoli, sed postea institutum est in Concilio Meldensi.

Durandus.

Durandi autem est illud: Matrimonium stricte & proprie loquendo non est sacramentum, &c..

Cur hic piam antiquitatem non veneramini, ô Papicolæ, in B. Augustino qui in Ioh. tract. 80. Accedat, inquit, verbum ad Elementum & fit Sacramentum. Monstrate si placet in putatitio Sacramento vestro, Matrimonii, ordinis & pœnitentiæ externum aliquod Elementum? Ostendite extremæ vnctionis, & confirmationis verbum & elementum in sacrosanctarum scripturarum venerabili antiquitate institutum & ordinatum. Noua prorsus sunt hæc & proximis seculis violenter clitellis misertimæ & afflictissimæ Ecclesiæ imposita..

Mortuorum

Vbi præterea mortuorum hominum inuocatio à Christo vel Apostolis insti-

instituta? vbi B. Virgo θεοτόκος, Mediatrix, Auxiliatrix, Redemptrix, Illuminatrix, Aduocatrix, sicut ex singulis literis colligitis Papicolæ? vbi in angustiis, ipsa parata salus & solatium omnium in se confidentium viuorum & mortuorum? Et vbi mater gratiæ, mater misericordiæ: Tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe: à Christo & Apostolis perhibetur? Quin potius intercedenti pro nouis coniugibus respondet Christus duriuscule: Quid mihi & tibi est mulier? *Io.2.v.4.* *inuocatio & Mariana idololatria.*

Cur hic quoque Papicolæ, piam reiicitis antiquitatem quæ splendet in Archiapostolo ad *Rom.8.v.34.* Christus, inquiente, pro nobis semper interpellat: Et *Tim 2.vers.5.* Vnus est mediator Dei & hominum Iesus Christus. Cur hic demeministis, Papicolæ, nouitatum aucupes, quod Augustinus antiquitate venerabilis Doctor *lib.2.cap.8.* contra Epist. Parmeniani contra has vestras nouitatum ineptias disertissime protestatur his verbis: Paulus non facit se mediatorem inter populum & Deum, sed rogat, vt pro se orent inuicem omnia membra corporis Christi. *Insignis locus B. August.*

Et rursus: Si Iohannes ita diceret: Hoc scripsi vobis vt non peccetis, & si quis peccauerit, mediatorem me habetis apud Deum, & ego exoro pro peccatis vestris: Sicut Parmenianus hæreticus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum: quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi & non sicut Antichristum intueretur?

Augustino antiquior Origenes in Leuit. *Homil.* 7. Christus solus est hostia pro peccatis nostris, & ipse est hostia sancta sanctorum. *Origenes.*

Leo item Epist.82. Nullius insontis occisio, inquit, propitiatio fuit mundi. Hæc sunt vestigia παλαιᾶς τῆς ἐκκλησίας, o Papicolæ: cur illa auersa facie transitis ad vestras nouitates? *Leo.*

Et à quo Christo, à quo Apostolo coniugii sacerdotum & ciborum prohibitio? Certe ab Apostolo vestro Beelzebub, sicut Paulus euincit, 1.*Tim.* 4 *v.3.& 1.* A quo porro Christo vel Apostolo nundinationes indulgentiarum papalium? Noua sunt hæc oua & stercoramenta fœtida & pudenda Antichristi. *Prohibitio coniugii & ciborum.*

A quo Christo vel Apostolo omnes ordines Monastici? Nonne ab hominibus, quorum titulis & nominibus sunt insigniti? vtpote ab Antonio, Bernhardo, Benedicto, Dominico, Francisco, Iesutypico. Sicut in fronte libri conformitatum S. Francisci cum Christo, hi habentur in sanguinem & meritum Christi blasphemi Rhitmi. *Ordines monastici.*

Francisce Iesu typice, dux normaque minorum:
Sedes nobis perpetue da regni cælorum.

Peregrinationes ad sepulchra & reliquias sanctorum.

Vbi in verbi Dei antiquitate vestigium vllum de peregrinatione ad sepulchra & reliquias sanctorum? Sexcenta id genus alia vestrarum, o Papicolæ, nouitatum monstra mussitando nunc transeo.

Vana & nugax prætensio.

Quod autem dicitis: Ecclesiam habere à suo sponso Christo potestatem dispensandi, ordinandi & mutandi quiduis in religione: nihil in eo quod ad veritatem faciat: Dicitis quidem sic, sed non probatis Würgen vnnd Morden könnet jhr wol / aber widerlegen könnet jhr nicht inquit Lutherus *Tom. 5.* German. Ienens. *folio 291. fac.*) Vnde elucescit & hoc pronunciatum vestrum laborare vitio nouitatis cuiusdam.

Nam hanc Ecclesiæ à Christo concessam potestatem, nũquam tu & nuspiam in totis sacræ scripturæ antiquis monumentis legeris vel inuenire potueris. Quin ergo accenditis cereos & lampadas, o Papicolæ, ipsimetque solliciti disquiritis in sacris literis pronunciati istius solidam apodixin: Et postea vbi inueneritis, monstratis vniuersæ Iesu Christi Ecclesiæ vt videat illa & credat se hac gloriatione vestra non decipi?

Potius contrarium legitur Ephes. 5. *versiculo* 24. Ecclesiam Christo esse subiectam: cumq; spōsa sit, certe dedecuerit eam mutare ea quæ sponsus, Filius Dei incarnatus, Dominus instituit, ordinauit & disposuit: Sed potius obediente aure audire ea, sequi, facere custodire & seruare eam fas est, sicut Psalmista regius de Ecclesia noui testamenti ex spiritu sancto cecinit Psalm. 44. *versicul.* 10. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus: Hunc Dei filium iubetur Ecclesia audire cœlitus delapsa voce à patre, *Matthæi 3. & 17. vers. 17. & 5.*

Alia ieiuna prætensio.

Quod autem prætenditis traditiones quibus hanc Ecclesiæ potestatem tueri anhelatis, explodendi estis Papicolæ & accusandi simul quod hic nouitibus laboretis: veritas Christi & scripturarum sanctior & antiquior est, quam frigidulæ illæ quam crepatis traditiunculæ, nouimus quod istas putridas traditiuncularum merces soleatis venum prostituere & impudenter iuxta eas vociferari, Christum innuisse has traditiones cum dixit Iohann. 16. *vers.* 12. Adhuc multa habeo vobis dicere, idem voluisse & Paulum 1. *Corinth.* 11. *versicul.* 34. his verbis: Cæterum cum venero disponam. Et Iohannem 2. Iohan. *versicul.* 12. Plura habens vobis, inquientem, scribere nolim per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos & os ad os loqui vt gaudium vestrum plenum sit. Nimirum ex his dictis scripturæ exstruere elaboratis, o Papicolæ, vestras traditiones vel quicquid Pa-

Traditiones Papisticæ.

pa &

pa & vestra Ecclesia decernit, statuit, mandat, & interposito Anathematis fulgure interminatur.

At vero & hic nouitatis accusandi & potius antiquitatis gladio rursus percutiendi estis Papicolæ. Nam audite quid ante exortum Antichristum & cunabula Monachorum & Iesucidarum veneranda antiquitas de hac sequela vestra nouitatem quandam contra vetustatem Apostolicam resipiente, senserit & iudicarit.

Beatissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus in Iohannem tractat. 27. sic contra vestra glossemata tonat: Omnes insipientissimi hæretici, inquiẽs, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sentẽtiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: adhuc multa habeo vobis dicere.

Traditionib. Papistarum contradicunt patres.

Audite antiquissimum Ecclesiæ Doctorem Tertullianum (qui Clementis Alexandrini σύγχρονος statim post S. Irenæ. Apostolorum auditorem vixit) sic autem is in libro de proscriptione contra hæreticos, contra vos: Eadem, inquit dementia confitentur Apostolos quidem nihil ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse: sed non omnia volunt illos omnibus reuelasse, sed quædam palam & vniuersis: quædam secreto & paucis demandasse: Obseruetur hic quod veneranda antiquitas hoc pronunciatum dementiæ accusauerit.

Sic nouatores Papicolæ vi consensus vetustatis abigi possunt de suis egelidis traditiunculis quas libenter nobis sub specie ac si veteris Ecclesiæ suffragiis respondeant, obtruderent.

Interim tamen largimur Pontificiis quandam vetustatem sed κατά τι, nimirum quatenus cum veteribus hæresiarchis quodam antiquitatis fuco sese præuelare in hunc vsque diem conantur. Sic sane damus iis quendam colorem vetustatis vel veterum (sed vitiosissimorum & hæreticorum morum, obstinatiæ & præfractæ ceruicosæque duricici) consuetudinum & morum.

Quæ sit vera antiquitas Papisticæ religionis.

Tertullianus etenim contra Marcionem scribens mentionem facit quorundam veterum hæreticorum qui magnam scripturæ sacræ partem reiecerint & alienas scripturas pro veris vsurpauerint. His vetustis hæreticis ad amussim hodie similes sunt, Papa, Papistæ, Monachi, Iesucidæ, hi ẽt sacras literas scripturarum infestissimo odio auersantur, & tremendis calumniarum & blasphemiarum sannis explodunt. Quod vel vnus Gretzerus in colloquio Ratisponensi satis probauerit, ne de aliis dicam: imo Papicolæ libros Apocryphos cum scripturis Canonicis commiscent, itidem contra voluntatem & consensum vetustæ Ecclesiæ Orthodoxorum patrum.

Reas-

Pseudo Euangelia Papistis cara. Reassumunt quoque, quæ in Papatu circumuolitant, alienas scripturas quæ non habent autoritatem canonis, antiquam: quales scripturæ sunt Euangelium Thomæ, Bartholomæi, Nicodemi & Petri. Cum tamen ex pia vetustate vberrime constet hæc Euangelia mox post exitum Apostolorum ab hæreticis & falsis doctoribus, sub falso Apostolorum nomine & titulo conficta & scripta fuisse quibus suas hæreses possent quadamtenus pingere & præuelare.

Ambrosius contra. Audiatur etenim quid D. Ambrosius his Papicolis inculcet in procœmio in Luc. Erant, inquiens, Pseudoprophetæ, &c. Erat autem populi gratia discernere Spiritus: vt cognosceret, quos referre deberet in numerum Prophetarum, quos autem, quasi bonus numularius reprobare: Sic & nunc in nouo testamento, multi Euangelia scribere conati sunt: quæ boni numularij non probauerunt. *Augustinus contra.* Audiatur etiam B. Augustinus contra Faustum lib. 22. cap. 8. Manichæi, inquit ibi, legunt scripturas Apocryphas, nescio à quibus sutoribus fabularum, sub nomine Apostolorum scriptas. *Eusebius contra.* Audiatur seorsim Eusebius lib. 6 cap. 12. de adulterino Euangelio sub Petri nomine, sic scribens: Nos Petrum & reliquos Apostolos, sicut Christum, recipimus: Sed pseudepigrapha (eorum nominibus adumbrata) reiicimus (ὑπαραιτούμεθα) veluti gnari eorum sensus & sententiæ, scientes quod talia non recipimus tradita ab Apostolis.

Tertullianus de hæreticis quibusdam antiquis quibus hodierni Papistæ simillimi. Rursus Papicolæ hodierni similes sunt vetustis hæreticis de quibus Tertullianus loco superius dicto scribit, quod non errores modo, sed etiam errorum portenta de Deo, de Christo, deque præcipuis Religionis Christianæ capitibus confinxerint: Ita hodierni Papicolæ istius hæreticæ antiquitatis vestigia solicite & præfracte scienterque calcant dum loco verbi Dei in religione inculcant humana somnia & commenta pro fidei articulis obtrudunt & idolatriam inuehunt.

Idem de alio genere hæreticorum antiquorum. Tertullianus porro in lib. de resurrectione carnis, & Irenæus *li.* 3. *capit.* 2. memoriæ produnt, veteres quosdam extitisse hæreticos, qui noluerint ex solis scripturis sua spectari dogmata, sed potius ex traditionibus non scriptis, quas ad Apostolos autores retulerint. O quam ouum vipetinum hic matri suæ est simile! Quid enim hodiernis hæreticis papicolis Romanensibus familiarius & sanctius est quam istorum vetustorum hæreticorum moribus sese conformare: dum non ex apertis scripturis sanctis, ceu ex limpidis sacrorum testimoniorum Israeliticis fontibus disputant, sed in turbida traditionum humanarum aqua piscari præcise volunt. Ad scripturas certe obsurduerunt Papicolæ: verum traditiones vbique & semper

illis bonæ ſunt, ſicut Bæta apud Suidam hyeme depellit ventos æſtate ſolem.

Sic author eſt Epiphanius *lib.1.hæreſ.38.* Caianos hæreticos de ineptiis ſuis omnibus non ex ſacra ſcriptura ſed traditione à Paulo, vt aiebant, accepta adſeueraſſe, id ſibi ſumentes, vt verba illa omnia ſecreta tenerent quæ in tertio cœlo audierat Paulus.

Caiani hæretici.

His vetuſtis hæreticis reuera ſimiles ſunt hodierni Papiſtæ & Ieſuiſtæ, etiamſi verbis idipſum negent, facta tamen eorum veritatem aſſertionis meæ palam euincunt.

Quare nemo fidat eis quotieſcunque hæ ranæ apocalypticæ ſubinde coaxant de ſua antiquitate. dum aiunt: Nullatenus diſcedimus à ſenſibus antiquitatis ſanctis Maioribus & Patribus noſtris. Habemus omnium pene ſacerdotum, pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque quas ſectamur. Inhæremus antiquitati quæ prorſus non poteſt iam ab vlla nouitatis fraude ſeduci, vt ſonant verba Ieſucidæ Petri Caniſii opere Catechiſt. fol.39.

Vana gloriatio Papiſtarum de ſua religionis antiquitate.

Certe ſi hæc intelligunt de antiquitate ſuperius dicta hæretica, largimur eis in ſolidum quod veritatem dicant: Si vero ſomniant ſe adhærere piæ & orthodoxæ Apoſtolorum & patrum Antiquitati: Profecto: ſpe ſemet titillant prorſus ſubuentanea & toto cœlo errant, ſimiles ſic vetuſto hæreſiarchæ Arrio, de quo Athanaſius oratione 2. contra Arrianos celebrata ſcribit, quod mendaciſſime de ſe quoque ſit gloriatus his verbis: Ex electis Dei ſecundum fidem, peritis Dei rectigradis, qui ſanctum Dei Spiritum acceperunt ego ita didici. Notet hic lector timens Dominum, quod Arrius potius ex traditionibus veterum hæreticorum patrum Spiritu Dei putatitio inflatis, & non ex ſacris literis hanc ſuam ſe ſuxiſſe hæreſin fatetur ipſe quam itidem Antiquitatis colore conueſtire voluerit: Sicut hodie Papiſtæ de ſuis ſuperſtitionibus & idololatria & falſis cultibus gannire ſolent: Maiores mei ita crediderunt; ſic & ego credere & in iſta fide mori volo.

Antiquitas hæretica.

Arrius olim quoque gloriatus fuit de ſua ſententia antiquitate.

Notetur etiam, quod Orthodoxam Antiquitatem Apoſtolicam & Patrum cum Papæ regno non fauere videtur apertè reiiciant Papiſtæ, ſicut Albertus Pighius in 1. controuerſ. palam dicit his verbis: Quod non ſolum incerta ſed etiam falſa ſit Auguſtini ſententia, ita mihi demonſtrari poſſe videtur. Et poſt iterum in concluſione: Quod Auguſtini ſententia, inquit, non ſolum incerta ſed etiam certo falſa ſit ſatis mihi demonſtratum videtur. Rurſus: Non multum me mouet Auguſtini ſententia, mihi non placet Auguſtini ea de re definitio & ſententia: Et iterum; Ego omnium non ſo-

Albertus Pigius reiicit B. Auguſtini Lutheriſantem.

Pulchre.

lum aduersariorum, sed etiam Catholicorum receptas in Scholis redarguo sententias.

Sic nimirum ludunt Papicolæ & Iesucidæ cum veneranda Antiquitate, iam eam vituperantes, rursus eandem collaudantes, vt saltem nemo de Papa Romano dubitet hunc antiquitate religionis satis solide niti. Si sanctæ antiquitatis testimoniis nonnihil stringantur, mox ad hæreticam aliam maiorum suorum, qui non minus quam ipsi hodierni in errorum superstitionum idololatrias & impiorum cultuum voragine natitarunt, vetustatē resiliunt: Et sic confuse promiscue & indistincte nihilominus suam iactitant religionis vetustatem, quemadmodum Dioscorus hæreticus vt doctrinæ suæ authoritatem acquireret, ab omni antiquorum in Ecclesia Patrum numero, propaginem eius deducere non erubuit. Nam in publico concilii Chalcedonensis congressu, Actione 1. pag. 767. sic impudentissime protestatus legitur: Ego testimonia habeo sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli in multis locis: Ego cum patribus eiicior: Ego defendo patrum dogmata, nec transgredior in aliquo. Et horum testimonia non simpliciter neque transitorie, sed in libris habeo.]

Dioscorus hæreticus iactans olim antiquitatē.

Carosus.

Ad eundem modum Carosus hæreticus Action. 4. Concilii Chalcedonensis pag. 877. Ego, inquit, secundum expositionem trecentorum decem & octo patrum (in concilio Niceno congregatorum.) sic credo, sic baptizatus sum.

Arriani.

Ita prænominati Arriani veterem scriptorem Origenem, Pelagiani, Augustinum citasse & laudasse leguntur apud Socratem *lib. 4. cap. 26.*

Pro conclusione ergo contra Papisticam de Antiquitate Antichristicæ illius religionis, gloriationem itemque contra traditiones, conciliorum & Maiorum vetusta decreta, decisiones, dogmata, regulas attendatur comminatio Apostolica Gal. 1. *v.* 8. Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis aliud Euangelium, præterquam quod ego euangelizaui vobis, anathema sit. Super hæc D. Chrysostomus sic ait: Non dixit Paulus (inquit Chrysostomus) si contraria annunciauerint aut totum Euangelium subuerterint, verum: si vel paulum Euangelizauerint præter Euangelium quod accepistis.

Archiapostolus grauiter contradicit Papicolis.
Chrysostom.

Augustinus.

B. Augustinus constanter & grauiter in libello de bono viduitatis *cap. 1.* Sancta scriptura, inquit, nostræ doctrinæ Regulam figit: ne audeamus plus sapere, quam oporteat sapere.

Chrysost.

Contra audacem & periculosam arrogantiam Papicolarum notetur etiam quod Chrysostomus in lib. de sancto & adorando spiritu sobrie & grauiter.

uiter suaserit: Si quid præter Euangelium nomine sancti Spiritus obtrudatur, non esse credendum. Augustin.

Et rursus Augustinus in Iohannem tract. 46. Sua, inquit, si docere velint, nolite audire, nolite facere. Et contra Faustum Manichæum *lib.* 30. *capit.* 18. Videtis ergo, inquit B. Augustinus, id nos agere, vt omnis de medio scripturarum authoritas auferatur & suus cuique animus autor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet: id est, vt non autoritati scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat: Non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi autoritate legetur, sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit.

Nimirum ex his animi turbidioris motibus & moribus in Papatu quoque factum est vt authoritate sacrarum scripturarum susque deque habita & fictitia erronea & confusa Antiquitate quadam recepta, simul reciperentur traditiones humanæ & mendaces recentibus sub proximis retro seculis à febricitantibus Monachis patribusq; Papisticis confictæ & errantium conciliorum decreta, scriniumque item Papæ Romanici euaserint fidei Romanæ mensura, norma, forma & regula, vere etenim scribit Hilarius *lib.* 9. de Trinitate. Qui quæ scripta sunt negas quid superest, nisi vt quæ non scripta sint probes. Hilarius.

Qui plura de nouitate cultuum, ceremoniarum, rituum superstitionum religionis Papisticæ quæ & ipsa multis in partibus noua est, cognoscere gestit, inspiciat speculum Pontificum Stephani Szegedini pag. 155. vbi tota & bene longa farrago nouitatum Papisticarum recensetur & quidem cum adsignatione temporis & inuentorum secundum seriem Alphabeti. Huc sistant Romanenses pedem & in speculo isto nouitatem suæ religionis, quam (verius, quam olim orthodoxam patrum) νέαν κ̓ ξένην nuncupaueris contemplentur, & si possibile sit, abstergant. Szegedinus.

SECTIO DECIMA NONA.

De sacra & solida Antiquitate doctrinæ Euangelicæ, quam nostro seculo è tenebris in lucem reproduxit R. Pater D. Martinus Lutherus.

Iesuitæ in Polonia. IESVCIDÆ Posnanienses in assertione thesium suarum de Ecclesia olim iam propositarum manifeste scriptitant Thes. 29. in hæc verba. Nam & tẽpus, & locum vbi orta sit Ecclesia (Lutherica) quis ei restiterit, & quis eam dānarit, ostendere possumus. Cœpit. n. Lutherus hæreses suas promulgare Anno 1517. VVitebergæ, qui subito vt exortus est, à Leone condemnatur, ab Eccio, Cochlæo, Roffensi, aliisque confutatus fuit &c.

1517 Annus iste Papistis luctuosus. Obseruetur ab Adsertoribus istis peculiariter notari annum Christi 1517. quo cœperit religio: Nimirum iste annus est vnguis spina vel clauus in oculorum Iesuisticorum, Papisticorum & Antichristicorum hirquis: imo luctuosus & perpetuum nigro lapillo notandus toti regno Romanæ Thaidis: siquidem isto anno cœperunt pudenda & fœtida Antichristi errorum tyrannidis, superstitionum & seductionum monstra è suis terrificis tenebrarum specubus in lucem protrahi ad omnium Papistarum ignominiæ ac dedecoris sempiternam & indelebilem memoriam: vt iste annus vere à parte Romanæ Bestiæ & eius complicum ἀρχῆς κακῆς, τέλος κακὸν dici mereatur.

Annus memorabilis. Si Lector Christiane, tentes pugnas sacras istius anni inchoatas ἀπ' ἑστίας, quod dicitur ὀρφῶν: vere dixeris: certatum fuisse non de oleastro vel saltu pulicis, sed de anima Papæ cui tum vulnus infligi cœpit, quod per Amphictyonicum illum conciliabuli Tridentini congressum sane sanare hodie libenter vellent quidem, sed in æternum non poterunt Iesuitæ & satellites Pontificii. Anno, inquam, isto ad tubam Euangelii Rhadamanteum Antichristi solium contremuit, vt ad memoriam sacrosanctarum scripturarum adhuc Iesuitæ, Monachi, similesque caballi Papistici palpitent & paueant ac si quis ἐμβεβροντημένος eos ad Argi cuiusdam tumulum obtorto collo pertrahat. Memoria hic te subeat Lector in Christo dilecte versiculi quem Apollinarius in Metaphrasi Psal. 18. ponit.

φωνὴ θεσπεσίη περιμήκεας ἔθλασε κέδρους
Ἀθάνατος κέδρους βριαρὰς λιβάνοιο κεάσσοι.
Comminuit cedros diuinus sermo proceras
Ille cedros Libani validas confregerit vnus.

Æternus

Æternus Deus tunc misertus est populi sui, qui & Ecclesiolam suam per tot secula sub horribili Pontificum tyrannide pressam & ferme tabescentem voluit misericorditer liberare & in lucem & gloriam saluifici sui verbi postliminio vindicare: Accinuerunt Angeli & pii lætum pæana his fatalibus verbis hymnisonis:

tIbI CherVbIn & seraphIn InCessabILI VoCe proCLamant.

ac si præ inflammato Zelo & Nemesi Papam filium perditionis & sanctorum interfectorem contra despuerent & vno ore aduersus eundem fulminarent, & fulgurarent:

Lusisti satis, edisti satis atque bibisti. Horat. Epist.11 *lib*.4. Hast eins genug: die Schuch nun herab vnd zur Helle zum Teuffel hinzu / etc. Verba senioris Matthesii.

Nimirum inde est quod Posnanienses adsertores anno prædicto sic vsque irascantur; sed bene se res habet: Piæ mentes nihil mouentur per latratus vultuosorum istorum sociorum: sunt enim illi qui dapalibus Papæ epulis & adiicialibus cœnis adsident: proinde stomachantur, cum subit illius tristissima imago diei, &c. *Ira Papistarum habet graues causas: Deß Brot ich esse / deß Wort ich sprecbe.*

Anno ante natum Christum 1517. populum afflictissimum Israeliticum (Ecclesiam veteris testamenti) per mare rubrum ex seruitute Ægyptiaca gloriosissime eductam esse. Anno vero itidem 1517. post natum Christum afflictissimam Ecclesiam noui testamenti ex Pharaonis Romani plusquam Ægypticis & cimmeriis tenebris, seruitute, dolis & tyrannide liberatum fuisse, videto calculum Abrahæ Buchholceri, in Chronologico eiusdem indice. *Cabalisticũ mysterium.*

Cæterum quod Posnanienses adsertiunculæ autumant Anno isto primum cœpisse nostram Euangelicam, quam Luthericam nominitare adsolent Papistæ, in eo multum fallunt & falluntur. Non enim tum nostra Ecclesia primum nata est, sed eo demum anno è tenebris Antichristi eluctata est, & caput extulit in liberiores auras: Sicut in Ægypto per multos annos Ecclesia fuit sub tyrannide Pharaonis & non tum tandem nata fuit quando in citeriorem maris rubri ripam contendit: Hæc sequela Posnaniensis ergo valde friuola est. Et licet Lutherus eo tempore solus fuerit qui cœperit contra Antichristum instar angelicæ tubæ clangere & erectis apertisque signis cum filio isto perditionis congredi: Non tamen sequitur [illegible]llos præter & ante ipsum fuisse sub terribili incubatione tenebrarum Pa- *Posnaniensiũ Esauuitarũ Calculus Valde errat.* *Num omnes sub Papatu dãnati sint?*

Negatur. pisticarum, qui Christum vere dilexerint & in simplicitate fidei recte & sancte ambulauerint: Sicut enim ante missionem Moysis filii Israel per annos complures altissime sub tantis pressuris ad Deum suspirasse & liberationem exspectasse leguntur.

Infantes. *Laici simplices.* *Martyres.* Ita sub Papatu fatemur ingenue plurimos extitisse veros Christianos, vtpote infantes, in simplicitate ætatis & fidei extinctos, itemque Laicos infinitos, qui & ipsi fide aspicientes in horula mortis Christum crucifixum beate & placide mortui sunt, similiter plurimos Martyres, in quorũ sanguine suas Papa cruentauit manus quod Pontificiæ tyrannidi palam obloquerentur: vt hi veri & genuini fuerunt Ecclesiæ vere Catholicæ professores membra & γνησίως θεολογύντων socii & collegæ fidelissimi, quorum animas subtus altare vidit Iohannes, nimirum propter verbum & propter testimonium interfectorum & clamantium voce magna dicentium: Vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum? Apoc. 6. *vers.* 9.

Complexio. Proinde imperitos Chronologos fuisse necessum est istos Posnanienses Adsertores, qui stricte initium nostræ Euangelicæ Ecclesiæ, quæ Papæ tyrannidem improbarunt Anno Christi 1517. admetiuntur, & non perpendunt multos esse potuisse sub Papatu qui essent membra veræ Ecclesiæ & fideles Christiani, licet ipse Pontifex cum suis non esset Ecclesia: Nonne olim tempore Achab cum omnia in profundissimum idolomanias gentilis Euripum absorpta viderentur, dereliquit sibi Deus septem millia virorum quorum genua non fuerant coram Baal incuruata. 1. Regum 10. *versiculo* 18.

Multi in Papatu ante Lutherum Lutherani.

Sic, qui factum fuerit vt peculiariter Anno Christi 1517. nata fuerit Ecclesia Euangelica, quæ Papæ sese opposuerit vel à Papa defecerit? Possuntne sibi Posnanienses & reliquus Iesuitarum manipulus in mentem reuocare, quid antegressis seculis de Papa Romanensi senserint augustissimi Imperatores, Friderici, Henrici: Ludouicus Bauarus vel quartus Rudolphus Habespurgius aliique Cæsarei Heroes? Quid item Galliarum Rex Philippus Pulcher, quid Alphonsus Arragoniæ Rex: quid Episcopi religiosissimi, Eberhardus Salisburgensis, nec non Coloniensis & Treuirensis, qui Nicolai Papæ conatibus impiis cordate restiterunt: quid itemque de hoc impietatis regno & diuersis in eo erroribus Marsilius Patauinus, quid Franciscus Petrarcha, quid Baptista Mantuanus, quid Diuus Bernhardus, quid Laurentius Valla, quid M. Iohannes de Vesalia, quid tota VValdensium Ecclesia, quid Hieronymus Sauonarola, quid Iohannes Gerson & Iohannes Cæsaremontanus, Georgius Heimburgius: quid denique celeberrimus

Multi Imperatores ante & post Lutherũ fuerunt Lutherani: ita alii viri Principes viriquepii & docti.

rimus

rimus ille confessor Iohannes Hussius & sanctus eius socius Hieronymus Pragensis: quid Bohemi, quid Orientales Ecclesiæ & aliæ multæ per tot retro secula, de Papa eiusque Tyrannico dominatu peruersaque doctrina senserint, scripserint, ac dixerint.

Sic non tum primo nata fuit Ecclesia nostra Euangelica cum anno Christi 1517. vir Dei, Lutherus inciperet palam contra solium Romanense fulgurare: sed tum liberiorem saltem vocem Ecclesia cœpit mittere: nec noua religio tum inuecta est, sed veterem adeoque primam Euangelicæ veritatis doctrinam Lutherus cum tota vera Ecclesia confessus est, non aliter ac si vir iste Dei & angelus Domini classicum aduersus tantam Apostasiam Antichristi intenderet ac clangores tubæ Euangelicæ sustolleret ad ambulandum in viis antiquis & relinquendum nouitates Antichristicas. Quæ res & conatus sub adiutorio altissimi felicissime successit: Hic enim diuinitus ad tantum opus excitatus heros, nullis viribus humanis nec vlla potentia humana, sed sola scriptura sacra Prophetarum & Apostolorum (vera solida sancta & orthodoxa antiquitate) nixus Romani Pontificis horrendam idololatriam, multiplicem tyrannidem, Magiam verboque Dei damnatos cultus, patefecit, conuicit, debellauit, prostrauit, euertit atque in multorum millium summorum & aliorum omnis generis hominum animis, radicitus extirpauit, noua ista sub proximis seculis conficta & inuecta, commenta fabulas, & Satanæ excrementa, vtpote missam, horrendam Cœnæ Dominicæ deprauationem, mortuorum hominum inuocationem, nundinationes indulgentiarum peregrinationes ad loca remota, pro expiatione peccatorum, Monasticam vitam impiam & superstitiosam, coniugii & ciborum prohibitionem diabolicam, & insuper quod maximum est errores in doctrina Pontificia innumeros detexit, verboque Dei conuicit & refutauit.

Lutheri doctrina vetus & genuina Apostolica.

Lutherus inuicte progressus.

Sic nimirum ad Christi præcepta & antiqua instituta Apostolica abstersis omnibus nouis commentis & nugis Lutherus Ecclesiam Christi reducere, quantum in ipso per Dei gratiam fuit, voluit, sic habemus in hunc vsque diem in nostris Ecclesiis per summam Dei misericordiam ac veros cultus diuinos, religionem Apostolicam, vera & non mutilata sed integra sacramenta à Christo & Apostolis tradita & deinceps per Orthodoxos patres fideliter conseruata testimoniis eorundem munita & nunc in lucem & sanctam Ecclesiæ praxin restituta.

Hanc veram & sanctam antiquitatem si nobiscum o Papicolæ, agnosceretis & veneraremini omnes dissensiones ilico forent sopitæ ac sublatæ, & pax ac concordia summa sancita esset in Ecclesia. Quamdiu autem hanc

Deo-

Deo gloriam dare recuſatis, tamdiu etiam fallimini quotieſcunque vobis imaginamini, vos conſentire cum ſancta antiquitate, & nullam inter Eccleſiam Romanam & Apoſtolicam fuiſſe & eſſe diſtinctionem. Longiſſime ſic certe erratis decipitis & decipimini. Tantum enim intereſt diſcrimen quantum inter diem & noctem lucem & tenebras, Chriſtum & Antichriſtum, qui in templo Dei ſedit & ſeſe extulit ſuper omne quod eſt Numen: quod facile probari poſſet inſtituta antitheſi inter Chriſtum & Antichriſtum Romanum Pontificem, cum quod ad doctrinam vtriuſque, tum etiam quod ad vitam, mores, inſtituta, cultus, Sacramenta, preces, pompam, &c. In his profecto tantum diſcrimen apparet omnibus, quantum inter Chriſtum & Belial, qui nunquam conciliari poterunt.

Romaniſta errant circa veterem & nouam hanc Romanam Eccleſiam.

Præmemoratam autem religionis noſtræ antiquitatem non ſolum in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, fundatam eſſe nouimus, & plus millies à ſinceris noſtris Theologis Doctoribus è verbo Dei per omnis generis ſcripta didactica & polemica, conciones & diſputationes priuatas & publicas, concilia, ſynodos, & ſolennia cum aduerſariis Pontificiis inſtituta colloquia clariſſime & irrefragabiliter ad oculos demonſtratum eſt: Sed inſuper conſtanter & ſancte gloriamur de noſtræ & antiquæ orthodoxæ vetuſtatis conſenſu qui multoties in noſtrorũ clariſſimorum aliquot Theologorum & præceptorum ſcriptis hactenus quoque euidentiſſime demonſtratus fuit, modo Papiſtæ eſſent ſanabiles & verbo Dei herbam abiectaque haſta & datis manibus Deum victorem agnoſcere vellent.

Papiſta Deo nõiunt cedere.

Inprimis piæ vetuſtatis conſenſum cum noſtra religione & cultibus omnium ſolidiſſime euicit magnus ille Theologorum coryphæus Martinus Chemnitius in examine Concilii Tridentini, quod volumen totum meris antiquitatis orthodoxæ veſtigiis ſcatet & rutilat: E quo ſimul patet turpis Eccleſiarum Pontificiarum apoſtaſia & diſceſſio ab antiquitate vere Catholica & ſancta. Contra Chemnitii iſtum ſanctum laborem & ſtudium nihil ſolidi hactenus in medium attuliſtis o Papicolæ? Cur ergo non agnoſcitis veritati deberi pilam? Cur Chriſtus non ferat palmam? Cur, o viri, non tollitis digitum & victos vos fatemini datiſque Deo gloriam? Papa vos non ſaluabit, ipſemet ni Chriſto ſeſe dedat in ſempiternos gehennæ ignes certe proiiciendus, verbo Dei fracti ſunt illius nerui, &c.

Martinus Chemnitius Papa examinator.

Ne tamen & hic loco meo deſim opponam huc euidentiſſima teſtimonia vetuſtorum & religioſorum Patrum Eccleſiæ, qui vixerunt per proxima aliquot ſecula ab exitu Apoſtolorum, vt videat beneuolus Lector D.D. Martinum Lutherum nihil aliud contra pudendum Antichriſti Papatum & falſos cultus, docuiſſe & inculcaſſe, niſi quod olim ſanctiſſimi Eccleſiæ

Patres publice docuerunt, sonuerunt & scripserunt: Sic enim cum venerabili & orthodoxa antiquitate consensus & religionis nostræ per Lutherum diuinitus ad id excitatum reformatæ vetustas & sancta integritas papicolis eo fortius sub oculos & frontes fulgurauerit.

PRIMVS CONSENSVS DE S. Scriptura.

PRIMVS consensus circa authoritatem & sufficientiam sacrosanctæ scripturæ Propheticæ & Apostolicæ obseruandus est. Papistæ accusant sacram scripturam obscuritatis, imperfectitudinis mutitatis, & eandem subiiciunt patribus, comitiis Ecclesiæ, traditionibus & decretis Pontificis Romani, adeo vt peiruptis omnibus verecundiæ vinculis, Albertus Pighius Hierarch. 1. cap. 2 scriptitare non reueritus sit: Apostoli quædam scripserunt, non vt scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed potius vt subessent. Iohannis item Mariæ Verrati Ferrariensis Carmelitæ cuius scripta Anno Christi 1561. edita sunt, est illud: Determinatio Ecclesiæ est Euangelium.

De S. Scriptura authoritate.

Satanica impietas in scriptura S. oracula Pighij & Maria Verrati.

In proximo etiam colloquio Ratisponensi Anno Christi 1601. habito Iesuicidæ nonnihil à D. D. Hunnio compressi: tetrum istum intempesti stomachi halitum proructarunt, scripturam non esse iudicem totalem controuersiarum Theologicarum: Spiritum sanctum non posse per scripturas loqui, Papam potius Romanum Clementem octauum esse supremum fidei & controuersiarum iudicem: sicut infamem hanc vocem potissimum Iacobus Grætzerus in æternam nominis sui contumeliam coram illustri, magnifico & claro auditorio effutiuit, &c.

Gretzer, Tanner, Hunger.

Lutherus & eius sectatores contra statuunt quod in omnibus iis quæ homini ad salutem animæ æternam credere & scire necessaria sunt, Verbum Dei vel scriptura sacra, nulla obscuritate & imperfectitudine laboret nec ex parte saltem in controuersiis Theologicis, sed ex toto iudex sit: quod itemque Laicis æque ac doctis patere lectio sacrarum literarum per omnia debeat.

Lutherus & eius sectatores honorant scripturas.

Hic pius Lector quieto animo percipiat iudicium quod veneranda & sancta Antiquitas interponit, vt nouerit à parte D. D. Lutheri & nostræ religionis reformatæ consensum Antiquitatis orthodoxæ consistere in solidum.

Antiquitas Lutherisat.

S. Irenæus Martyr, (qui vixit circa annum Christum 180. Sancti Poly- *Irenæus.*

carpi discipulus, Egesippi & Iustini martyris coætaneus lib. 3. capit. 1. Apostoli, inquit, id Euangelium quod præconiauerunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ.

Idem lib. 2. cap. 46. Vniuersæ scripturæ & Propheticæ & Apostolicæ in aperto sunt, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possunt.

Et capit. 47. ibid. Habemus regulam ipsam veritatem & in apertum positum de Deo testimonium. Si omnium quæ in scripturis requiruntur absolutiones non possumus inuenire: credere tamen hæc talia debemus Deo, rectissime scientes, quia scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & spiritu eius dictæ.

Constantin. Magnus. Diuus Constantinus Magnus Imperator optimus maximus cum in Concilio Niceno Bithyniæ Anno Christi 330. contra Arrianos celebrato, Episcopos istic magno numero congregatos, qua potissimum ratione controuersias diiudicare & quicquid esset litium componere possent moneret, sic eos affatus est: Euangelicæ & Apostolicæ literæ, & veterum Prophetarum oracula perspicue nos instituunt quid oporteat sapere de voluntate & sensu Dei. Ponentes ergo contentionem, ex diuinitus inspiratis oraculis quæramus solutionem eorum quæ proponuntur. Theodoret. lib. 5. cap. 7. Tripartit. Histor. lib. 2. cap. 5.

Socrates. Socrates natione Græcus scriptor Historiæ Ecclesiasticæ à tẽpore Constantini Magni, vsque ad imperium Theodosii iunioris coætaneus B. Augustini & Cyrilli sub Honorio & Theodosio iuniore Imperatoribus lib. 5. capit. 6. ita de Arrianis Hæreticis scribit: ϗ ἀναπλίξαν τινὰς θείας γεγραφὰς πολλάκις ἀνετρέψαμεν αὐτοῦς, hoc est: Explicantes sacrosanctas scripturas sæpe illos euertimus.

Athanasius. D. Athanasius antiquior S. Hilario Pictauorum Episcopo, tempore Cõcilii Niceni sub Constantino Magno Imp. clarus Orat. contra Idola. f. 1. Sufficiunt, inquit, per se sacræ & diuinitus inspiratæ scripturæ ad omnem veritatis instructionem.

Idem ad Serapionem Antiochenum (qui fauebat Macedonianis adserentibus in Concilio Constantinopolitano 1. sub Damaso Episcopo Romano Spiritum sanctum esse creaturam) ita scribit: Ne interroges, sed solum ex sacris literis condiscas: sufficiunt enim documenta quæ in iis reperias.

Idem lib. 2. contr. Arrianos p. 127. Hæretici lapidandi sunt sacrarum literarum argumentis.

Quantus autem vir fuerit Athanasius iste, & quantum in religione illius iudicio

iudicio tribuendum sit, ostendit Damascenus in oratione de defunctis his verbis: Ille insuper & vita & doctrina clarus, Ecclesiæq; Dei lumen, Magnus Athanasius.

Origenes antiquissimus Ecclesiæ Doctor coætaneus Clementis Alexandrini, sub Imperatore Seuero tempore Tatianorū Encratitarum & Helchisitarum circa annum Christi 200 clarus lib. 10. in 16. cap. ad Romanos. Vide, inquit, quam prope periculis illi sint qui negligunt in diuinis literis exerceri, ex quibus solis examinationis huiusmodi agnoscenda discretio est. *Origenes.*

Rursus idem in Hieremiam Homil. 1. Necesse nobis est, inquit, in testimonium vocare sanctas scripturas: sensus quippe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem.

S. Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus in Thracia Epiphanii & B. Hieronymi coætaneus sub Gratiano & Theodosio 1. Imperatoribus Anno Christi 360. clarus Tom. 1. Homil. 4. de Lazaro. Grauior, inquit, est scripturarum & Prophetarum doctrina, quam si quid à mortuis resuscitati renuncient: Quisquis. n. mortuus est, seruus est quæ vero scripturæ loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reuiuiscat, etiam si angelus de cœlo descendat, maxime omnium credendum est scripturis. *Chrysostom.*

Idem in Ioh. Hom. 35. Tom. 3. In diuinis scripturis, ait, ne vnum iota aut vnus apex, sed ne dimidium quidem prætermittendum est: sed omnia diligenter sunt inuestiganda.

Nam à spiritu sancto omnia proueniunt: neque in his quidquam superfluum: Et nihil non necessarium.

Idem in opere imperf. Homil. 49. Etiamsi in ipsis, inquit, veris Ecclesiis, quæ Dei sunt, dixerint, Christum apparuisse, nolite iis credere dicentibus ista de me: Non enim digna est diuinitatis meæ ista notitia: Ostendens per hæc, quod ab ipsis sæpe veris Ecclesiis exeunt seductores: propterea ne ipsis quidem credendum est, nisi ea vel dicant, vel faciant quæ conuenientia sunt scripturis.

B. Augustinus Episcopus Africanus Hipponensis circa annum Christi 390. in toto Christiano orbe clarus (quem venerabilis Beda in Chronico suo vocat: Omnium Ecclesiarum eximium Doctorem: D. Bernhardus vero nominat eundem validissimum hæreticorum malleum, & Cassiodorus in Prologo Psalterii scribit de eodem, quod sit cautissimus disputator, decurrat quippe tanquam fons purissimus, nul- *Augustin.*

la fœce pollutus: ſed in integritate fidei perſeuerans neſciat hæreticis locum dare: Totus Catholicus, totus Orthodoxus inueniatur, in Eccleſia Domini ſuauiſſimo reſplendens nitore, ſuperni luminis claritate radians, &c) Cum contra Arrianos diſputaret *lib.*3. Contra Maximinum Arianum Epiſcopum *cap.*4. ſtricte ad iudicium ſacræ ſcripturæ prouocauit, his verbis: Nec ego Nicenam ſynodum tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes obiicere, ſcripturarum authoritatibus, res cum re, ratio cum ratione concertet.

Idem Tom.7.*l.*2.de concupiſc. Iſta, inquit, controuerſia (Pelagiana) iudicem quærit. Iudicet igitur Chriſtus, & cui rei mors eius profecerit, ipſe dicat. Hic eſt, inquit ſanguis meus, qui pro multis, &c. Iudicet cum illo & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus, &c.

Idem de Vnitate Eccleſ. In actibus & literis Apoſtolorum diuinarum ſcripturarum Canon computetur.

Idem lib.2. de Bapt. contra Donatiſt. Tom.2. Quis neſciat, inquit Auguſtinus, ſanctam ſcripturam Canonicam, tam veteris quam Noui teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino diſputari & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Epiſcoporum autem literas, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcripta ſunt, vel ſcribuntur licere reprehendi, ſi quid in eis forte à veritate deuiatum eſt: Et ipſa concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum autoritati cedere: ipſaque plenaria ſæpe priora, poſterioribus emendari.

Idem Tom.6. Contra Fauſtum Manich. lib. 11. capit. 5. Excellentia Canonicæ authoritatis Veteris & Noui teſtamenti tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius intellectus.

Idem B. Auguſtinus lib.2. Contra Creſconium: Non ſine cauſa, inquit, tam ſalubri vigilantia CANON Eccleſiaſticus conſtitutus, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non audemus: Et ſecundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris iudicamus, ſequitur.

Idem Tom.2. Epiſt. 3. ad Voluſianum: Modus, inquit, ipſe docendi quo S. ſcriptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamuis pauciſſimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum.

Idem quaſi breuiter & definite ſemel pro ſemper conſtituit in libro de

natura

natura & gratia cap. 61. Sic solis inquit B. Augustinus, Canonicis scripturis sine vlla recusatione consensum debeo.

Rursum B. Augustinus Ep. 16. ad Hieron. Tom. 2. Ego solis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.

Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores Canonicos: vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Idem in Tract. 2. in 1. Ioh. Deus contra insidiosos errores firmamentum in sacris scripturis posuit.

S. Hieronymus vir propter fidem dotemque virtutum commendabilis, Latine Græce & Hebraice doctissimus, vt Seuerus Sulpitius lib. 3. de virtutibus orientaliū Monachorum eum nominat, circa annum Christi 360. clarus in Matth. 23. Tom. 9. Quod, inquit, de scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Et super versum 7. capitis 13. Esa. Hæretici, inquit, interficiendi sunt sagittis scripturæ sacræ. *Hieronym.*

Chrysostomus homil. 13 in Gen. Tom. 5. Oro, ait, vt omnibus illis præclusis auribus ad amussim Canonem sacræ scripturæ sequamur. *Chrysostom.*

SECVNDVS CONSENSVS CIRCA authoritatem Patrum Ecclesiæ veterum, Conciliorum & traditionum.

PONTIFICII exæquant nonnunquam Concilia & patrum sententias Sacrosanctis scripturis Propheticis & Apostolicis quorum traditionibus & decretis salus hominum etiam sit alligata: affectant ita dominium in rebus spiritualibus fundatum & nixum humanarum traditionum autoritate. Citant pro se etiam concilium Constantinopolitanum secundum, tempore Nestorii Episcopi & Theodosii Augusti celebratum, in quo de consilio Sisinii controuersiæ & scripturarum explicationes secundum Patres qui superioribus temporibus vixissent, iudicatæ sint. Nicolai Cusani etiam illud est ad Boemos Epist. 2. Sequuntur scripturæ Ecclesiam, & non è conuerso. Nos qui à Papa & Babylone discessimus prorsus contrarium statuimus, idque cum magno piæ vetustatis suffragio & consensu. *Cusani hæretica vox.*

Equidem honorem debitum,& quidem eum ipsum sanctis Patribus deferimus, quem ipsi agnoscunt & sibi tribui volunt.

Augustin. Sic autem scribit Augustinus Epist. 111. ad Fortunat. Neque enim quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in illorum scriptis improbare atq; respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum. Et iterum Epistola proxime sequenti 112. Nolo authoritatem meam sequaris, vt ideo putes, aliquid tibi necesse esse credere, quoniam à me dicitur, sed scripturis Canonicis credas. Ibidem: Sed si diuinarum scripturarum, earum scilicet, quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur authoritate, sine vlla dubitatione credendum est. Aliis vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse persuadetur, tibi credere liceat, quantum meriti ea admonentem ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpenderis.

Item contra Crescent. Grammaticum lib. 2. cap. 32. Ego huius (Cypriani) authoritate non teneor, quia literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero: Et quod in eis scripturarum diuinarum authoritati congruit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Et post aliqua: Quapropter Cypriani hoc non accipio quamuis incomparabiliter inferior Cypriano, sed illud Petri Apostoli, quod gentes Iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis inferior incomparabiliter Petro.

Sic in Concilio Constantinopolitano attendendum est nō quid sed qualiter actum sit: salubrius & tutius fecissent Sisinius, Theodosius & reliqui si secundum scripturas examinassent controuersias: Dum vero ad Patrū prouocarunt iudicia similes facti sunt Arianis de quibus Socrates scribit lib. 4. cap. 26. quod iactare soliti sint se legisse libros Origenis, quos & citarint in testimonium sui dogmatis. Et commemorat B. Augustinus Cresconium hæreticum Donatianum, attulisse autoritatem Cypriani. August. contra Cresc. lib. 4. cap. 17.

Rursus B. Augustinus contra tales mores audiatur lib. 3. cap. 6. contra literas Petiliani: Siue de Christo, inquit ibi, siue de eius Ecclesia siue de quacunque re alia, quæ pertinet ad fidem vitam nostram, non dicam si nos, sed si Angelus de cœlo annunciauerit nouum, præterquā quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit, Gal. 1. v. 8.

Idem de vnitate Ecclesiæ contra Petilianum eundem cap.3. Auferantur, inquit, de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris sed aliunde recitamus. Quæret fortasse aliquis, cur vis ista auferri de medio, quia nolo humanis documentis sed diuinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari.

Idem inuehitur in Donatistas Psal.57. Auferantur, inquiens, de medio chartæ nostræ: Procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem.

Atque iterum Epist.48. Audi dicit Dominus: Non dicit: Donatus aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambrosius, aut Augustinus: sed: dicit Dominus.

D. Ambrosius de incarnation. Dom. Sacram. cap.5.

Nolo, inquit, nobis credatur, scriptura recitetur. Non ego dico à me, In principio erat verbum, sed audio: Non ego effingo, sed lego.

Cyprianus vetustissimus Episcopus & Martyr, coætaneus sancti Hippolyti Portuensis Episcopi, S. Georgii Neocæsariensis & Dionysii Alexandrini, circa annum Christi 240. sub Imperatore Alexandro Seuero (Beatus Augustinus hunc Cyprianum vocat Doctorem suauissimum, Martyrem beatissimum, præclarissimum & gloriosissimum testem li.2. de doctr. Christian. cap.40. & lib.1. contra Iulianum cap 8.) Epist. ad Pompeium contra Epist. Stephani f.227. Quæ est ista, inquit, obstinatio, quæve præsumptio humanam traditionem diuinæ dispositioni anteponere, nec animaduertere, indignari & irasci Deum, quoties diuina præcepta soluit humana traditio? Cyprianus

Ibidem folio 229. Si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus: Sic ergo oportet facere Dei sacerdotes præcepta diuina seruantes, vt si in aliquo mutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam, atq; Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit.

Rursus audiatur D. Augustinus Epist.119. ad Ianuarium Carthagine tandem martyrio coronatum, sic scribens. Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus plena sunt omnia, vt grauius corripiatur, qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quam, qui mentem violentia sepelierit. Omnia itaque talia, &c. vbi facultas tribuitur sine vlla dubitatione resecanda existimo.

Idem de ouibus cap.14. Oues meæ vocem meam audiunt & sequuntur me. Auferantur ergo chartæ humanæ & sonent voces diuinæ.

Cæterum

Cæterum de Papa legitimo Concilio subiiciendo, itemque verbo Dei disseruit præclare olim Iohannes Gerson vt Iohan. Schleidanus habet lib. 1. pag. 8. a.

Audiatur de hoc monstro Doctor mellifluus Epist. 125. Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias & bellum gerere cum sanctis, Petri cathedram occupat tanquam Leo paratus ad prædam.

Maximum quoque prosilit ilico absurditatum Chaos, si Papa reputetur pro Magistro fidei, qui verbo Dei exæquandus sit: Sicut olim beatus Gregorius Magnus præsentiscens cum pio zelo abominatus fuit lib. 4. Epist. 38. ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum. Tu, inquit, quid Christo vniuersalis Ecclesiæ capiti in extremi iudicii responsurus es examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere? Et ibidem Epist. 39. In isto scelesto vocabulo consentire nihil aliud, quam FIDEM PERDERE.

Vides ergo, Charissime Lector, quod veneranda Antiquitas religionis Christianæ sanctitatem non in Papæ, Patrum, Conciliorum, traditionum & decretorum humanitus inuentorum arbitrio, sed in solis sacrosanctis scripturis fundauerit, qua in re Lutherus cum dicta veneranda antiquitate examussim consentit.

TERTIVS CONSENSVS PIÆ ANtiquitatis & Lutheri de concupiscentia & labe originali.

PAPISTÆ autumant & ἐνισχυρῶς vrgent, quod concupiscentia in renatis & fidelibus post baptismum vel conuersionem remanens, sit tantum fomes ad peccatum incitans, facile concipiens, & quasi primus saltem motus: Nullo modo autem peccatum ipsum, nec enim rationem peccati habeat: Vehementer extenuant ita peccati originalis malum. Sicut patres Tridentini toruum de subselliis conciliabuli prospectantes, manifeste idem buccinant, hanc concupiscentiam, aientes, quam Apostolus aliquando appellat peccatum, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, Anathema sit. Concil. Trident. session. 5.

Lutherus & sectatores eius contra docent, concupiscentiam ipsam & primos eius motus in Renatis esse proprie peccatum, imo perpetuam Na-

turæ humanæ corruptionem, horribilem ἀταξίαν & inordinatum impetum, qui ſubinde ruit contra legem Dei.

Hic piæ vetuſtatis conſenſus diſſentit à Papa & conſentit cum Luthero manifeſte ſecundum doctrinam Apoſtoli concupiſcentiæ peccatum in ſe acerbe lugentis Video, inquientis, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et rurſus: Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. verſ. 23. & 24.

D. Ambroſius. Circa annum Chriſti 350. tempore Baſilii magni & Gregorii Nazianzeni clarus (Homo Dei Catholicus & Catholicæ veritatis aduerſus hæreticos vſque ad periculum ſanguinis defenſor acerrimus, vt Auguſtinus eum nominat lib. 2. contra Iulianum cap. 9. Et à Caſſiodoro lib. de diuinis lectionibus cap. 20. vocatur ſanctus lactei ſermonis emanator, cum grauitate acutus, peruiolenta perſuaſione dulciſſimus) lib. 10. Ep. 82. ſic Luthero ſuffragatur. Non inuenitur, inquiens, in vllo hominum tanta concordia (inter carnem & ſpiritum) vt legi mentis, lex (concupiſcentia) quæ membris inſita eſt, non repugnet, propter quod ex omnium ſanctorum perſona accipitur, quod Iohannes Apoſtolus, ait, ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. *Ambroſius.*

Auguſtinus etiam ſuum hic adiicit calculum lib. 1. de Nupt. & concupiſ. cap. 25. Dimittitur, inquiens, in Baptiſmo concupiſcentia carnis, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen, donec ſanetur omnis infirmitas noſtra. Sicut ergo peccata alia prætereunt actu: reatu manent: ita è contrario concupiſcentia manet actu, præterit reatu. *Auguſtin.*

Idem contra Iul. Pelag. lib. 2. Paulus, qui ſecundum interiorem hominem condelectabatur legi Dei, videbat autem aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, &c.

Quid? Num Paulus Apoſtolus non erat baptizatus? aut aliquid ei originalium vel propriorum remiſſum non fuerat peccatorum? Vnde & talia loquebatur? niſi quia lex iſta peccati, quæ in membris eſt corporis mortis huius, & remiſſa eſt, regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali, remiſſa ſcilicet, quia reatus ſolutus eſt ſacramento, quo renaſcuntur fideles: manet autem quia operatur deſideria, contra quæ dimicant & fideles.

Idem adhuc breuius & clarius contra Iulian. lib. cap. 3. Concupiſcentia carnis, inquit, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, peccatum eſt, & pœna peccati & cauſa peccati.

Atque rursus in Iohannem: tractatu 41. Quamdiu, inquit, viuis, necesse est peccatum esse in membris tuis.

Pighius. Ipsemet Albertus Pighius in controuers. de peccato originis manifeste scribit geminam hanc fuisse D. Augustini mentem, nimirum: Concupiscentiam inspersam & innatam hominibus non renatis, esse, vere & proprie peccatum, quod ignoscatur quidem sed non tollatur in baptismo.

Expendat hæc ita Christianus lector, æquo & pio iudicio, ab vtra parte, Lutheri an pontificiorum consensus veræ & piæ Antiquitatis stet & triumphet: interim autem conuerto me ad reliqua.

QVARTVS CONSENSVS LVtheri cum Orthodoxa antiquitate circa Locum de viribus humanis in conuersione.

TRIDENTINVM conciliabulum sessione 6. capit. 5. contra manifestum Dei verbum sub Anathematis percussione præcipit credere & docere, quod homines non renati ex vi liberi arbitrii conuersionis suæ initium facere possint ex se ipsis, liberum enim arbitrium in rebus spiritualib. non prorsus extinctum vel sublatum, sed tantum fractum, attenuatum, inclinatum. Voluntatem & naturam esse bonam.

Rationem semper deprecari ad optima. Vnde homo naturalibus suis viribus bonum cogitare & facere, malumque omittere, se dispensare potius ad gratiæ susceptionem possit & sine dono gratiæ quoduis peccatum mortale cauere, imo quoad actus substantiam diuina præcepta implere. Possit etiam in peccato mortali existens remouere obicem, hoc est, peccatum mortale: quia possit cessare à consensu & actu peccandi, imo odisse peccatum & velle non peccare: vide Gabrielem Biel lib. 2. d. 27. du. 4.

Hæc vero Lutherus & veri eius discipuli aperte & solide negant, docentque quod homo post lapsum absque gratia Dei in spiritualibus prorsus sit mortuus & venundatus sub peccatum, habeat nullum in spiritualibus liberum arbitrium, sed potius captiuum & seruum, nec intelligat, nec velit ex se quæ spiritus Dei sunt, nec se ex suis viribus conuertere queat.

Præter scripturæ sacræ manifestum consensum (quem facili labore huc

itidem adſcriberem, niſi iam in conſenſu antiquorum Eccleſiæ patrum ſolo demonſtrando tantum occupatus eſſem) conſentit etiam vetuſta & Orthodoxa Patrum corona cum Luthero, vt ſequitur.

B. Auguſtinus ad Simplicianum lib. 1. quæſt. 11. Deus eſt, qui operatur & velle & operari pro bona voluntate: vbi ſatis oſtendit Apoſtolus, inquit Auguſtinus, etiam ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam ſi quæramus, vtrum donum Dei ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat?

S. Hieronymus ad Cteſiphont. contra Pelagianos: Facilia, inquit, eſſe dicis Dei mandata, & tamen nullum proferre poteſt, qui vniuerſa compleuerit.

Et idem rurſus lib. 1. contra Pelagianos: Noli, inquit, ponere in cœlum os tuum, vt per eſſe & eſſe poſſe ſtultorum auribus illudas. Quis enim tibi concedet poſſe hominem facere, quod nullus vnquam hominum potuerit?

Auguſtinus de Spir. & lit. capit. 5. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Contra duas Epiſtolas Pelag. ad Bonif. lib. 2. cap. 9. Hominis autem propoſitum bonum inquit S. Auguſtinus adiuuat quidem ſubſequens gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum, quamuis cum eſſe cœperit, adiuuetur gratia, non tamen incipit ſine gratia, ſed ab illa inſpiratur.

Idem cap. 10. Sicut nemo poteſt bonum inchoare ſine Domino, ita nemo poteſt perficere ſine Domino.

Idem ſermone 124. de Tempore. Quid eſt homo ſine gratia Dei? Niſi quod Petrus quando negauit Chriſtum: Et niſi quod ait Propheta: Omnis caro fœnum: Et ideo Beatum Petrum Dominus paululum ſubdeſeruit, vt in illo totum humanum genus poſſes cognoſcere.

Lib. 83. Quæſt. quæſt. 68. Nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus & vocatus ſiue intrinſecus, vbi nullus hominum videt, ſiue forinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.

Soliloquior. capit. 24. Magna eſt, inquit Sanct. Auguſtinus, multitudo miſeriarum mecum, velle quippe mihi adiacet, perficere autem non

inuenio, velle quod bonum eſt, non poſſum, niſi tu velis, nec quod volo poſſum, niſi tua potentia me confortet.

Idem de Eccleſ. dogm. cap. 27. Ita Deus in cordibus hominum atque in ipſo libero operatur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque actus bonæ voluntatis ex Deo ſit.

Idem de verbis Apoſtoli ſermon. 1. Ecce Deus noſter vos regit, non liberum arbitrium, quod SERVIT.

Idem Epiſtola ad Hilarium 89. Libertas, inquit, ſine gratia nihil eſt niſi contumacia, non libertas. VERE enim liberi eritis, ſi vos filius Dei liberauerit.

Idem. Contra Pelag. Hypognoſt. lib. 3. Per peccatum, liberum arbitrium hominis, poſſibilitatis bonum perdidit: non nomen & rationem. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare aut recte peragere: Sed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis quam malis.

Idem de corrept. & gratia cap. 12. Nec de ipſa perſeuerantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis: ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolum dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſunt perſeuerare ſi velint: ſed in eis operatur etiam & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poſſint & nolint, perſeuerandi eis poſſibilitas & voluntas, diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic velint. Ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint.

Idem de grat. & lib. arbitr. cap. 17. Deus ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quoniam qui operatur in nobis bonum opus perficit vſque in diem Ieſu Chriſti. Vt ergo velimus ſine nobis operatur. Cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera, nihil valemus. De operante illo vt velimus, dictum eſt: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, &c.

Hieronym. Audiatur rurſus S. Hieronymus in Hierem. lib. 5. In noſtra, inquit is, poteſtate eſt poſitum vel facere quid, vel non facere: ita duntaxat, vt quicquid boni operis volumus appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apoſtolum dedit nobis & velle & perficere.

Bernhard. Diuus Bernhardus Hiſpanus Abbas Claraeuallenſis à Papiſtis Doctor mellifluus communiter dictus (qui recentius vixit inter Patres Eccleſiaſticos, nimi-

nimirum circa annum Christi 1120. sub Imperatore Lothario 2. coætaneus Iohannis Zonaræ, Georgii Cedreni, Hugonis de sancto Victore, & Petri Lombardi) in lib. de gratia & lib. arbitrio. Aliud est, inquit, velle, aliud velle bonum. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse, quæ volumus. Non dico velle bonum aut velle malum: sed tantum velle: Velle etenim bonum profectus est: velle malum defectus. Velle vero simpliciter ipsum est, quod vel proficit vel deficit. Porro ipsum velle vt esset, gratia creans fecit: vt proficiat, saluans gratia facit, vt deficiat ipsum se deiicit. Liberum arbitrium nos facit volentes: sed ex gratia nobis est bonum velle. NB.

Idem ibidem: Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur: quum cadere quidem posse potuerit, non autem resurgere nisi per Domini spiritum.

QVINTVS CONSENSVS ORTHOdoxæ Antiquitatis & Lutheri, de vnico mediatore & capite Ecclesiæ Christo.

VNITATEM Mediatoris & redemptoris in regno Romani Papæ tollunt per multiplices Mediatores, intercessores & aduocatos apud Deum: Christum vocant Papicolæ mediatorem redemptionis de quo Christiani primam saltem gratiam inclinantem ad diligendum Deum aut ad iustitiam & salutem habeant. Sanctos autem cum eorum suffragiis statuunt Mediatores intercessionis. Aiunt etiam iuxta Christum ponendum esse Papam Romanum, qui caput Ecclesiæ in terris visibile sit, & Christi vicarius siue officiarius. *Belle! nihil supra.*

Contra Lutherus & fidi eius parastatæ constanter iuxta verbum Dei asserunt, Christum totum, solumque esse nostrum redemptorem, mediatorem & anchoram salutis, nec præter illum vnum est solum non esse vllum aliud veræ Ecclesiæ caput & gubernatorem.

Hic rursus causam diiudicet Orthodoxa patrum Ecclesiæ vetustas.

Origenes in Leuit. Homil. 7. Christus solus & hostia pro peccatis, & ipse est hostia, sancta sanctorum. *Origenes.*

Basilius Magnus circa annum Christi 355. coætaneus S. Gregorii Nysseni, Ambrosii & Prudentii (qui à Gregorio Nazianzeno Epistola 8. ad *Basilius M.*

Simpliciam Hæreticam scribens nominatur fidei columen plena prudentię canities & Spiritus S. domicilium, ab Gregorio Nysseno in vita S. Ephræm Syri appellatur os Ecclesiæ & aurea cœlestis doctrinæ Luscinia. Et à Theodoreto lib. 4. Eccles. Histor. cap. 1-. Magna rerum diuinarum eruditione præditus vocatur) in c. 1. Esa. Non iam illud iuge sacrificium, aut victimæ continuo repetitæ, &c.

Sed vna in hoc seculorum fine approbata est semel in abolitionem peccati. Agnus enim Dei abstulit peccatum mundi, seipsum offerens oblationem & hostiam in odorem suauitatis.

Epiphanius σύγχρονος S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Ambrosii, Ruffini & S. Chrysostomi sub Gratiano & Theodosio Imperatoribus circa annũ Christi 360. clarus. Contra Marcio. hæret. 42. Deus per aduentum Christi sui, omnem sacrificiorum vsum sustulit, vno sacrificio omnia quæ ante fuerunt complente ac perficiente quod est sacrificium & victima Christi.

Primatus re probatur.

Nam pascha nostrum immolatus est Christus.

Ignatius Episcopus Antiochenus & Martyr sub Traiano coætaneus & Discipulus Iohannis Euangelistæ & Apostoli, Epistola ad Magnesios: Christum vnicum redemptorem & mediatorem confitetur his verbis: Christus verus & primus, seu summus est Episcopus & solus natura pontifex.

Cyprianus & totum Concilium Carthaginense lib. 1. Epist. 2. ad Ianuarium: Nemo nostrum se Episcopum Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alieno non possit, cum nec ipse possit alienum iudicare, sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione & de actu iudicandi. Hoc decretum S. Augustinus etiam approbat de Baptis. contra Donat. lib. ca. 2.

Chrysostomus Hom. 66. in Matt. cap. 20. Qui primatum quærunt, sibiipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto ad infima detrudi: Non enim externis similia sunt nostra. Nam apud Gentes, qui primatum tenent, ipsi dominantur.

Apud me autem, inquit, Christus, qui vltimùs est, is summa tenet. Hæc verba distinct. 40. Can. Fin. sic efferuntur.

Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem

nem in cœlo: nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit.

Gregorius Magnus Episcopus Romanus coætaneus Euagrii Epiphanensis, Gregorii Turonensis & Isichii Episcopi Hierosolymitani tempore Theopaschitarum sub, Imperatore Mauritio, circa annum Christi 580. clarus (vir humilitate summus & coniunctione timoris Domini plenus, vt de eo scribit Isidorus Hispalensis Episcopus libro de scriptoribus Eccles. capit. 27.) Epist. lib. 4 cap. 80. Nomen, inquit, vniuersalis Episcopi nouum, temerarium peruersum, profanum & sceleſtum, stultum, friuolum, appellat vocabulum, qua noua superbia, tota vniuersalis Ecclesiæ viscera perturbantur: sique vnus dicatur vniuersalis Episcopus aut Patriarcha, nomen idem cæteris derogetur.

Tu (Iohannes Episcope Constantinopolitane) quid Christo vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi iudicii es dicturus examine: qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere?

Idem lib. 4. Epist. 36. Nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis nomen assumpsit: nullus decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: Nos etiam hunc honorem nolumus oblatum recipere.

Idem ad Imper. Mauritium lib. 6. Epist. 194. Ego fidenter dico, quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat vel vocari desiderat: in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.

Augustinus in Psalm. 56. Tota inquit Ecclesia constans ex omnibus fidelibus (quia fideles omnes Christi membra sunt) habet illud caput positum in cœlestibus, quod gubernat corpus suum etsi separatum est à visione sed annectitur charitate.

Constat etiam ex tertio Concilio Carthaginensi, quod B. Augustinus in illo præsens Canonem vigesimum sextum suo etiam suffragio comprobarit, quo vetitum fuit, ne quis appellaretur princeps sacerdotum aut summus sacerdos. Celebratum autem istud concilium fuit Anno Christi, 399.

SEXTVS

SEXTVS CONSENSVS ANTIquitatis cum Luthero, quoad Articulum de iustificatione hominis peccatoris coram Deo.

Atrocis. blasphemia extenuantes Christi satisfactionem.

DOCENT Romanenses iustificationem significare in nobis qualitatem aut virtutem seu infusionem habitus charitatis & aliorum bonorum operum: Vnde reuera iustificetur homo Concil. Triden. sess. 6. Iacob. Andradius lib. 6. Meritum Christi tantum esse præparationem, dehinc autem in operibus nostris hærere iustitiam nostram, quæ sine omni remora & impedimento perfici possit, adeoque nostram inchoatam nouam obedientiam esse nostram iustitiam coram Deo. Asotus adsertione Catholica pag. 61. Vnde inter Papistas frequens vox ista: Vita æterna est merces debita pro nostris meritis.

Nisi enim esset merces debita, vita æterna foret incerta, quia debitum certum est: Misericordia autem incerta. Nimirum ita Antichristus cum suis mancipiis gratiam Dei & salutem nostram in Christo repositam pessumdederunt & suauissimam diuinæ consolationis doctrinam Euangelii in formidabile desperationis barathrum commutarunt.

Reuerendus Pater Lutherus contra duce sacra scriptura & Archiapostolo Paulo considerat Fidem non vt opus, habitum, virtutem aut qualitatē in nobis hærentem, sed relatiue, quatenus in Christū sese plantat & notitiā, & assensum & firmā fiduciam in Christi merita & satisfactionē præsupponit & præstat, ita vt homo nulla alia ratione iustificetur, quam si diuinæ legis maledicto territus & ad thronum gratiæ confugiens à Deo misericordi, gratis, sine vllo humano merito tantū propter Christi obedientiam verbo Euangelii & sacramentis oblatam veraque fide apprehensam, remissionem peccatorum impetret, iustus reputetur & sic in filium Dei adoptatus donatusq; Spiritu sancto in nouitate vitæ ambulet, & tandem in vita beata Deum per infinita secula celebret.

Sic nimirum docet de articulo iustificationis è sacrosanctis scripturis, oraculis Propheticis & Apostolicis Lutherus noster.

Audiamus iam suffragia piæ & orthodoxæ Antiquitatis.

S. Hilarius Episcopus Pictauiensis in Galliis Iuuenci Presbyteri, Athanasii & Lactantii Firmiani coætaneus sub Constantino Magno Impera-

tore circa annum Christi 330. clarus (qui à D. Hieronymo Epist. 141. ad Marcellam eloquentię nomine, & in proœmio Epistol. ad Gala secundi libri ceu Latini eloquii Rhodanus celebratur. B. Augustino dicitur Catholicus & insignis Doctor lib. 2. capit. 8. contra Iulian.) in Psal. 118. Nos, inquit, si semel ieiunamus satisfecisse nos arbitramur, si aliquid ex horreo domesticarum facultatum inopi damus, impleuisse nos iustitiam credimus, &c. Sed Propheta Domini totum à Deo sperat.

B. Hieronymus qui Epist. ad Ephes. cap. 3. In Christo Iesu, inquit, Domino nostro, in quo habemus fiduciam & accessum ad Deum & confidentiam per fidem eius: non per nostram iustitiam, sed per eum, cuius fide peccata nobis dimittuntur.

Idem in Esa. 64. Si consideremus, inquit, nostra merita, desperandum est.

Basilius Magnus in Psal. 32. Non erit, inquit, iudicium sine misericordia, quia non potest homo purus inueniri à sorde: ne si vnus quidem tantum dies sit ab eius natali.

Idem in sermon. de Humilitate. Hæc est, inquit nostra integra & perfecta gloriatio in Deo, quando propriæ iustitiæ nos inopes agnoscimus: Sola autem fide in Christum iustificari.

Origenes Tom. 2. in Ep. ad Rom. lib. 3. super verba Pauli Rom. 3. vers. 28. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, &c. sic commentatur: Dicit Apostolus, sufficere solius fidei iustificationem, ita, vt credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi ab eo operis nihil fuerit expletum. Imminet igitur nobis qui integram scripturam Apostoli conamur adferre & ordine suo cuncta constare, vt requiramus quis sine operibus sola fide iustificatus sit? Quantum igitur ad exemplum attinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamauit ei de cruce: Domine Iesu memento mei, cum veneris in regnum tuum: Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangeliis: sed pro hac sola fide ait illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie eris mecum in Paradyso. Per fidem igitur iustificatus est hic latro sine operibus legis: quia super hoc Dominus non requisiuit, quid prius operatus esset: nec expectauit, quum credidisset, expleret: sed sola confessione iustificatum comitemque sibi Paradysum ingressurus adsumpsit: Sed & mulier illa quæ in Euangelio secundum Lucam refertur, exemplo est: Nam ex nullo legis opere: sed pro sola fide, ait ad eam Christus: Remittuntur tibi peccata tua: Et iterum: Fides tua te saluam fecit. Sed & in multis aliis Euangelii locis hoc sermone vsus est saluator, vt credentis fidem causam esse salutis eius diceret.

Idem lib. 4. ad Rom. cap. 4. Ego mihi, inquit, vix persuadeo vllum opus esse posse, quod ex debito remunerationem deposcat.

Idem in Matth. tract. 8. Dicite vos seruos inutiles dicit Christus. Nam etsi omnia fecerimus quæ præcepta sunt: non tamen bonum opus aliquod fecimus: Nec enim si vere bona essent, essemus inutiles.

Idem libr. 9. ad Romanos cap. 12. Quia, inquit, omnia conclusa sunt sub peccato, nunc non in meritis, sed in misericordia Dei salus humana consistit.

Irenæus lib. 4. capit. 13. Nos eandem fidem accipientes, quam habuit Abraham, sequimur Christum: Credidit Abraham verbo Domini: Quapropter & deputatum est ei ad iustitiam à Deo: Fides quæ est ad Deum iustificat hominem.

Clemens, Alexandrinus, Præceptor S. Origenis coætaneus Irenæi Martyris & Tertulliani circa annum Christi 180. Stromatum lib. 1. Abraham non est, inquit, iustificatus ex operibus sed ex fide. Nihil ergo aliis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habeant.

Idem Stromat. lib. 5. Si non credideritis, inquit Dominus, moriemini, contra autem qui credit habet vitam æternam. Beati ergo omnes qui confidunt in ipso. Fiduciam autem habere est quid fide amplius.

Cyprianus lib. 3. Epist. 3. S. Abraham Deo credidit, & deputatum est ei ad iustitiam, vtique quisquis Deo credit & fide viuit, iustus inuenitur & quam pridem in Abrham fideli benedictus & iustificatus ostenditur.

Ambrosius Tom. 5. in 1. Cor. 1. Apostolus dicit, datam esse gratiam à Deo in Christo Iesu, quæ gratia sic data est in Christo Iesu, quia hoc constitutum est à Deo, vt qui credit in Christum saluus sit sine opere sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

Leo Magnus P. P. (coætaneus Sozomeni, Cyrilli Alexandrini & S. Nili Abbatis circa annum Christi 440. sub Imperatore Martiano tempore quarti Cōcilii Chalcedonēsis: clarus & in omni mūdo celebris, qui summe deniq; à Theodoreto Cyrensi Episcopo Epist. ad Leon. P. & à Sophronio Episcopo Hierosolymitano in Epistola ad Sergium Episc. Constant. commendatur) Hom. 14. de passione Domini: Vna, ait, fides iustificat vniuersorum temporū sanctos: ad eandem spem fidelium pertinet: quicquid per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum vel nos confitemur factum: vel patres nostri adorauere faciendum.

Chrysost. Sermon. de fide & Leg. Tom. 5. Opus quidem ait, habet anima, vt operibus alatur: Ante opera tamen fides primum inducenda est: Eum

qui

qui operatur opera iustitiæ sine fide, non possum probare viuum fuisse: Fidelem autem absq; operibus possum monstrare & vixisse & regnum cœlorum assecutum: Nullus sine fide vitam habet: Latro autem credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Atq; hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iuste viueret, & honesta faceret opera: Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud vnum adseuerauerim, quod sola fides per se saluum fecerit.

S. Augustinus de Ecclesf. dogmat. cap. 86. Tom. 3. Nullus, inquit, sanctus & iustus caret peccato, nec tamen desinit ex hoc esse vel iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem: Non enim naturæ humanæ viribus: sed propositi adiumento per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent, quod plangant: etsi nō reprehensione conscientiæ: certe mobilitate & mutabilitate præuaricatricis naturæ.

Idem in Psal. 70. Tom. 8. In tua iustitia erue me, inquit Dauid, non in mea sed in tua: Si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: Ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere: iustitiæ Dei non sunt subiecti: Ergo in tua iustitia non in mea: Quia quid mea? Præcessit iniquitas. Et cum ero tua, tua iustitia erit? quia iustitia mihi abs te data iustus ero, & sic erit mea, vt tua sit, id est abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impium vt deputetur fides mea ad iustitiam. NB.

Idem de prædestinatione sanctorum lib. 1. capit. 7. Ex fide dicit Apostolus, iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuste viuitur. Nam dicit etiam ipse, Gratia salui estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.

Idem de fide & operibus Tom. 4. cap. 14. Cum Apostolus dicit: Arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt percepta ac professa fide opera iustitiæ contemnantur: sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint: Sequuntur autem iustficatum, non præcedunt iustificandum.

Idem de spiritu & Litera capit. 26. Quod Apostolus dicit: Factores Legis iustificabuntur, non contra seipsum dicit tanquam per opera, non per gratiam iustificantur, cum dicat, gratis iustificari hominem per fidem, sine operibus legis, nihilque aliud velit intelligi in eo quod dicit; Gratis: nisi quia iustificationem opera non præcedunt. Aperte quippe alibi dicit: Si ex gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia: Sed hic intellelligendum est, factores legis iusti-

ficabuntur, vt sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur; vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat.

Denique hac de re & religiosissime & cum summa animorum consolatione suauissime his verbis statuit Bernhardus Hispanus Abbas Claræuallensis in Psal. Qui habitat, &c. Meritum, inquiens meum miserationes Domini. Non sum ego inops meriti, quandiu ille non est inops miserationum. Si miserationes eius multæ, multus ego sum in meritis. Hoc totum est hominis meritum, si totam spem suam ponat in Domino.

SEPTIMVS CONSENSVS de fide.

ROMANENSES tradunt, confidenter in Christi meritis nuda fide confidere, esse temeritatem culpandam, vt videre est Concilio Tridentino sess. 5. Canon. 9. & 12. potius simpliciter credendum esse quod credit Romana Ecclesia, siue sit in sacris literis siue non: Semper autem de gratia Dei dubitandum esse, siquidem nemo certus esse possit de gratia Dei erga se de remissione peccatorum suorum & salute æterna: Iacobus Andr. lib.6. pagin. 543. Concilium Trident. sess. 9. & 6. & 12. Hosius & Asotus cum multis aliis.

O Turcicam! & o desperatam religionem!

Lutherus noster prorsus contrarium è verbo Dei adseuerat, fidem iustificantem esse firmam & indubitatam fiduciam de diuina misericordia, peccata remittente propter Christi meritum, satisfactionem & obedientiam. Quemlibet etiam in specie & indiuiduo per fidem Euangelio innitentem certo statuere debere & posse, sibi singulariter in specialissima specie propter mediatorem Christum esse Deum propitium, qui & remittat peccata & donet vitam æternam, ita vt de fauore gratiæ Dei reconciliatione, peccatorum remissione, de salute æternæque vitæ hæreditate quiuis per fidem in Christum certus sit nulloque modo dubitet. Addunt etiam nostri præceptores, credere ea quæ Romana credit Ecclesia, siue sit in sacris literis siue non. nil, inquiunt, hoc esse aliud nisi principium Sathanicum & Scholam è qua pullulent omnes detestandæ blasphemiæ, errores superstitiones, peruersi cultus, qui vnquam ex male olente & fumigante scrinio Antichristi halauerint. Tutius esse, vt fides nostra versetur circa illa quæ ex limpidis Israelis fontibus & inprimis è Christi vulneribus ad æternam salutem haurit, &c.

SED

SED INTERPONAT SE VENERANda & Orthodoxa Antiquitas.

Origenes Tom. 1. in Hierem. Homil. 11. Quicunque penitus Christo non credunt, condemnant illum: Qui autem credunt & adhuc ambigunt, diiudicant illum. Duo igitur apud homines Christus perpetitur: Ab incredulis damnatur: ab ambigentibus discerpitur.

Cyprianus de Mortal. Si iustus es, & fide viuis, si vere in Deum credis: tum de Domini pollicitatione securus es. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur haberes pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur & tu mente incredula fluctuas. Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc est Deum omnino non nosse: Hoc est Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis offendere: Hoc est, in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere.

Augustinus in expos. Epist. ad Rom. Tom. 4. fol. 852. Certus sum dicit Apostolus: non dixit: Opinor. Plena enim fide tenuit, quod nec mors vlla, nec vitæ temporalis promissa, nec cætera subsequentia possunt credentem à charitate Dei detorquere.

Chrysostomus in 1. ad Timoth. Hom. 8. Nemo cum angore animi ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Non licet prorsus ambigere, si puras ad Deum manus leuemus, nos exauditum iri.

Rursus B. Augustinus Tom. 8. in Psal. 85. Abluti estis, sanctificati estis, dicit Apostolus 1. Cor. 6. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & vnusquisq; fidelium: Sanctus sum. Non est ista superbia elati: sed confessio non ingrati. Si enim dixeris, te sanctum esse ex te, superbus es.

Rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es: Vt ergo nec superbus sis, nec ingratus dic Deo tuo: Sanctus sum: quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui, quia tu dedisti, non quia ego merui.

Idem de verbis Domini Sermon. 28. O homo faciem, inquit, tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi: Omnia tibi peccata dimissa sunt, ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume non de operatione tua: sed de Christi gratia: Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Non igitur arrogantia est: sed fides, prædicare quod acceperis: non est superbia, sed est deuotio.

Idem tractat. 22. in Iohannem cap. 5. Quid est hoc quod in iudicium non venies? Paulus dicit: oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere quod in iudicium non venies? Absit, inquis, vt ego hoc mihi promittere audeam: sed credo promittenti: saluator loquitur: veritas pollicetur, ipse dixit, qui audit verba mea, &c. Ego audiui verba Domini mei & credidi. Iam infidelis cum essem, fidelis sum factus, sicut ipse monuit: Transii à morte ad vitam: ad iudicium non venio, non præsumptione mea, sed ipsius promissione.

Idem contra Crescentium Grammaticum lib. 21. cap. 2. Dominus semper veraciter iudicat, Ecclesiastici autem iudices sicut homines plerumque falluntur.

Edictum Valentiniani & Martiani Imperatorum in Chalcedonensi Concilio Action. 3. rectissime cautum voluit, ne quis omnibus spiritibus crederet & veritatem longe citra Dei verbum quæreret, his verbis: Qui post semel inuentam veritatem longius quærit, mendacium non veritatem quærit, & cæt. Cur ergo necessum esset præuidere, credere quæ credere præcipit Romana ista hodierna Ecclesia siue id sit in scripturis, siue non: Absit hoc arenosum, futile & pudendum fidei fundamentum.

OCTAVVS CONSENSVS VENERANDÆ & Orthodoxæ Antiquitatis & D. Lutheri, in Articulo DE BONIS OPERIBVS.

TRADVNT Pontificii bona opera non tantum ea quæ diuinitus sunt mandata, sed etiam quæ ab hominibus sponte, ex bona intentione & proprio arbitrio eliguntur, aut etiam ab Ecclesiasticis iniũguntur: hæc etiam mereri gratiam Dei, remissionem peccatorum, & vitam æternam Concil. Trident. sess. 6. Canon. 32. inprimis hac in parte blaspheme & ceruicose scribit Thomas de Aquino prima secundæ quæst. 114. Act. 7. Quod quilibet actus charitatis absolute mereatur vitam æternam.

Thomæ Aquinatis hæreticum axioma.

Contra Lutherus & præceptores nostri è verbo Dei tradunt ea tantũ vocari & esse reuera proprieque bona opera quæ Deus in suo verbo præcepit, quorum summa in decalogo neruose & breuiter comprehendatur, quæ etiam in fide fiunt à regeneratis & sic Deo placent. Nec tamen hæc opera mereri vitam æternam.

Notetur

Notetur consensus Antiquitatis à parte Lutheri.

Leo magnus Epist. 86. Hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt isti, vt gratia Dei secundum merita dati accipientium sentiatur. At nisi gratis detur non est gratia sed merces retributioque meritorum dicente B. Apostolo, gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus ne quis forte glorietur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum operum donatio, diuina præparatio, nec propria quisquam iustificatur virtute: Quoniam gratia vnicuique principium iustitiæ & bonorum fons & origo meritorum est.

Cyrillus lib. 9. cap. 44. Opera fidei congruentia facere eorum solummodo est qui Deum diligunt.

Hilarius in Psal. 133. In nudis vestiendis, esurientibus cibandis, sitientibus potandis, afflictis consolandis, in oppressis adiuuandis & omnibus diligendis. Hæc Deo placita & sancta sunt.

Augustinus de vera innocent. cap. 214. Non sunt bona opera nisi quæ per fidem & charitatem fiunt.

Idem ad Simplicianum lib. 1. q. 2. Gratia Euangelica eo ipso quod talis est, operib. non debetur. Alioquin gratia non est gratia: Et multis locis hoc sæpe testatur fides gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat: Sed vt ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, vt scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam.

Idem contra Pelagia. lib. 3. cap. 5. Nostra fides, inquit, Catholica fides iustos ab iniustis non operum sed ipsa fidei lege discernit, quia iustus ex fide viuit, per quam discretionem fit, vt homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, &c. si non in Deum rectam & Catholicam fidem teneat, de hac vita damnandus abscedat: Alius quidem habens bona opera, ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamen vt ille bene moratus, quiq; moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem, quæ illi est in Deum, ex qua viuit, & secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnib. bonis operibus Deum laudat sibi tribuens ignominiã, Deo gloriã, &c. De hac vita liberandus & in cõsortiũ cum Christo regnaturorũ recipiendus emigrat. Quare? nisi propter fidem, quæ licet sine operib. neminẽ saluat (ipsa enim non est reproba fides quæ per dilectionem operatur) tamen per ipsam peccata soluuntur. Quia iustus ex fide viuit, sine ipsa vero etiam quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur: Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Idem

Idem sermon 53. de tempore: Sicut otiosa est fides sine bonis operibus: ita nihil proficiunt bona opera sine fide recta.

Idem de fid. & oper. cap. 14. Bona opera præcedunt iustificatum & non iustificandum.

Origenes lib. 1. in Hiob. Omnia quæcunque fecerint homines, siue in virginitate, siue in abstinentia: siue in corporis castitate, siue in carnis suæ combustione, siue in bonorum suorum distributione: omnia frustra faciunt, si non in fide fecerint: sine causa agunt nisi in agnitione vnius ingeniti Dei patris: Et in confessione vnius vnigeniti filii eius Domini nostri Iesu Christi: Et illuminatione Spiritus sancti hoc fecerint: Omnem ergo sanctitatem, omnem iustitiam qui fecerit, qui foris est à vera Dei cultura atque fide: gratis facit, in perditionem facit, non prodest ei, non adiuuat eum in die iræ, non liberabit eum in die interitus: Ad quod testis est Apostolus, qui dicit: Quod ex fide non est, peccatum est.

NONVS CONSENSVS ORTHOdoxæ & piæ vetustatis in articulo de pœnitentia.

PROLIXVM erronearum opinionum chaos in articulo de pœnitentia fouent Pontificii. Huc autem potissimum collimant, vt adseuerent veram pœnitentiam constare tribus partibus, contritione cordis, confessione oris, cum enumeratione omnium, & singulorum specialiter delictorum & satisfactione operis. Addunt talem pœnitentiam esse meritoriam, quia, inquiunt, confert gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam. qua in parte talem pœnitentiam adsimilant secundæ post naufragium tabulæ, qua scilicet ad portum æternæ salutis transuehantur. Catechis Rom. fol. 241. Concil. Trident. sess. 14. Can. 2. Nec, quod horrendum, fidei & meritorum Christi, vllam, aut frigidam in tota doctrina de pœnitentia faciũt mentionem, imo fidem inde proscribunt & damnant, Trident. Concil. sess. 6. capit. 15.

Contra Lutherus noster & societas γνησίως θεολογούντων è verbo Dei planissime docent: Veræ pœnitentiæ quasi animam esse firmam fiduciam & indubitatam fidem in Christi vulneribus, satisfactione, obedientia, & meritis fundatam, quam certissime sequatur noua obedientia & bona opera quæ Deus præcepit, quæ sic in fide & charitate vera fiunt à regeneratis & iustificatis.

CON-

Controuersiam dirimat pia & orthodoxa Antiquitas, vt sententiæ Luthericæ in propatulo stet vetustas solida & sancta.

Tertullianus aduersus Marcion. lib. 14. cap. 18. Sed, inquit, etsi pœnitentiæ stimulus ex fide acciderat peccatrici fœminæ Luc. 7. per pœnitẽtiam ex fide iustificatam ab eo audiit: fides tua te saluam fecit, qui per Habacuc pronunciarat, Iustus ex fide sua viuet.

Augustinus ad Seleucianum Epist. 108. Pœnitentia, inquit, est bonorum atque humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra.

Sermone 7. de tempore. Pœnitentia certa ac vera est: odium peccati & amor Dei.

Idem de vera & falsa pœnitentia. capit. 2. Tom. 4. Si fides fundamentum est pœnitentiæ, præter quam nihil est quod bonum est, appetenda est pœnitentia quam constat in fide esse fundatam. Non enim potest arbor bona malos fructus facere: Pœnitentia itaque quæ ex fide non procedit, vtilis non est. Oportet autem credi, remedium pœnitentiæ à saluatore concedi, &c.

Gregorius lib. 3. Dialog. Compunctionis duo sunt genera, quibus anima Deum sitiens, prius timere compungitur, deinde amare.

Chrysostomus in Hypomn. in Esaiam. Dixerit aliquis, licetne per pœnitentiam consequi salutem? prorsus licet. Cum omnem vitam in peccatis detriuerim, fiamne saluus, si me pœnituerit? prorsus fies. Id vnde? Ab ipsa Domini erga nos benignitate, non ex tua pœnitentia. Pœnitentia enim tua non perualet tantam abstergere maculam.

Lactantius Eusebij Cæsariensis coætaneus circa annum Christi 300. sub Imperatore Constantino M. clarus. Pœnitentia, inquit, est sui correctio, vt cum lapsi fuerimus, resipiscamus, nos deliquisse fateamur veniamque à Deo oremus.

Ambrosius de pœnitent. lib. 1. cap. 1. Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi sperauerit indulgentiam.

S. Fulgentius Episcopus Ruspensis Theodoreti, Gennadi & Petri Diaconi coætaneus circa annum Christi 450. sub Imperatore Zenone & Anastasio clarus; Epist. 7. cap. 5. Salubris conuersio duplici ratione consistit: si nec pœnitentia sperantem: nec spes deserat pœnitentem: ac per hoc, si ex toto corde quisquam renunciet peccato suo & toto corde spem ponat remissionis in Deo Etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini Diabolus adimit: aut speranti pœnitentiam tollit: Vnum dum onerat, comprimit: alterum dum eleuat, deiicit. Iudas qui Christum tradidit, pecca-

ti sui pœnitentiam gessit: sed salutem perdidit, quia indulgentiam non sperauit.

S. Bernhardus Sermone de Annunciatne. Dicat quisquam in pauore suo vadam ad portas inferni, vt iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus.

DECIMVS CONSENSVS PIÆ ET sanæ Orthodoxæ Antiquitatis, cum D. Luthero, quoad punctum de auriculari confessione.

INCERTO authore introducta fuit in regno Antichristi Romani confessio occulta & auricularis omnium & singulorum peccatorum, qua tanquam equuleo quodam & carnificina conscientiarum ad tyrannidem suam tuendam ac stabiliendam abusi sunt sacerdotes Babylonici, in hunc vsque diem mendacissime prætendentes confessionem istam esse iuris diuini, ministros Ecclesiæ habere mandatum de cognoscendis peccatis, quod ipsum sit de necessitate salutis, quoad remissionem culpæ, sed non quoad remissionem pœnæ, pro qua satisfaciendum sit.

Asserunt etiam auricularem istam confessionem, vt opus per se, ex opere operato liberare à pœna æterna & diminuere pœnam temporalem. Cum sentiret etiam Papa Romanus hac occulta confessione ceu præcipuo neruo quodam stabiliri regnum suum, summe longo nunc tempore dedit operam, vt eandem confirmaret.

Innocentius 4. in Concilio Lateranensi cap. 21. mandauit seuerissime, vt qui hanc pœnitentiam non subierit, is statim viuus templo & Ecclesia excludatur, & mortuus iaceat inhumatus.

Et Petrus Lombardus sentent. lib. 4. Distinct. 17. adfirmat sine ea nullum patere iter ad cœlum. Stricte & sub anathematis fragore vrget etiam eandem Trident. Concil. Sess. 14. cap. 5.

Lutherus noster istos auricularis & occultæ confessionis laqueos ceu funes mortis disrupit, & adseruit, illud ipsum quodcunque esset esse merum inuentum, excrementum, crepitum & oleum fœtentis Antichristi, eo tendens vnice, vt miseræ & angustiatæ conscientiæ tali auriculari & occulta confessione excruciatæ arctius adhuc Papæ adstringantur & satisfactionibus istis putatitiis, à merito & satisfactione Christi abducantur. Scri-

pturis & sanctis antiquis Patribus esse prorsus talem cōfessionem ignotam, quia ne vlla syllaba eius mentionem fecerint, sed prorsus confessionem ad Deum requisiuerint.

Dicat sententiam veneranda Antiquitas.

Gratianus (Monachus S. Proculi apud Bononiam qui S. Patrum, Synodorum aliorumque Pontificum decisiones in vnum volumen congessit, quod sub nomine DECRETI ab Eugenio III. cui id primo oblatum fuit, confirmatum est, imperante in occidente Conrado III. Augustiss. Imperat. circa annum Christi 1150. qui liber Gratiani magnum Ecclesiasticę historiæ à Constantino Magno vsque ad Lotharium II. & Conradum III. Imperatores supplementum esse potest) Distinction. 1. de Pœnitent. c. Quamuis &c. apertissimę testatur, quod Concilium Lateranense Anno Christi 1215. sub Innocentio III. Papa, & Imperatore Friderico II. celebratum prorsus libera adhuc fuerit; nec vnquam auricularis cōfessio sicut hodie inter Papistas vrgetur & describitur, in vsu fuerit.

Augustinus in libro de salutaribus documentis meminit confessionis coram Deo. Item in Epistola ad Iulianum Comitem, 30. similiter meminit confessionis coram quouis fratre, sicut & confessionis publicæ pœnitentiæ, cum coram Ecclesia tum coram priuato sacerdote, cum indictione mulctæ in conspectu Ecclesiæ. Sed huius auricularis confessionis, qua priuatim, integre, & singula peccata mortalia, cum omnibus & singulis circumstantiis in Papatu quis cogitur confiteri, adeo, vt peccatum, quod in aures sacerdotis non insusurratur, remitti à Deo non possit, &c. ne vno apice mentionem fecit.

Potius B. Augustinus Confess. lib. 10. ca. 3. Quid mihi, inquit, est cum hominibus vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum est genus ad cognoscendum vitam alienam: desidiosum ad corrigendum suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à se audire qui sint? Et vnde sciunt cum à me ipso, de me ipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit homo quid in homine agatur, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Idem dicit lib. 10 confess. cap. 2.

Hieronymus in Epist. ad Oceanum, in Epitaphio Fabiolæ, quæ incipit: Plures anni, &c. apertis verbis indicat, talem Papisticam confessionem non fuisse in vsu.

Basilius Magnus lib. de institutione religiosorum in fine, loquitur de confessione coram proximo.

Ambrosius serm. 3. in Psal. Beati immaculati: Vade, ostende te sacerdoti, &c. Quis est verus sacerdos, nisi ille qui est sacerdos in æternum?

Idem in Lucam, lib. 7. cap 66. Pater peccaui in cœlum & coram te. Hæc inquit, est prima confessio, apud autorem naturæ, præsidem misericordiæ, arbitrum culpæ, &c.

Chrysostomus hom. 2. in Ps. 50. Tom. 2. Peccata tua dicito, vt deleas illa: Si confunderis alicui dicere, quia peccasti: dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, vt confitearis cõseruo tuo, vt exprobret: dicito Deo qui curet ea. Præterea Deum cum peccatore loquentem facit ibidem: Mihi soli dic peccatum tuum priuatim, vt sanem vlcus.

Et idem in lib. de pœnitentia & conf. Tom. 5. Sit, inquit, forum, in quo te reum sistis vacuum. Item: Non necessarium est, præsentibus testibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio: absque teste sit hoc iudicium: solus te Deus confitentem iudicet.

Idem de Lazaro. Conc. 4. Tom. 1. Dic peccata tua prior, vt iustificeris. Cur pudescis & erubescis dicere peccata tua: Caue enim homini dixeris, ne tibi exprobret: Neque etiam conseruo tuo confitere, vt in publicum proferat: sed ei, qui Dominus est, qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostende vulnera.

Idem in Epist. ad Heb. capit. 11. Non dico tibi, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses: Sed obedire te volo prophetæ dicenti: Reuela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua.

Idem de incomprehensib. Dei natura. Homil. 5. Crebrius Deo immortali confiteamini & enumeratis vestris peccatis veniam petatis: Non te in theatrum conseruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram Deo conscientiam tuam, & explica, ostende Deo medico præstantissimo vulnera tua.

Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis natione Græcus, qui claruit sub Imperatore Constantino 4. tempore Lampetianorum hæret. circa annum Christi 690. scripsit peculiare opus de qualitate pœnitentiæ, iniungendæ iis, qui multis criminibus deliquissent, cuius titulus est Pœnitentiale Theodori, &c. Ex hoc eius libro aperte constat quod Græcæ Ecclesiæ nunquam receperint vllam confessionem auricularem. Vide Decretum Gratiani 2. Part. causa 33. quæstio. 3. de pœnitent. pagin. 1040. Editionis Lugdun. 1591.

VNDE-

VNDECIMVS CONSENSVS ANtiquitatis & Lutheri de CONIVGIO.

SVPERIVS sectione 13. huius libelli prolixius dictum fuit de coniugio, quam male audiat illud in regno Antichristi, quo Lectorem Christianum remissum velim. Breuiter. Papistæ faciunt è coniugio rem impuram & profanam: arcent ab eo sacerdotes: Syricius Papa Distinctio. 82. dicit, Matrimonium esse in carne viuere, & neminem in eo posse Deo placere.

Lutherus contra è sacris literis docet, quod coniugium sit ordo sanctus non solum omnibus hominibus, quicunque illo carere nequeunt, licitus, sed à Deo seuerissime mandatus.

Dispiciatur rursum hac de re iudicium venerandæ Antiquitatis.

Ignatius discipulus Apostolorum Epist. ad Philadelphiens. Non, inquit, detraho cæteris beatis, qui nuptiis copulati fuerūt. Opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in regno ipsius inueniri, sicut Abraham & Isaac & Iacob, sicut Ioseph & Esaias & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia coniuges habuerunt.

Et post paucula ibid. Si quis legitimam commixtionem & filiorum procreationem, corruptionem & conquinationem vocat, ille habet cohabitatorem dæmonem Apostatam.

Origenes in Epist. ad Rom. cap. 12. lib. 9. Potest, inquit, aliquis de castitate plus sapere, quam oporteat sapere.

Idem lib. 1. in Epist. ad Roman. cap. 1. refert se à maioribus suis accepisse, Sanctum Petrum & vxorem eius eodem tempore vtrinque fidem Christianam amplexatos fuisse.

Idem in Matth. Tractat. 24. Non solum quæ docent, non faciunt, ait Origenes, sed & crudeliter & sine misericordia non secundum æstimationem virium vniuscuiusque iniungunt: vt qui prohibent nubere & ab eo, quod expedit, ad immoderatam mundiciem compellunt. Alligant onera grauia & faciunt homines cadere sub eis. Et frequenter videmus eos, qui talia docent, contraria facere sermonibus suis.. Castitatem docent & castitatem non seruant.

Dionysius Corinthi Episcopus (Iustini & Irenæi Martyrum coætaneus, sub Imperatoribus Antonino Pio & Aurelio Commodo tempore Tatiano-

tum hæret. circa annum Christi 150. clarus) ad Pinytum qui Episcopatum tenuit Gnosi in Vrbe Cretensium, vel in Candia Minois Regia, &c. sic scripsit, vt Eusebius lib. 4. cap. 23. refert. Μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι. Noli graue illud onus necessariæ castitatis imponere fratribus.

Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 3. Et vt in summa dicam, inquit, omnes Apostoli Epistolæ, quæ moderationem docent & continentiam cum & de Matrimonio & de liberorum procreatione, & de domus administratione innumerabilia præcepta contineant, nusquam modestum moderatumque coniugium prohibuerunt, aut abrogarunt: sed legis cum Euangelio seruantes conuenientiam, vtrumque admittunt, & eum qui Deo agendo gratias moderate vtitur Matrimonio: Et eum, qui vt vult Dominus viuit in castitate, quemadmodum vocatus est vnusquisque inoffense & perfecte eligens.

Et post pauca: Iam vero vnius quoq; vxoris virum vtique admittit Apostolus, seu is presbyter seu Diaconus, seu Laicus, vtens matrimonio citra reprehensionem.

Idem Stromat. lib. 7. Dicunt gloriosi isti iactatores, se imitari Dominum, qui vxorem non duxit: Illis dicit scriptura: Deus resistit superbis: Humilib. autem dat gratiam.

Tertullianus lib. de exhort. ad Castitat: Apud vos, inquit, plenius & strictius præscribitur, vnius matrimonii esse debere, quos allegi liceat in ordinem sacerdotum.

Idem in lib. de Monogamia ad Catholicos sic inquit: Apud vos Episcopi sunt Digami: h. e. priore defuncta vxore alteram duxerunt.

Athanasius Epist. ad Dracontium. Multi ex Episcopis (non omnes dicit, sed multi, NB.) matrimonia non inierunt (NB. his verbis fatetur quosdam Episcopos iniisse matrimonium) Monachi contra, parentes liberorum facti sunt. Quemadmodum vicissim filiorum patres: Et Monachos generis potestatem non quæsiuisse, animaduertas.

Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. Quasi, inquit, hodie quoque plurimi sacerdotes non habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat, vnius vxoris virum habentes filios cum omni castitate.

Idem in libello de scriptoribus Ecclesiast. testatur Tertullianum, cum sacerdos esset, vxorem habuisse,

Idem in Matt. c. 19. Vnde Dominus infert, inquit, qui potest capere capiat & vnusquisq; consideret vires suas, vtrum possit virginalia pudicitiæ præcepta implere, per se enim Castitas blanda est, & quemlibet ad se alliciens. Sed considerandæ sunt vires, vt qui potest capere, capiat.

Rursus idem ad Iouinian. lib. 1. Si quis consideret virginem suam, hoc est, carnem suam lasciuire & ebullire in libidinem, nec refrenare se potest: duplex illi incumbit necessitas: aut capiendæ coniugis, aut ruendi.

Idem ad Virginem Demetriadem: Sanctum, inquit, virginum propositum & cœlestis, Angelorumque familiæ gloriam, quarundam non bene se agentium nomen infamat. Quibus aperte dicendum est, vt aut nubant, si se non possunt continere, aut se contineant si nolunt nubere.

Idem in Epistol. ad Titum capit. 1. Quidam de hoc, ait, loco ita sentiunt: Iudaicæ inquiunt consuetudinis fuit, vel binas vxores habere vel plures: Et hoc nunc volunt esse præceptum, ne is, qui Episcopus eligendus est, vno tempore duas vxores pariter habeat. Atque iterum: Diaconi sint vnius vxoris viri, inquit, non vt si non habuerint: sed ne duas habeant.

Idem in Danielem cap. 11. oblato de Antichristo loquendi loco: Simulabit, inquit, castitatem, vt multos decipiat.

Augustinus de S. Virginitate cap. 16. Paulus modeste deterret à nuptiis, non tanquam à re mala & illicita sed tanquam ab onerosa & molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinē, aliud habere carnis tribulationem: Illud est criminis facere. Hoc laboris est pati.

Idem de bono coniug. Distinct. 27. Quidam, &c. Quidam, inquit, nubentes post votum adserunt adulteros esse: Ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt.

Idem ibidem. Quod Paulus ait, quæ innupta est cogitat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiendum est, vt putemus non esse sanctam corpore Christianam coniugem castam.

Omnibus quippe fidelibus dictum est: Nescitis quoniam corpora vestra templum sint Spiritus S. sancta enim sunt corpora coniugatorum, fidem sibi & Domino seruantium.

Idem ad Pollentium, libro 1. capit. 15. Aliquando hoc expedit, inquit Augustinus, aliquando illud: nam illis qui se non continent, id est, quibus castis esse non est concessum, vtique expedit nubere. Verum iis, qui castitatis voto sunt impliciti matrimonium capescere non licet; nec expedit. Eheu (NB.) quid castitatis voto perficitis sine castitate?

Chrysostomus in Epist. ad Tit. Homil. 2. Si quis est vnius vxoris vir: Apostolus obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpa vacare, imo ita esse pretiosam, vt cum ipsa etiam possit quispiam ad S. Episcopatus solium subuehi.

Idem

Idem Tom. 3. contra Iudæos, gentiles & hæreticos sic ait: Nec excuses te propter nuptias: Dominus tuus nuptiis interfuit & nuptias cohonestauit, & tu nuptias arguis? Et dicis nuptias esse impedimentum ad pietatem? Nullum enim ad pietatem est obstaculum. Vis cognoscere, quod nihil obsit habere vxorem & liberos? Moyses nonne vxorem habuit & liberos? Vide & Petrum columnam Ecclesiæ, quod & ipse vxorem habuit: Ne accuses nuptias.

Idem Tom. 1. Homil. 4. in Esaiam. Super illa verba: Vidi Dominum, &c. sic commentatur. Quis ista loquitur? Esaias ille spectator cœlestium Seraphim, qui cum coniugio commercium habuit, nec tamen extinxit gratiam.

Idem in Genesin Hom. 21. Matrimonium, inquit, non solum nobis nihil obstat ad philosophandum Deo, si voluerimus esse sobrii, sed & magnam affert consolationem: Comprimit enim insanum naturæ impetum nec turbari sinit, quasi mare, sed efficit, vt scapha feliciter in portum appellat; Et ideo Deus hanc consolationem tribuit generi humano.

Ambrosius in 2. Corinth. cap. 11. Duodecim, inquit, Apostoli excepto tantum Iohanne, habuerunt vxores.

Idem in 1. Cor. ca. 7. Videmus, inquit, virgines de seculo cogitare: & matrimonio iunctos dominicis studere operibus.

Baptista Platina in vita Syluestrii Papæ, itemque Bonifacii 1. Iohannis 1. Iohannis 16. Hadriani 2. commemorat hos eosdem Pontifices piorum Episcoporum & Presbyterorum legitimos fuisse filios.

Polydorus Vergilius in Histor. Anglor. lib 6. Primum circiter annum Domini nongentesimum septuagesimum attentari præceptum esse refert, vt sacerdotibus matrimonio interdiceretur.

Idemque postea in occidentali Ecclesia circiter annum Domini millesimum & centesimum decretum esse, nec vnquam ante, recitat lib. 5. de Inuent. Rer.

Cyrillus in Leuit. lib. 16. Oportet, inquit, compati & commetiri doctrinam pro virium qualitate: Et huiusmodi, qui non possunt capere sermonem de castitate, concedere nuptias.

Cyprianus lib. 1. Epist. 11. Quod si se ex fide Christo dicauerunt pudice & caste, sine vlla fabula perseuerent, &c. Sin autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant.

Gregor. Nazianzenus in funere Gorgoniæ. Nuptiæ, inquit, laudabiles sunt, propter eam quæ in nuptiis est animi tranquillitatem.

Ancyranum Concilium Canon. 9. sic decreuit. Diaconi quicunque ordi-

ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt. Hi si postmodum vxores ducunt, in ministerio maneant.

Cassiodorus lib.6 cap.14. In illo tempore ferunt Martyrio vitam finiisse Eupsychium Cæsariensem Episcopum ducta nuper vxore dum adhuc quasi sponsus esse videretur. Vixit autem is tempore Niceni Concilii secundi contra Iconomachos sub Adriano 1. Papa celebrati Anno 772.

Concilium Gangrense cap.4. Si quis discernit presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre (id est Eucharistiam administrare) non debeat, & ab eius oblatione abstinet, Anathema sit.

Præterea in Concilio Constantinopolitano Distinct. 31. sic quoque decretum sonuit. Distinct.31. Quoniam, &c. Si quis præsumpserit contra Apostolicos Canones, aliquos presbyterorum & Diaconorum priuare à contractu & communione legalis vxoris suæ, deponatur similiter & presbyter, aut Diaconus, qui religionis causa, vxorem suam expellit, excommunicetur.

Concilium Nicænum primum cui sub Sylvestro Episcopo Romano & Imperatore Christianissimo Constantino Magno, interfuerunt trecenti & octodecim patres Theologici aduersus Arrium congregati, istud, inquam, Concilium volens corrigere hominum vitam in Ecclesiis commorantium posuit leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem nouam, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant non dormirent, surgens autem venerabilis cōfessor Paphnutius Episcopus Ægyptius, quanquam cœlebs erat, contradixit toti Concilio, honorabiles confessus nuptias & castitatem dicens esse cum propria vxore concubitum. Suasit itaque in medium, ne talem congregati Patres ponerent legem, grauem esse adserens causam, quæ aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hanc quidem sententiam tota synodus laudauit & Paphnutio cedens nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate, non necessitate permisit. Histor. Tripart. lib.2. cap.1. & 14. Socrates Histor. Eccles. lib.1. cap.11. Sozomenus lib.1. cap. 23. Distinct.31. Can. Nicœn. Multi præstantes sapientissimi viri in regno Antichristi hanc profanitatem & Tyrannidem omnibus ferme seculis, adeoque proximis ante Lutherum temporibus improbarunt: optantes vt lex ista de prohibitione Matrimonii prorsus antiquata periret.

Iohannes Auentinus in Hildebrando est Autor quod multi pii docti-

que viri ministerio Ecclesiastico se abdicarint, postquam Papa Hildebrandus crudelitate & Tyrannide istam legem constabilitam & perfectam dedisset.

S. Bernhardus in Concilio Remensi sub Innocentio 2. Papa celebrato publice in medium dixit: Episcopi & Sacerdotes huius temporis castitatis sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum tam in corde quam in corpore quomodo student obseruare? Traditi in reprobum sensum faciunt quæ non conueniunt: Quæ enim in occulto fiunt ab Episcopis turpe est dicere. Vide acta istius Concilii Remensis, &c.

Idem de conuersione ad Clericos: cap. 29. Abstinentes, inquit, à remedio coniugali postea in omne flagitium effluunt.

Robertus Holgot. in librum sapientiæ lectione 18? Sacerdotes moderni sunt dæmones incubi per luxuriam, & sacerdotes Priapi vel Beelphegor & angeli abyssi.

Huldericus superioribus temporibus VVilhelmi Durandi circa annum Christi 1280. sub Imperatore Rudolpho Habsburgio coætaneus & Episcopus August. de prohibitione coniugii & honestarum nuptiarũ acriter ad Nicolaum Papam scripsit his verbis: Decreta tua super clericorum continentia à discretione inueni aliena: Multos consilii tui adsentatores hominibus non Deo, sub falsa specie continentiæ placere volentes, grauiora vides committere. Postremo idem ibidem ita statuit: Quam nosti disciplinam Pharisaicam ab ouili Dei extirpa doctrinam.

Baptista Mantuanus sub Maximiliano I. proximis ante Lutherum annis contra indignitatem istius rei his verbis stomachatur.

——— Petrique domus polluta fluenti
Mar. esit luxu, Nulla hic arcana reuelo,
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Seruit, honoranda diuum Ganymedibus ædes.

Polydorus Virgilius de Inuentor. Rer. libr. 5. capit. 4. Nullius delicti crimen, inquit, maius ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris attulit.

Æneas Syluius de Concil. Basili. lib. 2. Quoniam, inquit, multi saluarentur in sacerdotio coniugato, qui nunc in sterili presbyterio damnantur.

Idem ad Iohannem Fontem amicum suum, Epistol. 321. sic scribens: Quoniam, ait huc ventum est, vt legi carnis resistere nequeas, melius est nubere quam vri.

Nico-

Nicolaus Siculus vulgo Panormitanus dictus, celeberrimus Canonista qui vixit sub Eugenio 4. Papa, tempore Constantiensis Concilii & Imperatoris Sigismundi, Anno Christi 1414. Credo, inquit is, pro bono & salute animarum, quod esset salubre statutum, vt non volentes continere possint contrahere: Quia, experientia docente, contrarius prorsus effectus exequitur ex illa lege continentiæ. Cum hodie non viuant spiritualiter, nec sint mundi: sed maculentur illicito congressu, cum ipsorum grauissimo peccato: vbi cum propria vxore esset castitas. Vnde Ecclesia deberet facere sicut bonus medicus, vt si medicina, experientia docente, potius officiat, quam prosit, eam tollat. Et vtinam idem esset in constitutionibus positiuis. Extr. de Clericis coniugat. Cum olim, &c.

Durandus in libello de modo celebrandi Concilium tit. 46. Vtile, inquit, esset, vt in Concilio Matrimonium sacerdotibus remittatur: frustra enim hactenus coacti sunt ad castitatem.

Sed tandem de his Lectori beneuolo videantur hæc esse satis.

DVODECIMVS CONSENSVS D. Lutheri cum pia & sancta Antiquitate de Ecclesia.

HORRIBILIBVS erroribus de Ecclesia sua conceptis laborant Pontificii: Communis etenim eorum sententia est, quod certo loco adstringatur, quæ etiam stricte innitatur successioni Episcoporũ & alligata sit ad certum visibile & externum caput, nimirum Pontificem Romanum: Cuius respectu Ecclesia Romana sit mater fidei primas & domina omnium reliquarum Ecclesiarum: quæ denique habeat ius iudicandi super scripturis & de omnibus, nulli autem liceat contra illius censuram hiscere. Ius Can. Dist. 21. & 22.

Nicolaus Papa de Maior. & obed. Vnam sanctam Distinct. 22. Omnes: Qui negat priuilegium & primatum Ecclesiæ Romanæ, fidei renunciauit & hæreticus est.

Syluester Prierias contra Lutherum scribens ait: A doctrina Romanę Ecclesiæ & Romani Pontificis, sacra scriptura robur trahit & authoritatem. Et Nicolaus Cusan. Epistola 1. ad Bohemos: Veritas, inquit, adhæret Cathedræ: quare membra Cathedræ vnita & Papæ coniuncta efficiunt

Ecclesiam: Sic nimirum ex Ecclesia effecerunt ciuile Regnum & externam Monarchiam.

Contra Lutherus è verbo Dei inculcat veram Ecclesiam puro Dei verbo & voci sponsi & pastoris sui vnice adhærescere, & geminū vsum Sacramentorum sicut diuinitus instituta sunt, venerari, nec affectare plus regiminis & directionis, quam illi verbum Dei indulget: Agnoscere etiam solum & vnicum suum fundamentum & caput Iesum Christum.

Interponat se veneranda & sana antiquitas.

Irenæus lib.3.cap.11. Columna, inquit, & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium & spiritus vitæ.

Hilarius in Psal.126. Aliter extruenda, inquit, aliter custodienda est Ecclesia: Fundamentum eius super Prophetas & Apostolos collocandum est: Ecclesia ita à Deo est id est doctrinis Dei ædificata, non concidet.

Idem de Trinitat. lib.6. In eo quod Petrus Christo respondet: Tu es filius Dei, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est. Hæc fides Regni cœlestis habet claues.

Hormisda. Hormisda Episcopus Romanus sub Imperatore Anastasio coætaneus Fulgentii & Cassiodori circa annum Christi 512. claras liquido adseuerat Ecclesiam Romanam & eius Episcopum labi & errare posse in scripto peculiari ad Episcopos Hispanos. Dilectissimi, inquiens, fratres continuas preces ad Dominū fundamus, & iugi deprecatione poscamus, vt & institutione & opere, illi cuius esse membra cupimus, adhæreamus, nec vnquam ab illa via, quæ Christus est, deuio tramite declinemus. Ne nos (id est Ecclesia Romana) ab eo iuste, quem impie reliquerimus, deseramur.

Chrysostomus in 2. Timot. Homil.2. Plus aliquid dicam, inquit, ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum: sed Apostolo Christum in se loquentem circumferenti.

Idem in opere imperfecto: Homil.49. Nullo modo cognoscitur, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas.

Et rursus ibidem: Christus mandat, vt volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant nisi ad scripturas: alioqui si ad alia respexerint scandalisabuntur & peribunt non intelligentes quæ sit vera Ecclesia: & per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in locis sanctis Ecclesiæ.

Gregorius Magnus lib.4. Epist.38. Sancti ante legem, sancti in lege, sancti sunt

cti ſunt gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris Eccleſiæ conſtituti: Et nemo ſe vnquam vniuerſalem vocari voluit.

Origenes in Matth. Tractat. 1. Nunquid audebimus dicere, quod aduerſus vnum Petrum non præualituræ ſint portæ inferorum, aduerſus cæteros autem Apoſtolos ac præfectos Eccleſiæ ſint præualituræ?

An Petro ſoli dantur à Chriſto claues cœlorum? nec alius beatorum quiſquam eas accepturus eſt? Omnia, quæque prius dicta ſunt, quæq; ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnium communia.

S. Auguſtinus Tom. 7. lib. de vnit. Eccleſ. capit. 3. Cum Donatiſtæ, Eccleſiam ſoli Africæ variis probationibus alligarent, reſpondet Auguſtinus: Legant nobis hoc è ſacris ſcripturis, & credimus: hoc, inquam, nobis ex Canone diuinorum librorum legant. Legite nobis hoc è diuinis oraculis. Tenent enim Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ, cum quanta cura ſibi prædictum ſit, ſi quis vobis Euangeliſauerit, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. In ſcripturis ſanctis Eccleſia manifeſte cognoſcitur, vos ô Donatiſtæ non tenetis Eccleſiam, quia hæc toto orbe diffuſa manifeſtiſſimis Canonicarum ſcripturarum teſtimoniis deſignata & expreſſa eſt.

Ibidem poſt pauca: Eccleſiam ſuam demonſtrent Donatiſtæ, ſi poſſunt, non in ſermonibus & rumoribus Africorum, non in Conciliis Epiſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigiis fallacibus, quoniam etiam contra iſta verbo Domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in præſcripto legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſis Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicationibus & laboribus, hoc eſt, in omnibus Canonicis ſanctorum librorum autoritatibus.

Et rurſus ibidem: Ad ipſam ſalutem inquit Auguſtinus, & vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit: quod eſt Eccleſia, quam, ſicut ipſum caput in ſcripturis ſanctis Canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominũ rumoribus & opinionibus, & factis & dictis & viſis inquirere. Vtrum ipſi Eccleſiam teneant, non niſi diuinarum ſcripturarum Canonicis libris oſtendant. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.

Idem Epiſt. 50. Eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam, vniuerſa ſcripturarum teſtimonia, conſona voce pronunciant: Et allegantur loca Geneſ. 26. Malach. 1. Pſal. 71. Coloſ. 1. Luc. 24. Actor. 1.

Idem in Pſalm. 56. Caput Eccleſiæ eſt ipſe ſaluator noſter. Corpus autem

eius est Ecclesia: Non autem ista aut illa: sed toto orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus, qui præsentem vitam agunt: sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, & his, qui sunt futuri post nos, vsque in finem seculi.

Idem Retract. libr. 1. capit. 21. Dixi in quodam libro de Apostolo Petro, quod in eo, tanquam in Petra, fundata sit Ecclesia: sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hanc, intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, tu es Christus filius Dei viui, ac si Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claues cœlorum. Non autem dictum est illi, tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus quem confessus Petrus, sicut tota eum Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.

Idem Psal. 128. Aliquando in solo Abel Ecclesia erat: Et expugnatus est à fratre malo & perdito Cain. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat: & translatus est ab iniquis.

Erasmus Roterodamus Lutherisat.

His vetustissimis Ecclesiæ Patribus cum Luthero de Ecclesia consentientibus nostro seculo etiam ita subscripsit Magnus ille Erasmus Roterodamus in annotat. in 1. Corinth. 7.

Si verum est, inquiens, quod quidam adseuerant, Romanum Pontificem, errore iudiciali, errare non posse? quid opus est generalibus Conciliis? quid opus est in Concilium accersere Iurisconsultos & Theologos eruditos? Si Papa pronuncians labi non potest, cur datus est appellationi locus, vel ad synodum, vel ad eundem rectius edoctum? Quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, cum ex vno Pontifice, quod verum est, audire liceat? imo qui fit vt huius Pontificis decreta cum illius Pontificis decretis pugnent? Si tam certum sit & exploratum, Papam quicunque sit & quicquid dicat, errare tamen nunquam posse?

Alphonsus de Castro Lutherisat.

Imo subscripsit nolens volens nostro tempore piæ antiquitati Alphonsus de Castro Episcopus Zamorensis de hæresibus libr. 1. capit. 4. Non dubitamus, inquiens, an hæreticum esse, & Papam esse, coire in vnum possint, &c.

Non enim credo, addit idem Alphonsus, aliquem esse adeo impudentem Papæ assentatorem, vt tribuere ei hoc velit, vt nec

errare,

errare, nec in interpretatione ſacrarum literarum hallucinari poſſit.

DECIMVS TERTIVS CONſenſus piæ Antiquitatis cum D. Luthero, in Articulo de SACRAMENTIS noui fœderis.

RVGITVS Tridentinorum Patrum hic eſt: Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis aut plura aut pauciora eſſe quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, confirmationem, pœnitentiam, Euchariſtiam, extremam vnctionem, ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum non eſſe vere Sacramentum, Anathema ſit. ſeſſ. 7. Can. 1.

Secundum etiam illam quam obſtinate iactitant poteſtatem Eccleſiaſticam, profitentur licitum ſibi eſſe Sacramenta immutare, detrahere, illis ruſum aliquid addere, mutilare, ſicut palam Baptiſmati de meris inuentis humanis addiderunt, ſal, oleum, chriſma, ceream chriſmate, ſaliuam, Flatum, &c. Videatur Gabriel Biel libro 4. diſtinct. 6. quæſtion. 3. Cœnæ Domini admiſcent Magicam tranſſubſtantiationem, Trident. Concil. 3. capit. 3. addunt inſuper Sacramenti eiuſdem incluſionem, circumgeſtationem, adorationem, Tridentin. Concil. ſeſſ. 13. capit. 6. Aſſuunt blaſphemam huc etiam Miſſificationem pro viuis & mortuis, quinetiam ſacrilege cœnam mutilant ſurrepto Laicis Calice Euchariſtico.

Et communiter docent Sacramenta ex opere operato conferre gratiam & quidem ſine bono motu vtentis. Tridentin. Concil. Seſſion. 8. Can. 8.

Contra Lutherus è verbo Dei cum Orthodoxa & veteri Eccleſia docet quod duo ſacramenta ſaltem ſint noui teſtamenti proprie ſic dicta, nimirum Baptiſmus & cœna Domini, quia hæc duo Sacramenta habeant viſibile Elementum & actionem à Deo mandatam, ſitq; his adiuncta promiſ-

ſio gra-

ſio gratiæ de remiſſione peccatorum & donatione vitæ æternæ. Sequeſtrat etiam meritum operis operati à Sacramentis, quia media ſint & inſtrumenta à Deo ordinata, quibus Deus ipſe vtatur ad operandum, in nobis per Spiritum ſanctum, regenerationem, conuerſionem, renouationem & ſalutem. Baptiſmum Lutherus ſecundum Chriſti inſtitutionem inſtauratum depurgauit à ſputis & muco Antichriſti. Cœnam itemque Dominicam vſui diuinitus inſtituto conformatam liberauit à blaſphemiis & fœtentibus ſuperſtitionibus, idololatriæ inquinamentis & abuſu deteſtando, quibus ſacratiſſimum Filii Dei teſtamentum Filius perditionis execrandum in modum fœdauerat. Quin etiam non mutilum hoc Sacramentum, ſed integrum ſecundum teſtatoris voluntatem in Eccleſias Chriſtianorum & piam praxin reduxit vir Dei Lutherus, ſicut in proxime prægreſſa ſectione huius 4 Cheiragogias iam antea molliori brachio attigimus.

Sed interloquatur pia & veneranda Antiquitas vetuſtæ Eccleſiæ.

Cyprianus lib. 2. Epiſt. ad Steph. Tunc demum plane ſanctificari & eſſe filii Dei poſſunt, ſi vtroque Sacramento naſcantur.

Paſchaſius. Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbeienſis ad Viſurgim prope Huxariam Coætaneus Remigii Antiſidiorenſis & Theophylacti ſub Carolo Craſſo Imperatore circa annum Chriſti 880. edidit libellum de Sacramento Altaris, in quo diſerte: Sunt, inquit, Sacramenta Chriſti in Eccleſia Catholica Baptiſmus & corpus & ſanguis Domini.

Tertullianus ad Marcion. libr. 4. In quos acrior cenſura ſtatuitur, eos neque ad Sacramentum Baptiſmi, neque Euchariſtiæ admitti ſcribit.

Auguſtinus Epiſt. 118. capit. 1. Dominus noſter Ieſus Chriſtus leui iugo, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, nos ſubdidit & ſarcinæ breui. Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit: ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio corporis atque ſanguinis ipſius.

Idem de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 9. Tempore noui Teſtamenti, inquit, pro multis, quædam pauca, eademque factu facilima & intellectu anguſtiſſima & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum & celebratio corporis atque ſanguinis Domini.

Idem de Symbolo ad Catechumenos: de baptiſmo & cœna Domini loquens: Hæc ſunt, inquit, gemina Eccleſiæ Sacramenta.

Idem lib. de Cataclyſmo cap. 4. Os non comminuatis ex eo, ſed vnus ex

militibus

militibus aperuit latus eius & continuo exiuit sanguis & aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina sacramenta.

Hæc etiam suo voluit suffragio confirmare superiore proximo seculo Bessarion Trapezuntius Græcus, Episcopus Tusculanus Cardinalis & Patriarcha Constantinopolitanus sub Ioanne Palæologo Imperatore Orientali, coætaneus Isidori & Panormitani, circa annum Christi 1417. vir pietate doctrina & generosis moribus spectatissimus, is, inquam, in libello de Sacramento Eucharistiæ hæc verba euidenter ponit: Hæc duo sola Sacramenta (Baptismus & Eucharistia) in Euangeliis manifeste tradita legimus, &c. Bessarion.

Seorsim de Baptismate.

D. Augustinus de Baptismate: Cont. Donat. lib. 5. cap. 15. In baptisato inseparabiliter baptisma permanere, manifestum est: quia in quodlibet profundum malorum & in quamlibet horribilem voraginem peccatorum irruat baptisatio, vsque ad Apostaticam ruinam, non caret baptismo, & ideo per pœnitentiam redeunti, non redditur.

Idem sermon. de Cataclysmo cap. 3. Baptismi aqua sanctificatur per consecrationem verbi: Tolle enim verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum & fit Sacramentum, virtus verbi per aquam mundauit nos.

Idem in Iohann. Tractat. 80. Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis: quare non ait? mundi estis propter baptismum quo loti estis: Sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis? Quia aqua in verbo mundat: Et ibidem: Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo: Non quia dicitur, sed quia creditur.

Ibidem: Mundatio igitur non fluxo & labili Elemento tribueretur, nisi adderetur in verbo: Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamuis non valentem credere ad iustitiam. & ore confiteri ad salutem: Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis, propter verbum, quod locutus sum.

Idem libro quæstionum veteris & Noui testamenti: Quæstione 59. Qui baptismum putat carnali ratione subsistere, hic non est spiritualis, nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam non per fidem immutari credat: Aqua enim cernitur, sed qui non videtur, spiritus operatur, vti fides in eo sit, quia sicut sordes corporis aqua, ita spiritus animam abluit à peccatis.

Cyprianus de Baptiſmo Chriſti: Remiſſio peccatorum, inquit, ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, proprie Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet, verborum ſolennitas & ſacri inuocatio nominis, & ſigna Apoſtolicis inſtitutionibus attributa viſibile celebrant Sacramentum; rem vero ipſam id eſt remiſſionem peccatorum Spiritus ſanctus format & efficit.

Chryſoſtomus Hom. 27. in Ioh. 3. Tom. 3. Multa & grauia commiſimus, neque à pueris in vltimam vſque ſenectutem abſtinuimus quin innumeris animam ſcelerib. coinquinaremus, nullam eorum rationem à nobis exegit Deus: ſed per regenerationis lauacrum, his nos abſoluit, iuſtitiam & ſanctitatem largitus eſt.

Beda. Venerabilis Beda Britannorum Doctor ſub Imperatoribus Tiberio 3. & Iuſtiniano 2. circa annum Chriſti 700. Iohannis Damaſceni & S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini coætaneus, &c. in Iohann. libro 1. capitul. 3. Peccator in fontem, inquit, deſcendit, purificatus adſcendit: Deſcendit filius præuaricationis, aſcendit filius reconciliationis: Deſcendit filius iræ; adſcendit filius miſericordiæ: deſcendit filius Diaboli, ſed aſcendit filius Dei.

Seorſim de cœna Euchariſtica:

Irenæus lib. 4. cap. 57. Dominus accipiens panem, ſuum corpus confitebatur: & temperamentum calicis ſui ſanguinem confirmauit.

Idem libr. 4. capit. 34. Qui eſt à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt: ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans terrena & cœleſti.

Ibidem cap. 32. Chriſtus eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens; Hoc eſt corpus meum: Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea natura, quæ eſt ſecundum nos ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolo accipiens in vniuerſo mundo offert Deo.

Ignatius Epiſt. ad Philadelphienſes: Obſecro vos, inquit, vt vna fide, vna prædicatione, vna Euchariſtia vtamini: Vna enim eſt caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vnus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, & vnus calix qui pro omnibus nobis diſtributus eſt.

Chryſoſtomus in Ioh. Hom. 84. Exiuit ex Chriſti latere ſanguis & aqua. Non caſu & fortuito hi fontes ſcaturierunt: ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt: Sciunt hoc initiati. Per aquam enim regenerari: Sanguine & carne nutriti: hinc ortum Myſteria habent, vt quoties ad calicem admirandum accedis: tanquam ab ipſo latere hauriens, accedas.

Idem

Idem 2. Cor.8. Hom.18. Est vbi nihil differt sacerdos à subdito vt quando fruendum est tremendis mysteriis. Similiter enim omnes, vt illa percipiamus digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem sacerdos comedebat: partem vero populus & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: Sed nunc non sic: Verum omnibus vnum corpus proponitur & poculum vnum.

Theophilactus in 1. Cor.cap.11. Tremendus, inquit, calix, pari cunctis conditione traditus est.

Origenes in Leuit. Hom.5. Dominus panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis, accipite & manducate, non distulit, nec seruari iussit in crastinum.

Cyprianus ad Corn. de pace lapsis danda: Quomodo docemus aut prouocamus lapsos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus.

Idem Cæcilio de Sacramento Domini Calicis libr. 2. Epistol. 3. Sanguis Christi non offertur si desit vinum calici: nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebratur, nisi oblatio & sacrificium nostrum respondeat passioni. Quomodo autem de creatura vitis, nouum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris & Christi, vinum non offerimus. Quod si & à Domino præcipitur, & Apostolo eius hoc idem confirmatur & traditur, vt quotiescunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit & Dominus: Inuenimur, non obseruari à nobis, quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus & Calicem pari ratione miscentes, à diuino magisterio non recedamus, vt vbique lex Euangelica & traditio Dominica seruetur, & ab eo quod Christus & docuit & fecit, non recedatur. *Iustinus Martyr.*

Iustinus Martyr S. Polycarpi S. Irenæi Egesippi & S. Dionysii Corinthiorum Episcopi Coætaneus circa annum Christi 137. sub Antonino Pio & eius filiis L. Aurelio Commodo & Marco Antonino Vero: Apolog. ad Antonin. 2. Post precationem, inquit, affertur præsuli panis & calix aqua dilutus. Quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem patri omnium offert per nomen Filii sanctique Spiritus, atque ita Eucharistian aliquandiu celebrat. Post preces & Eucharistiam totus cœtus acclamat AMEN. Absoluta gratiarum actione præsulis & ominatione totius plebis, Diaconi, quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis & calicis

Ii 2 diluti,

diluti,ſuper quibus facta eſt gratiarum actio. Hoc alimentum vocatur apud nos Euchariſtia, ad quod nemo admittitur, niſi qui credit veram eſſe noſtram doctrinam, ablutur regenerationis lauacro, & ſic viuens vt Chriſtus docuit. Non enim vt vulgarem panem & vulgare poculum hæc ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus ſeruator noſter, carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis, ſacratam ab ipſo alimoniam, quæ mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinem, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem didicimus. Nam Apoſtoli in ſuis ſcriptis, quæ vocantur Euangelia, ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt ſumpto pane, actiſque gratiis dixiſſe: Hoc facite in mei commemorationem. Hoc eſt corpus meum: Similiter ſumpto poculo, actiſque gratiis, dixiſſe: Hic eſt ſanguis meus.

Leo Magnus P.P. Sermon. Quadrag. 4. Manichæi cum ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audent intereſſe myſteriis: ita in Sacramentorum communione ſe temperant, vt interdum tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiunt: Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant: Quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, aut vobis huiuſcemodi homines, & his manifeſtentur iudiciis: Et quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur.

Gelaſius Epiſcopus Romanus qui circa annum Chriſti 495 ſub Imperatore Anaſtaſio vixit, &c. in Iure Canon. Diſt. 3. cap. Comperimus, Comperimus, inquit, quod quidam ſumpta tantummodo ſacri corporis portione, à calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio, quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur adſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: Quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterii, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.

Idem de duabus naturis in Chriſto Biblioth. S. Patrum Tom. 5. folio 475. Certe, inquit, Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti diuinæ res ſunt, propter quod & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ. Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini.

B. Auguſtinus contra Fauſt. Manich. lib. 20. cap. 18. Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificii memoriam cele-

brant

brant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Idem in libro sententiarum Prosperi, quod & habetur de consecratione Dist.2. ca.Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio eiusque sanguinis de latere effusio designatur?

Idem contra Pelag. Hypognost.lib.5.Ipse enim dixit: Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis.

Idem in Ioh. Tract. 26. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus procul dubio non manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Hieronymus in Sophon. cap.3. ait: Sacerdotes, qui Eucharistiæ seruiunt & sanguinem Domini populo ministrant, &c.

Idem 1. Cor. 11. Tom. 9. Cœna Dominica omnibus debet esse communis.

Ambrosius historia Tripart.lib.9.cap.30.ad Theodosium: O inquit, Imperator & princeps conseruorum: Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate ore tuo, poculum sanguinis preciosi percipies, quando furore verborum tuorum, tantus iniuste est sanguis effusus.

Hilarius de consecrat. Distinctio. 2. capit. Si non: si non sunt tanta peccata, vt communicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.

DECIMVS QVARTVS CONSENsus Orthodoxæ Antiquitatis & D. Lutheri, de inuocatione non ad sanctos & mortuos, sed ad solum Deum intendenda, per vnicum mediatorem Iesum Christum.

PONTIFICII tradunt sanctos Angelos esse inuocandos, vt pro nobis intercedant, aiunt enim penes eos esse potestatem saluandi animas pec-

catrices, aperiendi paradisum, ponderandi bona opera & peccata animarum, sicut patet ex Catechismo Romano folio 146. Et Hortulo animæ, Discipulo de tempore, & pictura Papistica de Sanct. Michaele tenente stateram in manu cum euaginato gladio & librante animas. Maximam etiam idololatriam circa cultum Mariæ Virginis exercent, præ qua delultoria stoliditate & rabie totum Dauidis Psalterium & multos alios Scripturæ locos ad Mariæ idololatricum cultum peruerterunt & detorserunt. Notæ sunt ét in Papatu hæ voces: Maria Mediatrix, Auxiliatrix, Redéptrix, Illuminatrix, Aduocatrix: Itemque eius Matrem sic salutant: Salue mater Anna plena melle Canna, &c. Præcise sub Anathematis comminatione à nobis porro requirunt, vt inuocemus sanctos mortuos, ad eorundem simulachra & delubra, quia sint coadiutores & cooperatores nostræ salutis, patroni & aduocati apud Deum Concil. Tridentin. Session. 25. Celebrant etiam in sanctorum memoriam & honorem Missas pro impetranda eorum intercessione, tanquam amicorum Dei & intercessorum. Quo nomine extant eorum libelli idololatrici, Rosaria, Hortulus, Stellaria, Marialia Antidotaria & id genus plures aliæ φλυαρίαι blasphemiæ & scelera quibus sacratissimum Inuocationis cultum in difficillimas istas symplegadas per tot seculorum nunc coegerunt decursus.

Lutherus his nugis omnibus luce scripturarum elisis & fugatis docet, solum Deum esse inuocationis cultu honorandum, in nomine Mediatoris nostri Iesu Christi.

Audiatur controuersiæ decisio ab Orthodoxa Antiquitate.

Eliberinum Concilium prouinciale olim in Hispaniis circa Annum Christi 320. celebratum capit. 36. & 3. Placuit, inquit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

Epiphanius ad Iohann. Hierosolymitan. apud Hieronym. Tom. 2. Inueni ibi, inquit, velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, aut sancti cuiusdam: non enim memini cuius imago fuerit: Cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud: Et magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent, &c.

Quæso vt iubeas presbyteros eiusdem loci, præcipere, in Ecclesia Christi eiusmodi vela, quæ contra Religionem nostram veniunt, non appendi: Decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinem, vt

scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi & populis qui tibi crediti sunt.

Idem lib 3. Hæres. 79. aduersus Collyridianos. Sane quidem virgo erat honorata: sed non ad honorandum data: Verum ipsa adorans eum qui ex ipsa genitus est.

Polycarpus (apud Eusebium libro 4. capit. 15.) Martyrium subiturus, solum patrem Iesu Christi, Deum Angelorum ac virtutum omnisque creaturæ, & omnis generis iustorum, qui viuunt coram ipso, inuocat. Cum autem huius in igni transfossi corpus discipuli accipere cuperent, proconsul suggestu Iudæorum à nonnullis monitus fuit, ne corpus illis traderet, ne Christo relicto, hunc colere incipiant: At Smyrnenses Christiani in Epistola sua de hoc Martyrio scripta dicunt. Ignorant illi, nos nec Christum vnquam relinquere, qui pro totius mundi seruandorum salute passus est: Nec alium quempiam colere posse. Nam hunc quidem tanquam filium Dei adoramus: Martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini diligimus, quorum & nos consortes & discipulos fieri optamus. Cum corpus Polycarpi tandem combustum esset, nos ossa illius, pretiosis lapidibus potiora & auro probatiora nacti condidimus, vbi id fieri decebat.

Ibidem. Aurum est tua statua: est lignum, est lapis: est terra, quæ si ab initio consideraueris, formam accepit ab artifice: Ego autem terram calcare didici, non adorare. Non enim est mihi fas vnquam, rebus inanimatis credere spes animæ.

Clemens Alex. in Parænet. Nobis, inquit, est aperte vetitum exercere artem fallacem: Non facies enim, inquit Propheta, cuiusuis rei similitudinem.

Cyrillus in Euangelium Iohann. 16. libro 11. capitul. 17. In quantum vero mediator est & Pontifex, & Paracletus nostras preces ad patrem adducit, ipse enim libertatem atque fiduciam ad patrem largitur.

Idem in Euangel. Iohann. 16. libr. 11. capitul. 17. Quum nemo veniat ad patrem nisi per Christum, vt ipse ait, ianua & via reconciliationis hominum ad patrem filius factus est, & gratiam vna cum patre distribuit.

Idem ad Reginas de recta fide ex Euangel. Iohann. Assumptus est inquit, in cœlum, sed vt Deus annunciatur præstare petitiones adorantium,

si in-

si in nomine eius fecerint preces. Iam cui magis conuenit facere compotes votorum sanctos & largiri quod petunt, quam ei, qui solus natura & vere Deus est.

Idem in thesauro lib. 4. capit. 2. Sancti ergo per gratiam atque participationem, ipsi quidem donum consecuti sunt, sed aliis pro voluntate sua dare illud non possunt: filius vero non sic, sed vt sanctitatis fons ex propria potestate discipulos sanctificat dicens; Accipite Spiritum sanctum.

Idem in Euangel. Iohan. lib. 11. capit. 7. & 16. In nomine meo, addidit vt mediatorem se & collargitorem ostendat: nullus enim accedat ad patrem nisi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in Spiritu, &c.

Idem contr. Iulian. lib. 6. Sanctos Martyres neque Deos esse dicimus neque adorare consueuimus.

Ambrosius Tom. 5. in Epist. ad Rom. cap. 1. Solent pudorem passi neglecti Dei, misera vti excusatione, dicentes per istos (sanctos) posse iri ad Deum sicut per Comites itur ad regem. Age nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam vendicet comiti? At isti relicto Domino adorant cōseruos, quasi sit aliquid plus quod reseruetur Deo: Nam & ideo ad Regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique est Rex, & nescit quibus debeat remp. credere. Ad Deum autem quem nihil latet (omnium merita enim nouit) promerendum, suffragatore non opus est sed mente deuota. Vbicunque enim talis locutus fuerit, ei respondebit illi.

Lactantius lib. 2, cap. 19. Non, inquit, est dubium, quin religio nulla sit vbicunque simulachrum est.

Idem lib. 2. capit. 18. Peruersum est, inquit, & incongruens, vt simulachrum hominis à simulachro Dei colatur. Colit enim quod est deterius & imbecillius. Tum inexpiabile facinus est, deserere viuentem, vt defunctorum monimentis seruias, qui nec lucem nec vitam dare cuiquam possunt, qua ipsi carent. Ipsę imagines sacræ, quibus vanissimi homines seruiunt, omni sensu carent, quoniam terra sunt. Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius opificis parentisque nostri vnicum numen, quæ propterea hominem rigidum figurauit, vt sciamus nos ad suprema & cœlestia prouocari.

Tertullianus in Apolog. ca. 17. Hunc ergo vnum colimus qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo quo iussit vt fierent, creauit, &c.

Chry-

Chrysostomus Homil. 12. de muliere Cananæa: Dic mihi mulier quemadmodum ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam: Vide prudentiam mulieris: Non rogat Iacobum, nec obsecrat Iohannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit ad Apostolorũ chorum, non quæsiuit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit, &c.

Ibidem: Si hominem rogare volueris, interrogas, quid facit, & audiens dormit, aut non vacat, aut certe non dignabitur respondere minister tibi. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed vbicunque fueris aut inuocaueris, audit te: non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicito: miserere mei Deus.

Idem de profectu Euangelii. Cæterum, inquit, non opus est patronis apud Deum, neque vllo discursu, vt blandiare aliis: sed licet solus sis, patronoque careas, & per te ipsum Deum preceris, omnium tamen voti compos eris, &c.

Theophilactus in Epistol. ad Colloss. In Christo namque species omnis Euangelii sita est, & cunctis erit in ipso sperandum, qui Euangelium excepere, vt qui vniuersa pacauerit: Quo fit, vt qui angelis ipsis conciliationem hanc adscripserit, à Christo dimotus sit, necesse est.

B. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium ca. 32. Nos per mediatorem Christum reconciliamur Deo.

Idem in Psalm. 108. Oratio autem quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.

Idem de vera religione cap. 10. Non ergo creaturæ potius quam creatori seruiamus, ne euanescamus in cogitationibus nostris. Et perfecta religio est æterno creatori adhærere.

Idem ibidem cap. 55. seu vltimo. Non sit, inquit, nobis religio humanorum operum cultus: Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie vixerint, non sic habentur, vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Hoc etiam ipsos optimos Angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt: Quos honoramus charitate non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis,

quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Religet ergo nos religio vni omnipotenti Deo, vnde religio dicta creditur, vt omni superstitione careamus.

Idem de liber. arbitrio lib. 3. Non enim ad creaturam iubemur tendere, vt efficiamur beati, sed ad ipsum creatorem, de quo si aliud, quam oportet, ac sese res habet, nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur.

Idem de ciuit Dei lib. 8. capit. 27. Nos Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia non constituimus: Quoniam non ipsi sed Deus eorum, nobis Deus est: Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum Dei.

Idem contra Faust. Manichæ. libr. 20. capit. 21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, ita tamen, vt nulli Martyrum sed ipsi Deo martyrum constituamus altaria. Colamus igitur Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines.

Idem de moribus Eccles. Cathol. lib. 1. capit. 34. Noui multos esse picturarum adoratores, quos & Ecclesia ipsa damnat, & quos quotidie, tanquam malos filios, corrigere studet.

Theodoretus inspiciatur saltem super Epist. ad Colos. 2. Tom. 2. p. 136.

Nicephorus Callistus recitat lib. 15. cap. 28. historiam de hæretico Petro Gnaphæo quod is Mariam matrem Christi in oratione & precibus ceu mediatricem compellandam & inuocandam cõtenderit. Qui Gnaphæus circa hoc paradoxon ab eius seculi orthodoxis Ecclesiæ doctoribus ceu hæreticus reprobatus sit. Quemadmodum rursus B. Augustinus è secta Donatistarum nominat quendam Parmenianum (lib. 2. cont. Parmen. cap. 8.) qui reprehensus sit acriter quod Episcopum quendam appellasset Mediatorem inter Deum, & populum: Verba Augustini inter cætera hæc sunt: Homines Christiani inuicem sese commendant orationibus suis: pro quo autem nullus interpellat sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque mediator est.

DECIMVS QVINTVS CONSENSUS sanæ Antiquitatis & D. Lutheri circa articulum de statu animarum post hanc vitam.

ANILE figmentum in hunc vsque diem de purgatorio defendunt Romanenses, in quo purgentur & excoquantur animæ à peccatis, donec

satis

ſatis exuſtæ, excoctæ, & depurgatæ ad beatas abeant ſedes: aiunt etiam ſuffragiis viuorum animas ex hoc æſtu & flammis liberari, vt patet è Concilio Tridentin. Seſſion. 25. Diſcipul. de Temp. ſermon. 160. Bellarmin. de purgat. lib. 1. capit. 6. Pœnæ iſtius atrocitatem non ſatis poſſunt exaggerare ad terrendum cœcum popellum in Papatu, ſic nimirum ſpongioſas fauces emunctis & extortis nummis miſſæ oleta reſipientibus perungere & crumenas ſuas turgidas efficere poſſunt Miſſificatores, Monachi, Ieſuıcidæ, Antichriſti caudæ & cicadæ, &c.

Diſcipulus de tempore loco citato dicit: Si cui breuiſſimus tātum dies in purgatorio tranſigendus eſſet, mallet is centum annos in acutiſſimis incedere ſpinis pede nudo, nihil quam atrum vorare panem, nihil quam fel aceto mixtum potare, lapidemque pro puluinari habere, &c. Et lib. 2. cap. 14. de purgatorio. Minima, inquit Bellarminus, Purgatorii pœna maior eſt maxima huius vitæ pœna. Ecce impudentiam mendaciſſimi figmenti!

Attendat pia mens ſuggeſtionib. diabolicis quibus olim marſupia euacuarunt papicolæ & miſſificuli.

Graphice ſuffragatur his lixis calonibus & Salamandris Virgilius lib. 6. Æneid.

Virgilius Papiſta.

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per vmbras
Perque domos Ditis vacuas & inania regna.

Item.

Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ, &c. Rurſus.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens
Infantumque animæ flentes, in limine primo:
Quos dulcis vitæ exſortes & ab vbere raptos
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo: Item.
—————— Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas.
Ibidem: Hinc exaudiri gemitus & ſæua ſonare
Verbera, tum ſtridor ferri tractæque catenæ, &c.
Continuo ſontes vltrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, toruoſque ſiniſtra
Intentans angues vocat agmina diua ſororum.
Ibidem rurſus: Tenent media omnia ſyluæ
Cocytuſque ſinu labens circumfluit atro, &c.

Lutherus & fidi eius diſcipuli Theologi Euāgelici noſtro ſeculo hoc Papiſticum dogma ceu decumanum mendacium portentum, & gentile delicium

manibus pedibusque auersantur, etiam pridem euicerunt hoc stolidum Purgatorii φάντασμα nil aliud in Papatu esse, nisi per quod velut astutum artificium (sicut prædixit Daniel cap. 11. vers. 43.) Babylonici Missifices, Monachi, Iesucidæ, facti sint opulenti, adepti mercaturas quæstuosissimas, auri, argenti, lapidum pretiosorum, purpuræ, &c. Apoc. 18. Vnde & Domini appellantur auri & argenti Daniel 11. v. 43. qui suo tantum omnia largiantur conferuentque Deo: quem Apostolus recto nomine appellat ventrem Philipp. 3. v. 19. Recte de his Petrus 2. Epist. 2. v. 3. Homines priuati veritate existimantes pietatem esse quæstum per auaritiam fictis sermonibus negotiabuntur de vobis. Docetur potius in nostris Euangelicis Scholis & Ecclesiis duo tantum (tertio prorsus excluso) loca in altero seculo post hanc vitam esse, nimirum vnum pro credentibus beatis, alterum pro incredulis damnatis.

Sed controuersiam intercipiat veneranda & sancta Antiquitas.

Chrysostomus de Lazaro Concion. 2. Para, inquit, ad exitum opera tua, & appara te ad viam: si quid cui rapuisti, reddito, & dicito iuxta *Zachæum*: Do quadruplum, si quid rapui: si cui factus inimicus, reconciliare priusquam veniatur ad iudicium: Omnia hic dissolue, vt citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus spes habemus præclaras, simul ac vero discesserimus illac, non est postea in nobis situm pœnitere neque commissa diluere.

Idem ad Popul. Homilia. Post vitæ finem, inquit, nec meritorum sunt occasiones, sicut nec athletis post transacta certamina coronas adipiscendi.

Idem in cap. 2. & 10. ad Hebr. Hom. 4. Neque, inquit, qui in præsenti vita non abluerit peccata, postea consolationem aliquam inuenturus est: In inferno enim quis confitebitur tibi? Et merito: Hoc enim cauearum tempus est & conflictuum & certaminum: illud vero coronarum, retributionum & præmiorum.

Irenæus lib. 5. Dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt illuc (in paradysum) translatos esse (iustis enim hominibus & Spiritum S. habentibus præparatus est paradysus) & ibi manere eos, qui translati sunt vsque ad consummationem.

Ibidem Quia Christus corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est, quia & discipulorum eius propter quos hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem.

Theo-

Theophylactus in 25. cap. Matth. Post, inquit, vitam illam non est tempus pœnitendi & optandi.

Hieronymus in Ecclesiasten, capit. 9. Quia, inquit, supra dixerat, cor filiorum hominum impleri malicia, & procacitate, & post hæc omnia morte finiri: nunc eadem complet & repetit, donec viuunt homines, eos posse fieri iustos, post mortem vero nullam boni operis dari occasionem.

Cyprianus contra Demetrianum Tract. 1. Credite & viuite & qui nos ad tempus prosequimini, in æternum gaudete nobiscum: Quando istinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis affectus: Hic vita aut amittitur aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem, in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus & quærentibus ad veritatem facilis est accessus. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, qui verus & viuus est: confessionem & fidem eius agnitionis implores, venia confitenti datur & credenti indulgentia salutaris diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.

Hesychius presbyter (coætaneus Nestorii Heretici sub Imperatore Valentiniano, 3. circa annũ Christi 430. cuius etiam extat Epistola ad B. August. de fine seculi & aduentu Domini numero septuagesima nona inter D. Augustini Epistolas) lib. 6. in Leuit. capit. 19. In futuro, inquit, seculo iam non licet operari, sed qui nunc operati sunt, illic ad retributionem veniunt. *Hesychius.*

D. Ambrosius in lib. de bono mortis c. 2. Etiã Dauid petens per huius cõmemorationis inquinamento remitti sibi peccata priusquam discederet de vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non poterit peruenire, quia vita æterna remissio peccatorum est: Ideoque dicit: Remitte mihi vt refrigerer priusquam eam & amplius non ero.

Iustinus Tom. 3. quæst. 75. Post exitum animarum è corpore ilico iusti ab iniustis segregantur: Abducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca. Ac iustorum quidem animæ ad Paradysum vbi consuetudine & conspectu fruuntur Angelorum, &c. Iniustorum autem animæ in ipsius orci loca relegantur, &c.

B. Augustinus Epistol. 54. ad Macedonium: Morum porro, inquit, corri-

gendorum, nullus alius quam in hac vita locus: Nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hac sibi conquisierit.

Idem Sermon. 66. de Tempore. In hoc seculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subuenit. In futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem operum nostrorum reddituri sumus. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis licentia est, &cæt.

Idem Enchirid. ad Laurentium capit. 67. Creduntur, inquit, à quibusdam etiam hi, qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro in Ecclesia baptisantur: nec ab ea vllo schismate vel hæresi præciduntur in quantislibet sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec Eleemosynis redimãt, sed in iis ad huius vitæ vltimum diem pertinacissime perseuerent, salui futuri per ignem, licet pro magnitudine scelerum flagitiorumque diuturno non tamen æterno igni puniri. Sed qui hoc credant, & tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur. Nam diuina scriptura aliud consulta respondet.

Idem in Psalm. 32. Misericordiæ tempus modo est, iudicii tempus post erit.

Idem contra Pelag. Hypognost. lib. 5. Primum locum fides Catholicorum diuina authoritate regnum credit esse cœlorum, secundum Gehennam, vbi omnis Apostata vel à fide Christi alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis inueniemus.

Idem Epist. 80. ad Hesych. In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies. Quoniam qualis in die illo quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.

Idem de pecc. & remiss. lib. 1. cap. 28. Non est vllus vlli medius locus, vt possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium, istam nescio quam medietatem, definitiuam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait: Qui non est mecum, contra me est.

Idem contra Faust. Manich. lib. 20. capit. 21. Manichæi adserunt animas mortuorum magis minusve purgatas, aut in reuolutiones ire aut in grauiores aliquas pœnas. Bonas autem in naues imponi & in cœlum nauigantes transire.

DECI-

DECIMVSSEXTVS CONſenſus piæ Antiquitatis cum Luthero circa articulum de ieiunio & delectu ciborum.

ROMANENSES tradunt certis diebus abſtinendum eſſe certis cibis, videlicet, ouis, butyro, carnibus, & hanc abſtinentiam aiunt eſſe neceſſariam, vt quæ ſatisfaciat pro peccatis, eaque expiet, mitiget iram Dei & promereatur ſalutem æternam. Gloriantur etiam ſe ieiunium quadragesimale inde ab Apoſtolis & antiquiſſimis Eccleſiæ patribus accepiſſe, magno cum eorundem Sanctorum Patrum conſenſu, &cæt.

Lutherus contra è verbo Dei tale Papiſticum ieiunium docet in literis ſacris non eſſe fundatum, ſed potius contra Dei verbum hoſtiliter pugnare, & eſſe doctrinam dæmoniorum: Interim non tamen prohibet vir Dei ieiunium quodlibet, ſicut hypocritæ ventrioſi in Papatu nos ſolent cauillari, ſed multoties inculcat per totius vitæ curſum Chriſtianis ſalutarem eſſe ſobrietatem, quæ ſit abſtinentia à crapula & ebrietate, &c.

Sed litem componat veneranda & Orthodoxa Antiquitas.

B. Auguſtinus ad Ianuar. Epiſtol. 119. Quod ſcripſiſti quoſdam fratres ita temperare à carnibus edendis, vt immundos qui comederint arbitrentur, apertiſſime contra fidem ſanamque doctrinam eſt.

Idem contra Fauſtum Manichæum libro 16. capit. 31. Neque enim hæc propter continentiam diſciplinamque domandi corporis tangere prohibetis, ſed quod immunda ſint, nam ea ſordes & fel gentis tenebrarum eſſe perhibetis, contra Apoſtolum dicentem: Omnia munda mundis.

Ibidem. Audite & intelligite, non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit de ore coinquinat hominem.

Tertullianus libr. aduerſus Pſychicos capit. 1. De cætero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ diſciplinæ pro temporibus & cauſis vniuſcuiuſque. Sic & Apoſtoli obſeruarunt, nullum aliud imponentes iugum certorum & in commune, omnibus obeundorum ieiuniorum:

Idem in Epiſtol. de cibis Iudaicis. Deus ventre, inquit, non colitur, nec

cibis,

c bis, nam qui per escas Dominum colit, prope est, vt dominum habeat ventrem suum: Cibi & potus non ad Dominum perueniunt sed ad hominem. Non enim carneus Deus est: vt carne placetur: nec in has voluptates attonitus, vt nostris gaudeat cibis. Deus sola gaudet fide nostra, sola innocentia, sola veritate, solis virtutibus nostris, quæ habitant non in ventre: sed in animo, quasque nobis acquirit diuinus timor & cœlestis metus, non terrenus cibus.

Socrates lib. 5. cap 22. Euangelia non imposuerunt, inquit, iugum seruitutis, sed homines ipsi suis quisque locis propter remissionem, & memoriam passionis, pascha, & alios dies festos sicut voluerunt, ex consuetudine quadam celebrarunt. Non enim hoc vel seruator vel Apostoli lege quadam obseruandum esse mandauerunt.

Vögel seind pi.c s aeris. se cundum Physicorum illud: aer est humidior aqua.

Cassiodorus lib. 5. cap. 38. Alii (per ieiunium quadragesimale) pisces tantum comedunt, alii vna cum piscibus vtuntur etiam volatilibus: alii vsq; ad nonam ieiunantes, sine discrimine ciborum reficiuntur. Puto Apostolos singulorum hoc reliquisse sententiæ, vt operetur quisque non timore aut necessitate quod bonum est.

Chrysostomus in Matt. Homil 47. Christus non iubet vt ieiunium eius imitemur.

Hilarius in Ps. 66. Hæretici sicco, inquit, panis cibo viuunt, sed quis tandem otiosi huius propositi profectus est? Totum hoc inane, atq; ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile.

Hieronymus ad Nepotianum. Quid prodest, inquit, oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Audio præterea quosdam contra regulam, hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita holera, betarumque succum, non calice sorbere sed concha. Proh? pudor? Non erubescimus istiusmodi ineptiis? nec tædet superstitionis? insuper etiam famam abstinentiæ quærimus? &c.

Erasmus Lutherisat.

Obdat nunc ostio hunc pessulum Magnus ille Erasmus Roterodamus vir argutissimi & subactissimi tum ingenii, tum iudicii: Sic autem iste in annotat. in 14. ad Romanos, de ieiunio certis diebus & delectis cibis loquens: Maior est, ait, in his rebus superstitio apud Christianos, quam vnquam fuit inter Iudæos, &c.

Concilium Bracarense.

Concilium Bracarense secundum Anno 519. celebratum anathematizauit abstinentes ab esu carnium nisi continentiæ causa.

Conci-

Concilium Toletanum decimum tertium anathematizauit prohibentes esum carnium.

Concilium Tolet.

DECIMVS SEPTIMVS CONSENsus sanæ Antiquitatis cum D. Luthero circa locum DE ANTICHRISTO.

LVTHERVS noster è verbo Dei, vaticiniis Danielis, Apostolorum Petri & Iohannis & inprimis ex cœlesti Theologia Archiapostoli & Doctoris gentium lucidissime demonstrauit ipsummet Papam Romanum esse verissimũ Antichristum & Romam verissime esse magnam Babylonem, quæ foris sit Helena quædam, sed intus dira & terribilis Hecuba, interfectrix sanctorum, &c.

Pontificii & inprimis hoc tempore Iesucidæ hic contra nos Lemnio obtutu rursus mordent labra: Nimirum saburrati & suffarti hi ventres deliciis rubri Draconis distenti & oppleti pro Deo suo ollari mascule pugnare & sudare anhelant, simulque in nos loquuntur gladios, ferrum, lapides. Abducunt disputatorem longissime à Papa Romano in Chaldæam Babyloniam veluti in quandam Vtopiam vbi de tribu Dan Antichristus debeat nasci. Cum iamdudum tribus Dan cum reliquis tribubus Israel partim deleta partim confusa sit & nihil ad Ecclesiam pertineat. Sic nimirum saluare & intactam libenter Thaidem suam Romanam Pontificii & Iebuistæ, verum naso trahendi sunt hi è culina Papæ vapidi fraterculi ad vaticinia Pauli in nouo Testamento, qui diserte docet, Antichristum in vera filii Dei Ecclesia dominaturum, facta prius à fide defectione, & operaturum mysterium iniquitatis.

Iesuita mordent labra.

Antichristus è tribu Dan in Vtopia, in noua Zembla weit weit von Roma.

o frontes!

Cum Paulo consentire adseueramus Danielem, Iohannem & Petrum, qui viuis coloribus depinxerunt hodiernum Antichristum Romanum, ac si exerto indice digito notas & maculas, in ista bestia commonstrarent, è quibus propriissime conspici, dignosci & cognosci possit, quod Papa Romanensis hodiernus sit vere Magnus ille ἀντικείμενος & aduersarius filii Dei & sanctæ eius vere Catholicæ Ecclesiæ, siquidem ex se Deum facit, peruertit cœlestis doctrinæ capita, prophanat, mutilat & conspuit Sacramenta, defendit infinitos palpabiles & millies à nostris Theologis ad verbi diuini lucem monstratos errores, idololatriam, superstitiones & fanaticos cultus,

Hic in complexu seu lacu videt Lector notas Antichristi in hodierno Papa splendẽtes.

abducit homines à Christo in loca deserta, in monasteria, in vota quæ sunt pedicæ & laquei animarum, gestat gladium Politicum, calcat Dinastas, Imperatores, Reges, principes, pedibus, quibus etiam proculcat sanctimoniam coniugii, prohibet cibos, iactat falsa & Sathanica sua prodigia, virtutes, signa, mendacia ferro & igni prosequitur, & mactat Christi adseclas, iactat se caput Ecclesiæ Christi, cuius caput solus est Christus.

Et quis omnia dinumeret, è quibus ceu infallibilibus notis, signis, coloribus, maculis hæc bestia Antichristica cognosci & debet & potest, quemadmodum duce scriptura sacra iubemur, &c. In hoc enim scripturarum oceano balneandi sunt Iesuitæ & reliqui Catelli de mensa Antichristi saginati, nec attendendum, si vel maxime caperare pergant frontes, & caudam intra crura reflectant, inque nos tragico verborum charactere & nouercali æstuent odio, vnice ob hanc causam, quod eos ex Vtopia, & de tribu Dan & è Chaldæa retrahere soleamus ad oracula Apostolica & veras Antichristi notas.

Velint nolint audiant Pontificii consensum sanctæ & venerandæ Antiquitatis quæ Antichristum Romanum præuidit, descripsit & cum Luthero nostro eandem de eodem sonore cantilenam cantitat.

De Antichristo Romano.

Irenæus lib. 5. cap. vltimo fol. 365. b. Edition. Parisiens. in 8. Anno 1563. Numerus nominis bestiæ, secundum Græcorum computationem per literas quæ in eo sunt 666. habebit. At Latinus nomen 666. numerum habet. Valde ergo verisimile est, hoc nomine notari bestiam, quoniam verissimum regnum habet hoc vocabulum. Latini enim sunt, qui nunc regnant.

Idem ibidem cap. penult. Antichristus cum sit seruus, tamen adorari vult vt Deus.

Augustinus de ciuit. Dei lib. 20. cap. 19. Nulli dubium est, quæ 2. Thes. 2. habentur Apostolum de Antichristo dixisse. Ego autem prorsus quid dixerit me ignorare fateor, suspiciones tamen hominum quas vel audire vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano, & propterea Paulum Apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optauerit, cum speraretur æternum. Illud sane, quod ait Apostolus, tantum, qui modo tenet, teneat, de medio fiat: non absurde de ipso Romano creditur imperio dictum, tanquam dictum sit, tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat: hoc est, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus, quem significare Antichristum nullus ambigit.

Idem

Idem Tractat. de Antichrist. Tom. 9. fol. 816. Edition. Basil. 1529. de Antichristo scire volentes, primo notabitis, quare sic vocatus sit, ideo scilicet, quia Christo in cunctis contrarius erit & Christo contraria faciet. Christus venit humilis: Ille veniet superbus, Christus venit humiles erigere, peccatores iustificare: ille contra humiles deiiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, semperq; vitia, quæ sunt contraria virtutibus, docebit, legem Euangelicam disputabit, Dæmonum culturam in mundo renouabit vel reuocabit: gloriam vanam quærens; omnipotentem Deum se nominabit.

Verum signum Antichristi

Idem in Psalm. 9. Antichristus ad tantum, inquit, culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in sanctos Dei, vt nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere.

Ibidem: Ita, inquit, traditur de Antichristo, quod omnes Reges superaturus sit, & solus regnum obtenturus.

Idem de Genesi contra Manichæos, lib. 2. cap. 1. Roma est, inquit, quasi secunda Babylon.

Idem in Psalm. 44. Ciues Babylonis nos fecerant: Dimisimus creatorem: adorauimus creaturam: Dimisimus eum à quo facti sumus: Adorauimus illud quod fecimus.

Hieronymus ad Algariam quæst. 11. Secundum Apocalypsin Iohannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptũ est nomen blasphemiæ, hoc est, Romæ æternæ. Si enim aperte audacterque dixisset Apostolus: Non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium. Iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur.

Idem in Prophetam Nahum cap. 3. Quoscunque Diabolus deceperit & quasi suaui & pernicioso carmine Syrenarum illexerit ad dormiendum, eos excitat sermo diuinus & dicit: Surge qui dormis, & eleuare & illuminabit te Christus. In aduentu ergo Christi, & sermonis Dei & doctrinæ Ecclesiasticæ & consummationis Niniuæ & speciosissimæ meretricis, eleuabitur populus & properabit, qui sub Magistris antea erat sopitus: Et ibit ad montes scripturarum, ibi inueniet montes, Mosen, Iesum filium Naue, montes Prophetas, montes noui Testamenti Apostolos & Euangelistas: Et cum ad tales montes confugerit, & in huiusmodi montium lectione fuerit versatus, si non inuenerit qui eum doceat (messis enim erit multa, operarii pauci) tamen & populi studium comprobabitur, quod confugerint ad huiusmodi montes, & magistrorum negligentia coarguetur.

Idem in Matt. ca. 24. li. 4. Abominatio desolationis intelligi potest omnè dogma peruersum: quod cum viderimus stare in loco sancto, id est, in Ecclesia, debemus fugere de Iudæa ad montes (scripturarum.)

Idem in Hieremiam lib.1.cap.4. Ipsi quoque sacerdotes, qui legem Domini docere debebant, & subiectos sibi populos à Leonis (id est Diaboli) furore defendere, quodam stupore infatuati vertentur in amentiam.

Idem in Nahum: cap.3. Scit rex Assyrius (id est Diabolus) non posse se oues decipere, nisi pastores ante consopierit. Semper Diaboli studium est, vigilantes animas consopire.

Idem in Sophon. cap.1. Auferet Dominus nomina vanæ gloriæ & admirationis falsæ, quæ versantur in Ecclesia, sed & nomina sacerdotum cum sacerdotibus, qui frustra sibi applaudunt in Episcopali nomine & presbyterii dignitate, & non in opere.

Idem in Esa. lib.12.cap.49. Postquam conuersi fuerint, & clarum Christi lumen aspexerint, pascent in viis, & in semitis sanctarum scripturarum. Et dicent: Dominus pascit me & nil mihi deerit.

Ibidem lib.9.cap.30. Hæc est via, ambulate in ea Neque ad dextram, neque ad sinistram: Tunc omnes errores, & idola, & similitudines veritatis comminues atque disperges: Et ita iudicabis immunda, & ea menstruatæ mulieris sordidissimo sanguini compares.

Idem in Catalogo scriptor. Ecclesiæ: in Marco. Petrus in prima Epistola sub nomine Babylonis Romam significat.

Gregorius Magnus in Hiob. cap.41. lib.33. cap. 22. Antichristus veniens, inquit, etiam ipsas summas seculi huius potestates obtinebit.

Ibidem idem cap.9. lib.29. In diebus illis, inquit, Ecclesia quasi quodam senio debilitata per prædicationem parere filios non valebit.

Tertullianus lib. aduers. Iudæos. Babylon apud Iohannem nostrum Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ & regno superbæ & sanctorum debellatricis.

Idem lib. de resur. carnis. Abscessio Romani status (hoc est Rom. Imperii labefactatio) in decem Reges dispersa Antichristum superducet & tunc reuelabitur iniquus.

Chrysostomus in 2. Thess. 2. Hom.4. Donec imperii illius timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur: quando vero istud imperiũ destructum fuerit, vacantem imperii principatum inuadet & tentabit ad se rapere & hominum & Dei imperium.

Idem in Matt. Hom.19. Qui mendax est, neminem putat verum dicere, ne ipsum quidem Deum.

Idem ibidem Hom.49. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, id est, qui sunt in Christianitate conferant se ad scripturas. Montes sunt scripturæ Prophetarum & Apostolorum, &c. Sciens Dominus, tantam confusionem

nem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideo mandat, vt Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alias res aspexerint, scandalizabuntur, & peribunt, non intelligentes, quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis.

R. Leui, Ben Gerson, Iudæus (vt & hunc ad compescendum os Papistarum mendax introducam) commentatus est Hebraice in Danielem Prophetam: vbi Pontificem Romanum Bestiam illam à Propheta descriptam vocat, eumque Pharaonem appellat. NB. Hinc refutantur somnia Papistarum dicentium Antichristum quendam singularem oriturum de tribu Dan & in monte oliuarum interiturum, & alia. Cum Iudæi nunquam Christiani fuerint aut esse velint. Vixit autem iste R. Leui Ben Gerson Anno Christi 1440. sub Imperatore Friderico 3. & Eugenio 4. Papa.

Sed satis etiam de his iam dicta sunto.

Conclusio huius Sectionis.

Ex his quæ fusius, quam par erat, iam de consensu venerandæ sanæ & orthodoxæ Antiquitatis cum Luthero nostro recensui, quilibet qui non est Lucianus & Antichristi furioso poculo intoxicatus, facere iudicium facilime poterit, Religionem & doctrinam quam vir Dei Lutherus nostro seculo diuinus ad id excitatus & quasi ab ipsismet Papistis per crines protractus, instaurauit, non esse nouam & recens natam fictam & coctam, quemadmodum hodierni Iesuitæ & scriptorculi Romanenses impudentissime cauillantur, sed esse potius veterem, antiquissimam & sanam doctrinam diuinitus per Prophetas & Apostolos traditam, quam etiam primis annorum ab exitu Apostolorum decursibus sancti Ecclesiæ Patres, Episcopi, Confessores & Martyres constantissime & incorrupte sonuerunt & propagarũt. Contra vero vel manibus quis palpare & contrectare potest, Matæologiam Romanensem esse verissime nouam & recentem per proxima aliquot retro secula, sub pallio Romani Baalis natam & progenitam, quæ eo etiam vnice tendat, vt relictis viis antiquis, deflectamus ad iter, & Euripum mendaciorum, tenebrarũ & sempiterni interitus Si sapis ergo, Christiane mi Lector, amplectaris veritatem cœlestem, quam noster Lutherus nostro seculo cordate & sancte propugnauit, & adhuc in nostris Ecclesiis per vigilantes excubitores pie & fideliter adseruatur, explicatur, inculcatur: Certus sic esse de salute animæ tuæ poteris. Interim pudeat Papistas tam spissi mendacii, quod, dum nostram Religionem & doctrinam nouitatis cuiusdam schemate obturpare conantur, prorsus inuerecunde committunt, pro quibus tamen mendaciorum institoribus libentissime, si modo sanabiles

essent, preces fundimus, vt discussis tantis caliginibus emergant ad clarorem & lucem veritatis Euangelii Iesu Christi & relicto mendaciorum architecto Sathana eiusq; sobole Antichristo Romano, æternum seruentur, verum qui sanabiles non sunt, & in Spiritum sanctum blasphemando peccare non desinent, inque reprobum abiecti sunt sensum, eos Christo iudici iusto committimus. Principi enim tenebrarum mendaci & homicidæ pars, quæ est eius, permittenda est, &c. Christe serua nos in veritate tua: Sermo tuus est veritas Amen.

SECTIO VIGESIMA.

Luthericos non esse Apostatas & Hæreticos, sed Antichristum Romanum eiusque caudas & cicadas, Monachos, Canonicos, Iesucidas, &c. verius, imo cer o esse portentosos à fide vera Apostatas & hæreticos.

Inquisitio Hispanica. CREBRO contra nos Pontificii eructant, quod simus Apostatæ schismatici hæretici, quo nomine etiam infame collegiũ Inquisitorũ hæreticæ prauitatis inter eos ortum est, huius Tyrannide multæ myriades Christianorum proximis annis per Hispaniam Gallias, Belgium, Italiam, Britanniam, Germaniam, Bohemiam, Bauariam, Transyluaniam, Stiriam & alibi trucidatæ sunt truculentissime. Licet vero è præmemorata sectione proxima liquido constare possit, vtra pars, nosne vel illi crimine apostasias, schismatum & hæreseos laboret, breuem tamen discursum singulariter hac vice instituam.

Hæresis quid. Hæreseos non potuimus hactenus solide conuinci, nec eius nobis conscii sumus. Hæresis enim falsum habet dogma, & fidei sinceritatem euertit, simulq; tale vitium est quod aliquando latet sed tandem cum offendiculo erumpit. Alii rotundius definiunt hæresin, quod sit error, qui diuini verbi veritati aduersatur & acriter pertinaciterque propugnatur. Secundum hanc definitionem si nostra confessio & Religio examinetur, patet ilico nos in tali volutabro non hærere sed potius ipsosmet papicolas huius definitionis coloribus probe & conuenientissime colorari & depingi. Non etenim nos tuemur errores sed Articulos fidei & confessionis tales, qui sunt ex immoto verbi Dei fundamento exstructi & nequaquam illi aduersantur, nedum contra Dei verbum eiusque veritatem cœlestem pertinaciter defensantur à nobis & mordicus propugnantur errores.

Fri-

Frigida & sculponeis Beanorum digna est sententia Nicolai Papæ Distinction. 22. Omnes, &c. Qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium auferre conatur, hic proculdubio labitur in hæresin, &c. Quasi vero sit mox hæresis & mortale peccatum diuersum sentire ab ista Antichristicæ Ecclesiæ seu Malignantium colluuie & tyrannide? *Definitio Rhadamanta stylo concepta.*

Longe constantius & verius B. Hieronymus Distinction. 24. quæstio. 3. Hæresis est, &c. Quicunque, inquit, aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. Et ipsemet Archiapostolus & Doctor gentium vocatus in iudicium, vt causam diceret de hæresi: Ego quidem, inquit, iuxta hanc viam, quam isti hæresin vocant, colo patrium Deum, credens omnibus quæ scripta sunt in lege & Prophetis Actorum 24. versiculo 14. *Hieronym.*

An vero iam Lutherani vel Papicolæ scripturas sacras sequamur, conflictus Theologici per complures hactenus annos euidentissime demonstrare potuerunt. Nam à nostra parte sacrosanctas scripturas in sano sensu tenemus, & contra vestras ô papicolæ, superstitiones & errores multiplices quos pertinacissime contra verbi cœlestis veritatem defensatis, & adhibito ferro, flamma, & ponto acerrime propugnatis, strenue depugnamus prœliamur & militamus, id quod nemini, modo proximorum elapsorum temporum & certaminum non sit prorsus ignarus, ignotum esse potest. De Papicolis recte quis vsurpauerit, quod olim Cyprianus Nouatianis hæreticis dixit. Tom. 2. ad Nouat. Audite Nouatiani, apud quos scripturæ cœlestes leguntur potius, quam intelliguntur. *Cyprianus.*

Nec apparet quo lixiuio maculam pudendæ hæreseos à se abstergere Romanus Antichristus eiusque Ecclesia possit, siquidem manifeste falsam & erroneam doctrinam fouet pertinacissimeque defensat, & quasi in cœlos exspuendo præfracte & mordicus retinet: vtique Papa ostentat se in Ecclesia ac si sit Deus extollitque se super omne quod colitur in cœlo & in terra 2. Thessal. 2. versicul. 4. Extr. de Translat. Episcop. Papa potest ex nihilo facere aliquid, & sententiam quæ nulla est, facere aliquam. *Papa & eius manipulares hæresi manifeste laborãt.*

Item distinction 21. Inferior sedes, &c. An gloriabitur serra aduersus eum qui trahit eam? Ergo neminem ea audacia oportet esse, vt de Papa iudicium faciat. Hi, hi, sunt efficaces illi errores, quos Deus illi Papastro immisit, & vniuersæ eius societati, vt crederent mendacio, quia amorem veritatis non receperunt. 2. Thessal. 2. versicul. 10. Pudendus etiam est error, quod prohibet coniugium quod est proprium Antichristi in quarto mo-

to modo teste Apostolo.1.Tim.4.v.1.2.3. vbi prædicit, fore in nouissimis temporibus, qui deficiãt à fide, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum per hypocrisin loquentium mendacia & prohibentium contrahere matrimonium? Quid? Sitne fœtens hæresis, quod Papa & eius adseclæ prohibent cibos quos Deus creauit ad percipiendum fidelibus cum gratiarum actione? 1. Tom. 4. v. 3. Quin imo Antichristiana hæc factio turpissimam committit hæresin, dum multipliciter officium Christi mediatoris totumque opus redemptionis attenuat, mensurat, limitat, & ceu sit insufficiens blasphemè traducit: Anne hæc omnia coniunctim & singula seorsim (vt interim traditiones humanas in Papatu doctrinæ Christi è Diametro repugnantes & plurima alia huius furfuris & figulinæ silenti pede nunc transeam) putentem & abominabilem resipiunt hæresin? quis excuset?

Apostasia & schisma Lutheranorum. Cæterum Apostatas & Schismaticos solent nos papicolæ vocitare, quia defecerimus ab ea Ecclesia, in qua multa millia Martyrum sanguinem suum profuderint, quæ ipsa sit vera Christi & Apostolica Ecclesia. Grauis certe hæc est, quam nobis adeo toruo supercilio intorquent intentantque *Dica*: grauis ignominiæ nota.

At vero non defecimus à Christi & Apostolica, sed à (fatemur ingenue) Pontificia Romana Antichristiana Ecclesia, vel Tyrannide potius, quæ rerum potita fuerat, sedens in Templo Dei, & sic ab Antichristo Romano à multis tum & ante aliquot secula sic dicto, agnito & habito nos defecisse nullatenus diffitemur, quo nomine insuper summas Deo agimus gratias. In Ecclesia autem Christi quæ sub isto lupo Tyranno & Antichristo pressa fuit, semper nos mansisse, atque mirabiliter, diuinitus de ore istius Leonis fuisse conseruatos adseueramus, sicuti dum pastor eruat duo crura aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israhel, inquit Propheta, qui habitant in Samaria, hoc est veræ Ecclesiæ membra, sub istis Tyrannis & Antichristis, sub quibus Deus semper sibi sua seruauit septem millia, fuerint conseruata Amos 3. vers. 12. 1. Reg. 19. vers. 18. Sic tetro halitu in nos mentiuntur papicolæ dum clamitant nos à Martyrum sanctorum Ecclesia discessisse. Potius cum ea manemus & coniuncti sumus, fide, inuocatione, & confessione vnius & eiusdem doctrinæ, & Sacramentorum vsu.

Nemo Martyr pro Antichristi doctrina factus. Nec quisquam sanctorum Martyrum mortem subiit pro abominandis Antichristi Romanensis erroribus, vtpote pro confirmanda missa illa profana (oleto sane Diaboli) pro mortuorum inuocatione, pro satisfactionibus peccatorum per opera, aliisque plurimis impietatibus, quæ longo post tempore paulatim in Ecclesiam irrepserunt & inuectæ sunt, sed potius fortiter

titer occubuerunt pro nomine Christi vnici Dei & hominum Mediatoris, propitiatoris, satisfactoris, qui sua passione & vnica in crucis patibulo facta oblatione victima factus expiauit peccata totius humani generis, eaque saluandos omnes in æternum consummauit. In hac sanctorum Martyrum & confessorum Ecclesia, confessione fidei, & vnius Dei inuocatione, nos per Dei gratiam sumus, stamus & perseueramus, sed à synagoga Romanensi, quæ priorà Christo sponso defecit, persecutrice sanctorum, Babylone illa magna meretrice ad mandatum Dei defecimus & secessimus. Exite de Babylone populus meus, inquit cœleste oraculum Iohanni redditum Apoc. 8. vers. 4. ne participes sitis delictorum eius. Apostasiam & secessionem negare non possumus: sed iustas nos illius causas habuisse profitemur. Namq; sinceritas fidei, doctrinæ & inuocationis, sic vsq; sub Antichristo corrupta fuit, vt sanam doctrinam secundum Apostolos non potuerimus addiscere vel docere: Solus autem laudabilis est in Orthodoxa fide doctrina & inuocatione consensus & concordia: sana doctrina amissa non amplius quærenda est συστασία sed ἀποστασία necessario committenda est. Accesserat & hoc, quod vsus Sacramentorum genuinus & institutioni Christi respondens in Antichristi Ecclesia non fuerit amplius superstes, sed sputis & muco Papæ rubri Draconis obsitus potius & sepultus squalebat & conticuerat. Sublata autem sana doctrina & legitimo Sacramentorum vsu remoto, simul Ecclesiam Christi veram amiseris. Imo pii confessores è synagoga hac Romanensi à furiosis Papistis in hunc vsque diem violenter expelluntur nisi velint igni & aquis, ferro & restibus perimi. Et sic manifesta necessitate Apostatæ fiunt, sancti Dei homines, qui ab illa factione Ecclesiæ malignantium non solum prompte sed & violenter extrusi & profligati, excommunicati & anathematisati inde abeunt & digrediuntur.

Quales Apostata sint Lutherani.

Optandum quidem fuerat, sanam doctrinam publice fuisse ab omnibus admissam: quod cum nolint Papicolæ sed errores veriti præferant, debuit reliqua pars Christum potius sequi, quam errores Antichristi exosculari & approbare.

Hac ratione libenter nos nominari Apostatas & schismaticos permittimus: similes enim sic sumus Abrahamo egresso olim è Chaldæa, Lotho è Sodoma, Christo è Iudæorum Synagogis, Paulo à Pharisæis, Danieli è cauea Leonum, tribus adolescentibus ex incendio, B. Augustino è Manichæis, & viatori ex specu aspidum & latronum, vel etiam similes sumus Hebræis ex Ægypto digressis, de quibus B. Hieronymus ad Fabiolam de 42. Mansionibus, Mansion. 1. Hebræi dicunt, inquit, ille, quod ea nocte qua

Abrahamus Apostata Lothus, Christus Paulus, Daniel.

egressus est Israhel ex Ægypto, omnia in Ægypto templa destructa sint siue terræ motu siue ictu fulminum. Spiritualiter autem dicimus, quod egredientibus nobis ex Ægypto (id est idololatrarum societate) errorum idola corruant, & omnis peruersarum doctrinarum cultura quatiatur, &c.

Sic venerabilis Beda lib. 3 in Apoc. cap. 18. v. 4. dum verba illa (exite de illa populus meus) interpretatur, Inducit discessionem, inquit, quæ est ruina Babylonis. Cum enim Loth discesserit à Sodomis, Sodomæ funditus tollentur. Et rursus ibidem cap. 19. Post hæc audiui vocem Alleluia, Laus & gloria & virtus Deo nostro. Hæc nunc, inquit Beda, ex parte dicit Ecclesia: tunc autem perfecte dicet, cum discessio facta fuerit, nimirum ab Antichristo seu Babylone.

Hac, inquam, ratione Ecclesiæ Luthericæ digressæ sunt, non à Christo, Apostolis, sanctis primæuis Ecclesiæ patribus, & beatissimis Martyrum cœtibus, sed ab Antichristo filio perditionis, rubro Dracone & Bestia Apocalyptica, eiusque ranis, squamis, locustis, caudis & fucis. Si enim quis sese cum hisce commisceat, ad Deum peruenire nequit. Progressæ autem sunt dictæ nostræ Ecclesiæ ad Dei verbum, ad instituta Apostolorum, ad sanctimoniam primitiuæ Ecclesiæ veterum Patrum & Conciliorum Orthodoxorum.

Sic discessimus, inquam, à pastoribus qui verius erant lupi & perdebant gregem, qui verbum Dei & instituta Christi sublimato naso deridebant, sanctos persequebantur, qui gentiliter agebant sub prætextu nominis & cultus diuini, qui expertes erant Christianæ dilectionis, fidei, inuocationis, spei, humilitatis, breuiter: è sentina & volutabro hæreseos, Schola errorum, blasphemiarum, superstitionum & infinitarum desperationum, pedicis, laqueis, tendiculis, &c.

Præclare B. Augustinus de vnitate Ecclesiæ cap. 10. Ne Catholicis quidem, inquit, Episcopis consentiendum est, sicubi falluntur & contra scripturas canonicas aliquid sentiunt.

Ambrosius Epist. ad Theodos. & Valentin. Nullus, inquit, pudor est ad meliora transire.

Chrysostomus ad populum Antiochen. Homil. 17. Mihi, inquit, ciuitas non habens pios ciues, omni villa vilior est & quacunque spelunca ignobilior.

Papistæ hæretici. Retorquemus ergo in Antichristum Romanum, Monachos, prælatos, Iesuitidas, Canonicos, & similes Papæ Romani iuratos adseclas, merito ista dicteria & titulos, quos nobis impotenter intentant. Et solide vereq; dicimus, quod ipsi sint schismatici & Apostatæ, quia ipsi defecerūt per impium disci-

discidium & discessum à verbo Dei, à iussis Christi, ab Apostolorum institutis, à primitiuæ Ecclesiæ exemplis, à veterum Patrum & Conciliorum decretis & statutis: Sed quo? ad quem? Resp. Ad Antichristi idolum & placita, qui nimium insolenter dicit, se errare non posse, & quicquid agat, non posse se à quoquam mortalium, iudicari, etiamsi mille animas secum in æternas abducat flammas: qui porro imperium affectat, nō tantum in homines sed etiam in Angelos Dei, vt eant, redeant, ducant animas in ignem purgatorium, easdem inde reducant cum ipse velit, &c.

Hic etenim Regula figenda est hæc: Schisma vere efficit, non qui ab impiis secessionem facit, sed qui à piis. *Regula.*

Præclarus & insignis locus est apud Chrysostomum Homil. 49. in Matthæum, quem libet subiicere. Sic de noua, inquit, Hierusalem, id est, de Ecclesia, qui spirituales Christiani fuerunt relicta corporali Ecclesia, quā perfidi occupauerant, violentia, exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt à nobis, sicut Iohannes exponit. Non enim ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis Ecclesiasticæ fundamenta reliquit. Nos enim ab illis exiuimus corpore: illi à nobis animo: Nos ab illis exiuimus loco: illi à nobis fide: Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum: illi apud nos reliquerunt fundamenta scripturarum. Nos ab illis egressi sumus secundum aspectum hominum, illi autem à nobis secundum iudicium Dei. Relicta est autē deserta, ex qua de illa corporali Ecclesia spiritualis exiuit: id est, de populo suo, qui videbatur esse Christianus & nō erat, populus iste exiuit, qui non videbatur, & erat. Magis autem, secundum quod diximus, illi à nobis exierunt, quam nos ab illis, &c. Pro conclusione huius sectionis breuiter subscribo de hæretico Papa Romano, quæ Stephanus Szegedinus Theologus Transyluanus habet in Speculo suo Pontificum. p. 188. Sic autem iste disserit. Cur hæreticū nominas Papam? Resp. Quod plerique hæreseos labe infecti sint. Anastasius 2. fœde admodum sensit de Christo, & cōmunicauit Photino, qui Achatio hæretico fauebat, vnde & Achatium hæreticum reuocare volebat. Verum id efficere non potuit: nam diuino iudicio percussus opus naturæ perficiēdo, intestina emisit, sicut & Arrius periit, de quo vide Dist. 19. Can. Anastasius 2. in gloss. & Can. secundum, in gloss. Liberius Papa etsi primum Arianæ hæresi restitit, tamen cum à Constantino in exilium missus esset, tædio exilii victus, (vt ait Hieronymus in Chronicis) in hæretica prauitate subscribens, Romam iterum venit & Felicem 1. Pontificatu expulit: qui alios primum de constantia exhortatus fuerat, vt est causa 7. quæstion. 1. Cau. Suggestum. Ipse victus tandem est.

Szegedinus.

Anastasius Papa Photinianus, desperate moritur.

Liberius Papa Arrianus.

Felix 1. Papa Arrianus. Felix 1. & ipse Arrianus fuit: Sed ob metum Imperatoris, dissimulauit errorem. Celebratæ quoque sunt synodi, eo tempore Mediolani & Arimini, diuersæ plane decretis Concilii Niceni: sed illorum sententiæ postea reiectæ sunt. Nam ad destructionem fidei magis quam ad ædificationem erant. Vide & Ockam in compendio errorum Iohannis 22. circa finem.

Bonifac. 8. Bonifacius 8. post mortem hæresis suspicionem non vitauit, & tamen eius decreto passim vtuntur.

Clemens 5. Clemens 5. qui Clementinarum librum edidit, librum suũ propter multos errores & enormia flagitia, quin & Sabinianus Gregorii libros quosdam ob hæresin (vt ipse dicebat) combussit, & combussisset reliquos etiam, nisi Petr. Diaconus vehementissime restitisset.

Marcellinus Dioscorus. De hæresi Marcellini lege Distinct. 21. Can. Nunc autem. Iohannes 23. in Concilio Constantiensi iudicatus est hæreticus. Dioscorus Papa Ecclesiæ Romanæ post mortem anathemate percussus est, vide Caus. 24. quæstion. 2. Can. Sane profertur. § item Romanorum. Et Distinct. 21. Can. in tacitum. Taceo reliquos, quis enim omnes percensere posset? Vide caus. 24. quæst. 3. quidam, dictione, Luciferiani. Hactenus è Speculo.

SECTIO VICESIMA PRIMA.

Recenset testimonia & indicia præstantissimorum virorum de viro Dei D. D. Martino Luthero, Theologo Opt. Max.

QVAM impotenter Papicolæ proscindant mendaciis,, calumniis, sarcasmis virum Dei D. Martinum Lutherum eiusque confessionem verbo Dei conformem traducant prolixe hactenus dictum est: Operæ pretium igitur fuerit, si hic meminerimus, morem hunc non esse nouum sed antiquissimum, nimirum quod impii maledicant piis, hæretici criminentur Orthodoxos, &c. Præter Biblica testimonia & exempla, quæ ex vtroque testamento sine labore peti & huc adscribi possent, annotauit B. Augustinus lib. de vtil. Cred. cap. 7. & lib. contra sermonem Arrianorum. cap. 16. quod varii hæretici Ecclesiæ Orthodoxæ diuersa nomina imposuerunt: Sic Donatistæ hæretici dominarunt olim Orthodoxos, quod essent Traditores. Arriani hæretici vocabant Orthodoxos, Homousianos, Christum ipsum dicebant Iudæi Samaritanum & Dæmoniacum Iohann. 8. versicul. 48. Nostro tempore Albertus Hungerus Mathæologus Bauarus Theologiam

Varia ignominiosa nomina imposita vera olim Ecclesia ab hæreticis.

Albert. Hungerus.

giam Lutheri singulari edita spermologia, Epicuri placitis conformem conatus est (sed valde frustra) commonstrare, quem insulsum & Sathanicum conatum D. Otho Gvvaltperius & D. Antonius Probus infregerunt & contra demonstrarunt Religionem Papisticam esse quasi tunicam, quæ consuta sit ex Iudaismo Paganismo & Christianismo.

Sic nuper Nicolaus Serarius Iesucida & Monachus Moguntinus elumbes emisit quasdam chartulas, in quibus potissimum tractat hoc argumentum, quod Lutherus fuerit discipulus Diaboli, & homo iste contra propriam suam conscientiam (nisi illa sit in eo forte præmortua) in testimonium ipsiusmet D. Lutheri confessionem ex Tom. 6. Ienensi ridicule vel quasi producit. Sic ignauus iste scriptorculus sperat se à fortissimo Heroe Luthero, cuius viui Leoninos oculos & obtutum tolerare nequiuisset, reportaturum materiam triumphi. At vero & huius Nani Moguntini serram hebetauit & contriuit solido suo responso CL. D. Doctor Fridericus Balduinus Theologus VVitenbergensis, fautor & amicus noster reuerenter colendus. *Nicol. Serar.*

Nihil autem moueri debemus quoties talium calumniatorum mendacia in Lutherum congesta audimus, sed potius condoleamus misellis illis catellis, qui irrauco suo latratu Heroem nunquam fregerunt, nec frangent vnquam, etiamsi turpi sese disruperint aluo. Moribus suis istis relinquendi sunt. Sues enim quisquiliis capiuntur.

Interim tamen adseruanda sunt testimonia & iudicia sincera & vera præstantium virorum è pio, honesto & cordato pectore ἄνευ προσχρίματος, ἄνευ λιχνείας profecta, quibus Lutherum ceu diuinum organon eiusque labores toti Ecclesiæ Iesu Christi salutares liberaliter & solide cohonestarunt & magnifecerunt. *Encomia Clarorum virorum sunt asseruanda.*

Hac intentione pauca quædam summorum virorum iudicia de Luthero huc adscribo, non quod putem ad tanti viri laudes, quibus iam pridem totum terrarum orbem compleuit, me aliquam accessionem facere posse, sed potius vt scurriles sannæ, sarcasmi, risus, calumniæ, nugæ & obtrectationes Papicolarũ ad lucem & veritatem iudicorum & testimoniorũ à viris omni fide & laude maioribus profectorum, positæ in euanidos conuertantur fumos, sicut nebulas à radiis & clarore solis consumi cernimus.

Exhortatur nos Syracides cap. 43. vers. 1. vt laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. In quem sensum etiam Anshelmus in Epist. ad Cor. scribens. Qui, inquit, veritatem occultat, & qui mendacium profert, vterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. *Anshelm.*

Panegyris in Ecclesia veteri. Sic in Ecclesia veteri vsitatū semper fuisse constat, quod nimirum beatam memoriam bene meritorum sanctorum patrum reuerenter conseruarint. Quemadmodum Gregorius Nyssenus peculiari oratione panegyrica vel Encomiastica dilaudat S. Ephraem Syrum Edessenæ Ecclesiæ Theologum, *Encomium S. Ephram.* inter alia de illo: Splendor, inquit, vitæ & doctrinæ eius vniuerso orbi terrarum illuxit. Ephraem fœcunda illa Dei vitis, quæ instar dulcium racemorum doctrinæ fructus producens, Ecclesiæ filios diuina charitate nutriens explensque recreat & oblectat.

Laus Gregorii Nysseni. Suidas in Lexico, celebrat rursus Gregorium illum Nyssenum Basilii Cæsariensis fratrem tanquam omni doctrina exuberantem, & Rhetoricū vsq; adeo insignem, quam quisquam extiterit veterum.

B. Hieronymi Encomium. Similiter Beati Hieronymi, vitam, domesticos mores, & sanctos labores dulcissime celebrauit olim Seuerus Sulpitius Presbyter in Prouincia Aquitaniæ coætaneus S. Augustini lib. de virtutibus orientalium Monachorum, qui est tertius de vita S. Martini, verba eius sic habent: Igitur deinde digressus, Bethlehem oppidum petii.

Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit: vir propter fidei meritum, dotemq; virtutum non solum Latinis atq; Græcis, sed & Hebręis literis institutus, vt se illi in omni scientia nemo audeat comparare: Apud eum sex menses fui, cui continue aduersus malos pugna perpetuūq; certamen consciuit odia perditorum: oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt eum clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina: sed plane eum boni omnes admirantur & diligunt: Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Vere dixerim: Catholica hominis scientia sana doctrina est: Totus semper in lectione, totus in libris est: non die non nocte quiescit: aut legit aliqd semper, aut scribit: &c. Plura de his recēsere supersedeo.

Cur autem laudatissimis his vetustæ Ecclesiæ vestigiis insistentes non asseruemus præstantissimorū virorum eulogia & Encomia quę illis ob multas virtutes & merita vsq; ad nunquam interituram immortalitatem iuste consecranda est? hoc si intermitteremus vel negligentius faceremus, non immerito bonorū omnium reprehensionem incurreremus. Quid, inquam, obstet ergo quo minus singulariter Martinum Lutherū Germaniæ Prophetam, & Angelum Domini, Euangelii tubam & Antichristi domitorem laudemus *Lutheri laudes.* & eum nominemus victoriosissimum & gloriosissimū Iesu Christi testē, sicut B Augustinus olim nominauit Cyprianum? lib. 2. contra Iulian ca. 8. Huius sane viri in Ecclesia pro fidei integritate tanti agones fuerunt, vt etiam de ipso dictum videatur quod scriptum est Actor. 9. v. 16. Ego ostendam ei quanta eum pati oporteat pro nomine meo. In Lutheri sanguinem & caput

con-

coniurauit quondam vniuersus orbis, & commoti sunt principes terræ, gentes, regna, exercitus coierant aduersus eum, ille autem diuinum seruauit eloquium: ab omnibus piis Christum recte & simpliciter amantibus habitus orbis lumen, Euangelicæ doctrinæ palatium, vox & tuba de omnibus aduersariis suis per largitatem gratiæ Christi triumphans, quem Collegæ & familiares, viri clari & religiosi & sapientes venerati sunt olim ceu communem Patrem, fidelem seruum & domicilium Spiritus sancti, Laudatur apud Psalmistam non in vno loco (Psalm.88. vers.37. Psalm.103. vers.3. Psal. 135. vers.7. &c.) Solis pulchritudo & magnitudo, & cursus & celeritas, & vis ac facultas. Luthero autem pulchritudo fides in Christum fuit: Magnitudo, Theologia ex immotis S. sanctis scripturis hausta: Cursus, perpetua ardentis inuocationis agitatio, per quotidianarum precum incensa ad Deum ascendentium: Potentia: doctrinæ, quam cordate profitebatur, semen incorruptibile ac eiusdem dissiminatio & plantatio. Cur ergo & de hoc nobis non liceat dicere Apostolo & Angelo Domini Euangeliophoro, quod est Psalm.18. vers.5. In omnem terram exiuit sonus illius & in fines orbis terræ verba illius? Cur has laudum voces viro Dei denegemus, quem Christus sponsus & caput Ecclesiæ suæ, opposuit aduersario suo Papæ sub nouissima hæc tempora fatiscentis mundi? quem & Christus, gratia, donis, animo, intelligentia, constantiæ robore sic vsque armauerat, vt toti Auerno, portis infernalibus, potentiæ mundi & filio cumprimis perditionis esset formidabilis: nec minus Euangelicum eius eloquium instar Lampadis in vniuersum Christianum orbem resplenderet: Et instar lucernæ super candelabrum Ecclesiæ positus veræ lætitiæ & solatii lumen in contrita corda animos & conscientias nostro seculo effunderet densasq; hæreseon Antichristi caligines, pestes noctemque luce veritatis cœlestis discuteret, & quasi ventilando enubilaret? Sed audiamus Iudicia nunc eorum qui olim Lutheri nostri familiares, domestici, collegæ coætanei extiterunt & diuini istius organi labores, gratiam, preces, constantiam, sermones, pericula, vigilias & fidelissimas operas conspexerunt præsentes, vel ex certis documentis experti sunt & degustarunt. Si etenim meis omnia percenserem verbis, facile exardescere & inflammare bilem possent Papicolæ, vociferantes me nimium quid tribuere Luthero. Audiant ergo tutius alios qui forte melius & religiosius virum Dei cognouerunt quam hodierni Iesuitæ & Papicolæ, qui præcoci iudicio æstuantes Lutheri labores & merita sycophantice & mendaciter traducunt.

Lutheri pulchritudo solaris.

D. Martinus Mellerstadius Academiæ VVitebergensis primus Rector magnificus, Lutheri quotidianus obseruator & collega, quem & singulari cura habuit,

habuit, quod etiam aliis seuerissime iniunxit, sic ad eosdem verba faciens: Attendite, inquit, diligenter adolescenti Monacho Luthero: eo enim ingenio præditus est, quo nemo alius, & profectò in præstantissimum virum euadet: Hic Monachus omnes aliquando Doctores confundet, nouamque doctrinam afferens vniuersam Ecclesiam reformabit. Nititur enim Prophetarum & Apostolorum scriptis, & soli verbo Iesu Christi confidit, quod nullus vlla Philosophistica, Scotistica, Albertistica, Thomistica, neque vniuerso Tartareto confundere vel euertere poterit.

Citat clariss. IC. Iohann. VVolf. centenar. 16. Lection. memorab. & recond. fol. 72.

Huldericus ab Hutten Eques & Poeta Francus olim ad Cardinales, Episcopos, Abbates, Præpositos VVormatiæ Concilium celebrantes sic scripsit. Opprimitis, inquiens, æquitatem & conculcatis leges: Continebo præsentiam quidem meam à vobis: sententiam tamen & veritatis testimonium non continebo: Maxime iam, quando Martinum Lutherum, hominem & vita & moribus sic probatum, vt ne ab inimicis quidem vobis improbatus adhuc ibi sit, prædicatorem veritatis & Euangelicæ doctrinæ dispensatorem fidelissimum, per scelus & iniquitatem affligi à vobis, lacerari, & concerpi video, &c.

Eiusdem fortissimi viri Hutteni & istud est.

Adsere Germanum iuuenis Germane Lutherum
Te duce libertas nostra tuenda fuit.
Libertas Strygibus quæ nunc oppressa Papistis
Heu nimium longo seruit in exilio.
Ipse etiam inuictis aderit Franciscus in armis
Per quem Sicginga est nobilitata domus.

D. Iohannes Fleckius Monachus Prior Cœnobii Steinlausingensis ad Muldam prope Bitterfeldam, in refectorio primum vidit propositiones Lutheri contra indulgentias ærufcatoris Tezelii. Ibi cum alioqui silentium de more in cœnobiis recepto præstandum esset, præ gaudio ridens & gestiens (fuit autem grandi & pleno corpore) dixit Ha, ha, ha, Er ist kommen der es euch thun wirdt. Iam is venit, qui vos rectè tractabit: Monachos & sacrificulos putans.

Vnde apparet eum ante prædicationem Lutheri expectasse redemptionem Israhel, ex captiuitate Babylonica Antichristi. Iste Fleckius scripsit, inquit Lutherus, ad me statim, cum edidissem meas propositiones, optimam Epi-

Epistolam, Ich wolt zehen Gulden darumb geben/daß ich sie noch hette. Erat autem ferme hæc sententia. Venerabilis Dn. Doctor, pergite & vrgete pedes vestros: Et mihi displicuerunt hi abusus Papistici: Idem Fleckius dixit: O quanti referret adhuc vnum talem Lutherum habere, vt dignis modis Papam exciperemus, &c. VVolf. loco citato. fol. 75.

Maximilianus 1. Imperator in sera senectute sua, priusquam in Austria, postquam per annos quinquaginta quatuor molestias Romani imperii sub Tyrannide Pontificum, videlicet nequissimorum alastorum Alexandri Sexti Pii 3. Iulii 2. & Leonis 10. tolerarat, naturæ fato concederet, indixit comitia Augustana: Doctori Luthero admodum fauit, & bene cupiit. Vnde Doctorem Degenhardum Pfeffingerum Electoris Ducis Saxoniæ Iohannis Friderici Legatum iussit, hoc mandati referre: scilicet, vt hunc Monachum tutaretur, bene haberet ac tractaret: Ipsis enim breui eius operam valde necessariam esse futuram contra iniurias & conatus Romanensium. Legerat enim Imperator Lutheri disputationem, contra venditorem indulgentiarum Tezelium. VVolf. ib. fol. 114. *Maximil. 1. Imp. Lutherifus.*

Carolus V. Imperator Augustus sic iudicauit de Luthero: Weren die Pfaffen fromb/ so dörfften sie keines Luthers: hoc est: Si ordini sacerdotali Pontificio inesset probitas, non opus esset Lutheri opera. Selneccerus in oratione de Diuo Luthero. pag. 41. Idem de Augustana confessione: Die Lehre muß mehr Grund haben/ als man wol meinet. &c. Matth. concion. 15. de Luth. pag. 177.

[1] Tom. 1. German. Ienens. fol. 115. Der Bapst sol sieben/ die gelehrteste zu Rom vber D. Martini Positiones gesetzt haben/ welche nach fleissiger Besichtigũg sollen gesagt haben/ Es ist war/ was D. Martinus schreibet/ aber es ist ärgerlich. Gloss. Quia tangit pecuniam. *Septem Doctores Romæ.*

Item: Ein Prediger Mönch hat zu Rom Positiones D. Martini meynung entgegen disputirt. Da ist ein Hispanus kommen/ vnd hat den Prediger Mönch also beschlossen/ daß er gar kein Pfeil mehr hat können auffbringen. *Monachus Romæ confusus.*

Christophorus Stadius Episcopus Augustanus in comitiis Augustanis hāc vocem edidit. Illa quæ recitata sunt (nimirum Augustana confessio) vera sunt, sunt pura veritas, non possumus inficiari. Et Pontificios principes & Episcopos monuit, vt pie & prudenter in hac causa agerent, quandoquidem Lutherani nihil docerent, quod non cum articulis fidei congrueret, idcirco magis de concordia ineunda quam de bello cogitandum esse. Oro Deum, inquiens, ne peccata peccatis augeam, præsertim con-

demnatione innocentum,& ne veritati cœlesti, siue à monacho, siue ab aliis demonstratæ me opponam,&c.

Henricus Dux Brunsvvicensis in iisdem comitiis Augustanis, Philippum Melanchtonem ad conuiuium inuitans dixit, se non posse negare articulos de vtraq; specie, coniugio sacerdotum, indifferentia ciborum,&c.

Hermannus à VVida Archiepiscopus Coloniensis Ioachimo Brandenburgico de Lutheranis penitus extirpandis multa locuto respondens, ego, inquit, contra apertum verbum Dei nec volo nec debeo quidquam tentare: ad publica vero crimina, quibus Germania exuberat, tollenda, omnem operam libentissime impendam. Hæc Selneccerus oratione dicta pag. 43. f. 1. & 2.

Alphonsus Valdesius Hispanus Cancellarius Cæsaris eodem tempore Augustæ ad Dn. Philippum dixit: Longe aliter, Philippe, in Hispaniis de vobis fama tulit, quā ex confessione vestra intelleximus: Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem, de Christo & Maria impie loqui, Sacramenta corrumpere cœnam dominicam conuiuii profani more administrare, magistratum contemnere, libidines stabilire, &c.

Andreas Masius doctrina & plurimarum linguarum peritissimus: qui in adornandis Bibliis Antvverpiensibus bonam operam nauauit, & Hispalensi adiutor fuit, tametsi pontificiam religionem amplecteretur, tamen in cōuiuio cœnobii VVeingartensis, præsentibus Papistis & Lutheranis aperte fassus est, plus Theologiæ in vno Lutheri folio inesse, quam interdum in toto libro alicuius Patris. Ex Bucholzero partim recitat hæc Osiāder in Epist. Hist. Eccl. Cent. 16. lib. 3. cap. 69. fol. 832.

Solimannus Turcarum Imperator quæsiuit aliquando ex Legato Caroli V. quisnam esset Lutherus: is cum responderet: taxare eum idola Pontificia, inuocationem hominum mortuorum, à quibus etiam Turci abhorrent, &c. dixit Solimannus: O ad quantam lucem tantus vir peruenit! D. And. Probus in oratione de vocatione & doctrina Lutheri quam Hungero opposuit lit. N. 1. fol. 2.

Petrus Paulus Vergerius Episcopus Iustinopolitanus quomodo Papatu relicto, Luthero subscripserit, recitat Schleidanus lib. 21.

Erasmus Roterodamus, in quem Leo 10. Papa maximum præsidium collocauerat, quod vnus ille Luthero silentium imponere posset, ideo Coloniæ in comitiis per Martinum Caracciolum & Hieronymū Aleandrum pinguissimum Episcopatum promittendo eidem obtulit, si vellet contra Lutherum stringere stylum: Sed respondit ille: Maior, inquiens, est Lutherus, quam vt à me intelligatur. Plane Lutherus tantus est, vt plus erudiar & pro-

ficiam ex lectione vnius pagellæ Lutheranæ, quam ex toto Thoma, &c. Eodem tempore cum illustrissimus Elector Saxoniæ, ex eodem Erasmo sciscitaretur, Ecquę peccata essent Lutheri, quod Papa eum sic odisset cum Monachis & prælatis. Regessit idem Erasmus: Equidem duo ingentia commisit peccata: Papæ attigit coronam & ventrem Monachorum, &c. Recitat hæc Chytræus in Saxonia sua fol. 1216.

Idem Erasmus in Epistola ad Principem Electorem Saxoniæ Fridericum Anno 1519. scripta sic inter cætera. Certe, inquit, Lutheri vitam nemo qui nouit, non probat, quæ cum longissime absit ab omni suspicione auaritiæ atq; ambitionis & morum innocentia vel apud Ethnicos fauorem inuenit. Vide Tom. 1. Germ. Ienens. fol. 317.

Paulus Langius Monachus in Chronico Zitizensi nominat Martinum Lutherum Academiæ VVitebergensis ornamentum & coronam.

Et ibidem: Veruntamen, inquit, Martinus ille Theologorum nostræ tēpestatis omnium facile sapientissimus princeps, doctrinam suam Euangelicis testimoniis, & diui Apostoli Pauli nec non priscorum Orthodoxorum patrum originalibus dictis roborans & comprobans, eatenus perstitit contra Papam, Cardinales, & Romanenses, inuictus, habens & ipse nihilominus adhærentes & consentientes etiam aliarum regionum consummatissimos Theosophiæ Doctores, &c.

Nicolaus Vlnerus Vicarius Pontificius Coloniensis vir octogenarius legens anno Christi 1520. quæ Lutherus tum ediderat scripta: adeo eum affecerunt, vt cum admiratione & gaudio dixerit: Singulis litteris Lutheri nominis inesse omen hoc modo: Lux Vera Totius Ecclesiæ Romanæ. Selneccerus loco plus dicto pag. 3. f. 2.

Matthæus Schienerus Episcopus & Cardinalis Sedunensis cum primo intuitu nonnulla de Lutheri scriptis hinc inde legisset exclamauit: O Luthere Luthere? Tu sane secundum nomen tuum Lauther es & limpidus. Idem cuidam, qui, se mox bona noua de victoria Eccii, contra Lutherum Lipsiæ disputantis, allaturum esse, promittebat, expedite respondit: Disputet Eccius de quo voluerit: Lutherus nihil nisi veritatem scribit. VVolf. Cent. 16. fol. 181.

Henricus Phœnicus Anno Christi 1522. scriptum edidit, in quo singulare Luthero perhibet testimonium his verbis: Bonus ille, pius, & Christianus homo Martinus Lutherus summa ope nititur, vt nos è captiuitate Babylonica rapiat: at nos cæci sumus & in carcere cum voluptate permanere volumus: Cum potius Deo gratias agere deberemus, vt qui nobis hunc velut Eliam quendam miserit in angustiis nostris, orare deberemus in-

desinenter pro tanti viri vita; sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus: Et ecce salus nostra præ foribus est, at nos ostio pessulum obdimus, &c.

VVenceslaus Rosdialouinus Præpositus Collegii Imperatoris Caroli apud Pragenses Anno Christi 1519. die 17. Iulii his verbis inter cætera ad Lutherum scripsit: Dici non potest, inquiens, Pater mi, quam grata, quam iucunda narratio quamque deliciis plena fuerit, cum te super Aduersariorum tubis & præcipue Eccii Scholastica quadam atque Aristotelica magis, quam Christi Theologia gloriosam victoriam obtinuisse memoraret: Hoc vnicum sciens addo: quod olim Iohannes Huss (in Concilio Constantiensi, heu quam iniuste combustus) in Bohemia fuerat, hoc tu Martine es in Saxonia: Quid igitur tibi opus? Vigila & confortare in Domino: deinde caue tibi ab hominibus. Neque animo concidas, si te hæreticum, si te excommunicatum audies, memor subinde quid Christus passus, quid Apostoli, quid omnes etiam hodie patiantur, qui pie volunt in Christo viuere, &c. Tom. 1. Lat. Ienens. fol. 387. f. 1.

Iohannes Poduska presbyter Ecclesiæ Cathedralis B. Virginis Pragæ itidem subscripsit Luthero. Anno Christi 1519. Inter cætera enim sic ille. Miramur, inquit, quod vnus tu doctrinam Christi & Apostolicam libere & publice prædicare nequaquam addubites, oblitus interim tot calumnias, maledicaque plurimorum verba, quibus, quicquid non placet, illico hæreticum esse oportet, homines mente corrupti & ad omne opus bonum reprobi.

Tibi idcirco mi frater Martine vehementer, tuæque Christianæ pietati gratulor, qui vnus in Germania non tam inuentus quam repertus es, qui & doceas aliquando sincere quæ docenda sunt, id est, Legem Christi, priscorumque Patrum, puram illam, & nequaquam humanis adinuentionibus contaminatam Theologiam, heu nostra ætate magna ex parte contemptam, & dehorteris quoque ab his quæ Christi spiritus non probat, neque fortasse agnoscit. Te itaque ego tuapte sponte currentem per viscera Christianitatis, moneo, incito, impello, gratiam Dei quæ in te est ad salutem multorum negligere noli: Deus te speculatorem super populo suo constituit, huius saluti necessaria non abscondas, sed sicut facis in lucem proferas. Cognoscis Christi vocem, nemo lucernam accendens, operit eam vase aut subter tectum ponit, sed supra candelabrum, vt intrantes videant lumen, & post aliqua: Non tibi deerit auxilium desuper. Sunt in Bohemia plurimi fideles Deo & chari, qui te noctesque diesque orationibus adiuuant.

uant. Tu modo tibi ipsi non desis. Istud velim, cautus sis, ne, cum Christum ab Antichristo vindices, ab ipso non comprehendaris: Mille nocendi habet ille mores, insidiaturque vt sagittet in obscuro rectos corde, &c. To. 1. Lat. Ienens. fol. 388.

Maximilianus II. Imperator fœliciss. memoriæ hanc post se reliquit laudem nullis seculis intermorituram, quod amplexus fuerit Augustanam cõfessionẽ & constãter confessus, nõ sine periculo, persecutione, & tentatione ꝙ doctrina Ecclesiarũ nostrarum sit fundata in scriptis Propheticis & Apostolicis, siue vt Paulus inquit, sit analoga fidei, nisi quod postea ad imperii fastigium euectus forte in Pontificiorum gratiam remouit à se Pfauserum concionatorem Euangelicum. Anton. Probus Oratione aduersus Hungerum edita lit. N. 2. fol. 1.

Episcopus Saltzburgensis nomine Matthæus Langerus cum aliquot scripta D. Lutheri, Melanthonis & reliquorum Euangelicorum vidisset, & carptim, vt Magnates solent, perlegisset, erupit in hæc verba: Die Ebentheurer schreiben dennoch gute Bücher. Matthes. in Syracid. capitul. 39. Conc. 11. fol. 308.

D. Iohannes Brentius (vt ex Lutheri collegis & discipulis etiam idoneos in medium sistam testes) Theologus clarus & optime de Ecclesiis & Scholis meritus, in præfatione sui commentarii in Epistolam ad Galat. sic ad D. Hessum Anno 1547. Iulii 20. verba facit: Dicam quod res est, inquiens, in quodcunque vitæ genus oculos coniicio, occurrunt beneficia quæ Deus nobis per Lutherum clementer præstitit. In Ecclesia quod abolitis impiis sacris Lex & Euangelion, hoc est, vniuersa doctrina ad salutem necessaria recte explicatur, Sacramenta pie administrantur, nomen Dei vere inuocatur, psalmi vtiliter cantantur, beneficium Dei est per Lutherum, inuitis omnibus pontificibus & Monachis in nos collatum. In Schola, quod abiectis impuris & impiis Sophistarum somniis sacra scriptura, ad quam recte cognoscendam omnia studia nostra referenda sunt, pure & sincere traditur, debemus autori Deo per ministerium præceptoris nostri Lutheri. In Politia si bona conscientia leges administraueris, & gladium gestaueris, acceptum ferendum est ei doctrinæ, quam de Politico Magistratu illustrauit Lutherus. In Oeconomia quid non molestiæ, quid non perturbationis animi continget tibi, vel ex opificio, vel ex mercatura, vel ex domesticis operibus non tantum seruilibus illis & sordidis, verum etiam paulo liberalioribus, si non ea doctrina, quam fidelis Christi seruus Lutherus magna dexteritate exposuit, eruditus sacris? Denique siue nostra publica siue pri-

uata respicias, versantur vbique ante oculos, quibus filius Dei per Lutherum clementer nos affecit. Hæc beneficia commemorare & prædicare debemus, vt excitemus nosmetipsos ad gratitudinem erga filium Dei Iesum Christum, & precemur Deum, vt Euangelion in clarissimam lucem prolatum, in Ecclesia conseruet.

Idem Anno 1544. Sex. Non. Octob. Halæ Sueuorum sub prandio M. Iohannem Tettelbachium Pastorem & Superattēdentem postea Burchlengenfeldensem ad diligentem lectionem monumentorū D. Martini Lutheri his verbis adhortatus est: Solus Lutherus viuit in suis scriptis, nos omnes sumus collatione ipsius quasi litera mortua.

Dn. Nicolaus Amsdorffius vir nobilis & spectatus Episcopus Naumburgensis, &c. in præfatione ad Illustrissimos Principes, Iohannem Fridericum secundum, Iohannem VVilhelmum & Iohannem Fridericum tertium duces Saxoniæ, &c. quæ extat ante primū tomum Latinum Ienensem, sic inter cætera de B. Luthero: Certo nobis, inquit, persuademus virū Dei & postremæ ætatis Heliam, D. Martinum Lutherum præcipue ad hoc officium diuinitus excitatum fuisse, vt Antichristum Romanum, illiusq; immensam turpitudinem toti Ecclesiæ Iesu Christi patefaceret, qua cognita, haud dubie ἄνομος iste in plurimorum piorum cordibus de gradu deiicitur, & spretus sine honore iacet. Hoc beneficium, videlicet patefactio Antichristi, longe maius est, quam vt Angelorum, & hominum eloquētia satis enarrari queat. Nisi enim ministerio D. Martini Lutheri, homo peccati & filius perditionis reuelatus esset, impie ac tetre cum summa temeritate & impudentia Diabolum & Antichristum adoraremus, & vna cum ipso in stagnum ignis ardentis præcipitaremur vt Ioh. in Apoc. cap. 20. inquit.

Et post pauca: Quoquomodo alii de hac constanti adseueratione iudicent: Ego sic statuo, neminem tanta præditū sapientia, fide, constantia, post Apostolos, aut deinceps futurum esse, quantam in Reuerendo viro D. Martino Luthero, non sine ingenti admiratione donorum Dei conspeximus. Nec dubito, quin pia posteritas idē iudicatura sit, senibus, qui nunc Ecclesias regunt, de hac mortali vita euocatis, &c. An. Christi 1556.

Dn. Philippus Melanchton Germaniæ Præceptor Tom. 3. declamat. posterioris edit. fol. 752. Quæ igitur res magnæ, inquit, & veræ à Luthero patefactæ sunt, quæ ostendunt eius curriculum laudandum esse? Clamant enim multi, turbatā Ecclesiam, & controuersias inextricabiles sparsas esse. Hic respondeo: talem esse gubernationem Ecclesiæ, cum Spiritus S. arguit mundum, dissidia propter impiorum pertinaciam oriuntur, & culpa est eorum, qui audire filium Dei nolunt, de quo cœlestis pater ait, hunc audite.

Lutherus

Lutherus veram & necessariam salutem patefecit: fuisse enim tenebras in doctrina de pœnitentia, densissimas, manifestum est. His discussis ostendit, quæ sit vera pœnitentia, & quis sit portus, quæ firma consolatio mẽtis, quæ expauit sensu iræ Dei. Illustrauit Pauli doctrinam, quæ ait, fide iustificari hominem, ostendit discrimen legis & Euangelii, Iustitiæ Spiritus & Politicæ Ostendit veram inuocationem Dei, ac totam Ecclesiã ab Ethnico furore reuocauit, qui fingit Deum inuocari, etiamsi mentes Academica dubitatione oppressę fugiant Deum: Iussit fide & bona conscientia fieri inuocationẽ, & quidem ad vnum Mediatorem filium Dei, sedentem ad dextram æterni Patris & interpellantẽ pro nobis, deduxit nos, non ad statuas aut homines mortuos, vt horribili furore homines impii statuas & homines mortuos inuocant. Monstrauit & alia officia Deo grata, & vitam ciuilem ita ornauit, & muniuit, vt nullius vnquam literis sic ornata & munita sit. Deniq; seiunxit à necessariis operibus puerilem pædagogiam humanarum ceremoniarum, & ritus ac leges impediẽtes veram inuocationem Dei. Et vt illustris doctrina propagaretur ad posteritatem, vertit in linguam Germanicã Prophetica & Apostolica scripta, tanta perspicuitate, vt hæc ipsa versio plus lucis adferat lectori, quam plerique commentarii. Adiunxit & ipse multas enarrationes, quas longe antecellere omnium enarrationibus, quæ extant, Erasmus etiam affirmare solebat, &c.

Idem Dominus Philippus sæpius ingeminauit hunc versiculum.

Nulla ferent talem secla futura virum.

Itemque. Lutherus est currus, ait, & auriga Israelis & postremæ ætatis Helias: Doctor Pomeranus est Grãmaticus & verba textus perpendit: Ego sum Dialecticus & ordinem, contextum, membra & consequentias considero. D. Ionas est Rhetor, & potest oratorio lepore & splendore verborum ornare & illustrare res: Sed Doctor Martinus est omnia in omnibus, cui conferri nemo nostrum potest, &c. Cum etiam Dn. Philippus Lutheri demortui imaginem aliquando videret, erupit ilico in hunc versum.

Fulmina erant linguæ singula verba tuæ.

vt recenset M. Iacobus Græterus in seiner 6. Martins Predigt zu Schwäbischen Halle gehalten. Anno 1588. lit. 8. 1. L. 2.

M. Iohannes Mathesius Theologus Sareptanus, grauis & suauis, dulcissimis verbis tale elogium de Luthero & eius aliquot collegis recitat in paraphrasi & explicatione Syracidis c. 39. cõcione 10. f. 307. f. 2. vbi Emphasin Grecæ voculæ ἀνομβρήσει exaggerat: verba eius hæc sunt: Gott vergleicht die Propheten vñ eine gute Predigt einẽ früh vnd Morgẽregen/ der die Erde fein sanffe feuchtet vñ tünget/ vnnd der die welcke Kräutlein vñ matte Hertzẽ anfrischet

vnd

vnnd erquicket/wie am Sabbath pfleget zu geschehen. D. Luther vergleicht Brentium mit einem sanfften Regen / sich mit einem Platzregen / da es dreuschet vnd regnet/als wenn man mit Kandeln gösse: Brentius vnd Philippus sprechen: sie sieffern/tropffeln/aber sie halten an/darumb feuchten sie auch vnd machen auch naß. Was da schlost vnd Stein wirfft/daß ich deß rieselns vnd graupens geschweige/oder sprůet Fewr/vnd stecket Zanck / groll vnd Hader an/vnd bringt fromme vernůnfftige Lehrer / vnd die Obrigkeit in Neid/ gramschafft vnnd verachtung / das sind nicht rechte Donner Kinder vnnd Iohannis Schůler/dann der donnert auch wider Ebionem vnd Cerinthum, vnnd beweget die Erd: oder schlåget Lerman/sondern ist sanfftmůtig/wie sein præceptor Matth. 11.&c.

D. Iustus Ionas fidus Lutheri σύνεργος, cum aliquando Northusii audisset concionatores instituere priuatis sermonibus collationem doctorum Ecclesiæ, singulisque attribuere certa dona vel eloquentiæ vel inuentionis, vel dispositionis vel gestuum & affectuum, ac Lutherum quoque nominare: dixit ille: De Luthero vobis, viri optimi, tacendum est, cum nominatis concionatores nostræ ætatis, nos vel alios, nullum enim ego noui, qui ei conferri possit, nos humi serpimus & balbutimus respectu illius, ipse recta erectus incedit & pelagus habet verborum & rerum, ex quo guttulas haurimus & riuulis contenti sumus: ipse potest vnus omnia, quæ nos omnes non præstare nedum perficere possumus. Selnec. Orat. de Diuo Luth. pagin. 55.

H. Eobanus Hessus poetarum Rex, sic:

Stabit ab adserto Martini gloria Christo
Seu velit ipse illum viuere, siue mori.
Sic docuit primus, post tot iam secula, quænam
Prima sit æthereas, qua via monstret opes.

D. Vrbanus Regius Theologus eximius verum & sincerum iudicium de Luthero concepit, id quod ex opere eius grandiore citat Selneccerus in eadem oratione de D. Luthero pag. 54. f. 2. his verbis: Cum Saxoniam peterem, inquit Regius, (Augusta Vindelicorum profectus Cellam Luneburgicam ad Ecclesiarum serenissimi principis Ernesti inspectionem) Coburgi integrum diem solus cum Luthero viro Dei transegi, quo die nullus mihi in vita fuit iucundior. Talis enim ac tantus est Theologus Lutherus vt nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam & arrogantiam Cal-

Carlstadianorum, qui sibi placent, quasi Luthero possint conferri, cuius vmbram non adsequuntur, cum omni sua, quam iactant, eruditione: Semper mihi magnus fuit Lutherus: at iam mihi maximus est. Vidi enim præsens & audiui, quæ nullo calamo tradi possunt absentibus. Ego forsitan in iudicanda vera doctrina non omnino truncus, sic iudico, neminem esse qui possit odisse Lutherum, si eum nouerint. Iudicant libri spiritum Lutheri: sed si propius inspexeris hominem, si de rebus diuinis ipsum audieris Apostolico spiritu disserentem, tunc dices: Vincit præsentia famam: Maior est Lutherus, quam vt à quouis sciolo debeat ac possit iudicari: Dicam quod sentio: Scribimus quidem passim, & tractamus scripturas: absit inuidia verbo, sed Luthero collati, discipuli sumus. Hoc meum iudicium non ex amore fluit, sed potius amor ex iudicio. Neminem contemno, malo contemni quam laudari: sed rursum contemni Lutherum electissimum Spiritus S. organon non patiar. Er bleibet noch wol ein Theologus für der gantzen Welt/das weiß ich/ich kenne in nun baß dann zuvor / ehe ich in selber gesehen vnnd gehört habe. Hæc Regius.

Martinus Bucerus in hunc modum scribit, Martinus Lutherus Euangelii Iesu Christi Doctor, veritatis amator maximus, mendaciorum ac superstitionis hostis, religionis & pietatis in Germania auctor.

1. Articulum Iustificationis à temporibus Apostolorum, quantum monumenta indicant, nemo vnquam clarius & fidelius eo docuit.

2. Antichristum Romanum cum suis membris ad extremum vsque spiritum audentius oppugnauit, fraudesque ipsius luculentius orbi detexit nemo.

3. Vera bona opera, puta quæ ex fide viua proueniunt, inq; salutem proximi cedunt, nullus ex patribus tam sancte & secundum mentem Spiritus S. docuit, atque ipse.

4. Scripturam sanctam tam pure, tanta energia, totque argumentis penetrantibus, nemo ipso felicius explicauit, maxime cum ex professo locum aliquem tractare voluit.

5. Addo versionem sacræ scripturæ fidelem, tersam, & eloquentia non parua exornatam.

6. De Magistratu politico, quis & quæ eius officia sint in vtraq; legis tabula, nemo hactenus tam clare docuit.

7. Maximorum operum in Ecclesia incredibiles habuit successus, quod inter alia multa testatur Augustana confessio. Wo bey er gewesen/oder wo zu er geholffen / das hat fort gemüst / vnnd bestehet noch fest biß auff diesen Tag.

8. Donum Prophetiæ habuit, Daß alles / wie er ein Ding gesagt / geschehen.

9. Preces efficaces, psalmos, Hymnos, & cantica maxime dulcia fecit, & orauit. Ita Ecclesiam bene armauit deuotis cantionibus & Psalmis. Hæc Bucerus.

Iohannes Schleidanus Historicus clarus & eloquens comment. lib. 16. sic scribit. Quanta fuerit in Luthero vis & copia dicendi, testantur librorum monumenta. Germanicam certe linguam & exornauit plurimum & locupletauit, & primam in ea laudem obtinet, & ea vertit è latino sermone, quæ verti non posse putabantur, & significantissimis vtitur verbis maximeque propriis, & vnica voce nonnunquam rem ad oculos ponit: De Pontifice quodam in loco scribit, quemadmodum cœnam Domini prophanauerit, & missam applicari iusserit etiam pro mortuis, ait eum penetrasse (er hat durchrumpelt) cum sua Missa, non modo per omnes angulos totius orbis Christiani, verum etiam in purgatorium ipsum: sed vtitur voce Germanica (iam dicta durchrumpeln) quæ tibi strepitum illum repræsentat, qualis excitari posset, si mortuorum ossa, certis locis & distincte composita, subito quis ac magna vi concutiat ac impellat, aut glomum illa contorqueat: Animo fuit prorsus inuicto: Quo primum cœpit docere de indulgentiis, ignorabat, quo res ea pertineret, vt ipsemet fatetur, & hoc vnum agebat: Ideoque demisse tum admodum ad Pontificem aliosque scribebat. Cum autem in scripturæ cognitionem magis indies magisque proficeret, suamque doctrinam congruere iudicaret, omnem aduersariorum impetum & totius orbis odium fortissimo pectore sustinuit, & tanquam murus ahæneus constitit immotus, omni contempto periculo. Hactenus Schleidanus: plura vide apud eum.

D. Hieronymus VVellerus Theologus grauissimus cuius scripta fragrantissimam Lutheri imitationem spirant, in præfatione libelli de ratione formandi studii Theologici ad quendam amicum Anno 1561. die 13. Septem. sic verba facit: Post sacra, inquiens, Biblia studiose ac diligenter omnia monuméta Lutheri legas ac relegas. Nemo enim præclarus Theologus qui conscientias recte erudiat & consoletur, fieri potest, nisi Lutheri scripta diu multumque legerit, diuturna & nocturna illa manu versans. Scio quosdam esse qui D. Philippi scripta longe præferant scriptis D. Lutheri. Dicunt enim quod Dn. Philippus omnes locos doctrinæ Christianæ σωματοποιήσει, quod negant Lutherum fecisse, & hanc ob causam scripta Dn. Philippi putant magis prodesse Ecclesiis quam D. Lutheri. Mea hæc est sententia, Dn. Philippi scripta studiosis Theologiæ diligenter legenda esse propter

μέθοδον,cuius ipse mirus artifex fuit, & propter dictionem eius, quæ Latina, pura,suauis,propria &perspicua est.D.Lutheri autem monumenta propter vberiorem explicationem sacrarum literarum &præclaras cogitationes studiosis euoluenda esse duco. Ipse enim tanta dexteritate & perspicuitate prophetica & Apostolica scripta interpretatus est, quanta nullus vnquam interpretum facere potuit,ac facturus sit. Solus enim Lutherus hoc artificium tenuit, vt de rebus arduis tam clare, perspicue & simpliciter dicere & scribere potuerit,vt etiam pueri scripta eius possint intelligere. Hanc ipse laudem cum nullo ἐξηγητῇ habet communem. Omnes præcipuos articulos doctrinæ Christianæ in suis scriptis, lectionibus, & concionibus integre & perspicue tractauit, solus ipse infensissimum hostem Antichristum monstrauit & conscientias à laqueis humanarum traditionum liberauit, pios & afflictos in omni tentationum & calamitatum genere confirmauit & multos ab orco,vt dicitur,consolationibus suis reuocauit. Nulla enim tentatio aut calamitas dici potest,cui non ipse remedium in sacra scriptura monstrauerit.Omniũ ætatum & conditionum,homines docuit,quomodo in sua quisque vocatione Deo seruiat. Magistratum Politicum amplissimis laudibus ornauit. Nec solum Papistas,verum etiam Antinomos Enthusiastas,Sacramentarios,& Anabaptistas refutauit,&c.

Idem inter cætera ad M.Ioh.Tettelbachium Anno 1559.sic scribit: Ego scripta Lutheri magnifacio,nec dubito illa fere cum Paulinis Epistolis conferre,omnesque qui illum sapientia & acumine in interpretanda scriptura vincere student οὐχ ἁγνῶς θεολογεῖν existimo. De eius enim plenitudine omnes nos Theologi accepimus, quod scimus ac profitemur.

D.Leonhartus Fuchsius institut.Medicin.lib.2. sect.2. c.9. sic Lutherum commendat.Romanus Pontifex qui non modo vsu carnium interdixit nobis verno tempore, sed etiam ius & potestatem comedendi lac,butyrum, &oua à se pecunia comparare coegit:ita in corpora fortunasque nostras decretis suis grassatus est,vt parum abfuerit,nisi Diuum Lutherum virum perpetua memoria dignissimum Deus excitasset, quin mox fœno nobis communi cum iumentis cibo vtendum fuisset, &c.

M.Matthias Flacius Illyricus Theologus, quam odiosus,tam doctus,diligens multæ lectionis & linguarum peritissimus, cuius vitula nisi multi arassent,multa ænigmata Theologica non explicassent,nec ad eam peruenissent summitatem: quamquam errorem eius de substantiali peccato Ecclesiæ nostæ neutiquam receperint, &c.parte1 .clauis scripturæ fo.972.vocat Lutherũ Germaniæ Prophetam, qui nostro tempore multa futura prædixerit,quæ illustri euentu adimpleta sint, inter quæ etiam illud eximium,

se viuo Papam, eosque sectatores nihil armis profecturos esse, sed mox se mortuo maximas turbas daturos esse.

Qualis & illa Concilii pictura sit, cuius Schleidanus meminit, quam Lutherus breui ante mortem sculpi ediq; curauit. Parte secund. Clauis fol. 5. summe celebrat versionem Biblicam Lutheri, quæ fidelissime reddat, & perspicue sensa Spiritus sancti.

Et fol. 386. ibidem recenset quod vir Dei Lutherus eruditiore expositione pronominis τὖτο Carolostadium refutarit. Quam etiam, inquit Flacius, duras tentationes & ingens impedimentum in profectu veræ Theologiæ expertus sit Lutherus piæ memoriæ ante illam diuinam illuminationem ex non intellecta phrasi, iustitia Dei, dum eius substantialem aut legalem seueramque iustitiam ab Euangelio prædicari putat, vt & nunc quidam contendunt, ex præfatione eius in primum tomum Latinum abunde patet. Ibid. fol. 415. laudat Lutherum his verbis: Exulet, inquit, à disputatione Theologica τὸ αὐτὸς ἔφα, abigatur Philosophia, aut omnino cæca aut stulta potius ratio humana, sicuti Lutherus p. m. solitus est de ea lepide dicere: Taceat mulier in Ecclesia: Rursus ibidem fol. 444. nominat Lutherum Germaniæ Prophetam, qui multa futura ex reuelatione Spiritus S. prædixerat. & cæt.

Georgius Fabricius Chemnicensis Illustris Scholæ Electoralis Misnensis per multos annos Rector rectissime de iuuẽtute promeritus, vir celebris, sic anno 1555. idib. Septemb. ad quendam amicum scribens: Christianus quicunque diceris, ait, & de fide vera id quod nominaris existis, te æstimatorem mei constituo iudicii, lege modo & cognosce. Ecclesiæ primæ ortum & incrementa, sanctissimorum Patriarcharum vitam, actiones, certamina ita copiose & mirifice D. Martinus Lutherus explicuit, vt singulorum cogitationes & animos, intuitum, multorum afflictiones in suis certaminibus sensisse, omnium fidem & constantiam imitatum fuisse existimes. Doctrinam de fidei iustitia ex primis Dei promissionibus ita eruit & extruxit, vt de ea dubitare nemo, nisi omni luce Dei careat, amplius possit: ita vero operum obedientiam, piorum exemplis illustrauit, ornauitque vt de omni sanctitate in quouis vitæ genere nemo vnquam docuerit rectius atque perfectius. Pœnas publicas ac priuatas lege Dei impiis ac contumacibus propositas exaggerat, verbis & sententiis grauissimis. Tum clementiam & misericordiam Dei, in ignoscendo, condonando, parcendo ita celebrat atque extollit, vt diuinæ bonitatis gustum legendo percipias, fructũ credendo consequaris. Hunc igitur fontem cœlestis sapientiæ suauissimum censeo omnibus adeundum, qui tanta saluberrimarum aquarum scaturit abundan-

undantia, quantum nulla ætas hausit vberius, vt felicissima possis dicere primæ Ecclesiæ tempora, quæ Moysen maximarum rerum scriptorem in Gente Hebreæa habuerunt. Et hæc extrema illis felicitate non impatia, quæ in Saxonicis Germaniæ oris interpretem protulerunt oraculorum cœlestium & sacræ scripturæ D. Lutherum.

Eiusdem Georgii Fabricii & illud est de Doctore Luthero eulogium.

Inter Theologos est gloria prima Lutherus,
Nam Christi merito nemo magis tribuit:
Huic par est nullus.

Idem.

Vnius Christi certare & fidere verbo
Hæc tua vis ingens, magne Luthere fuit.
Nemo erat afflictos solari mitior ipso
Nemo repugnantes, spernere maior erat.
Ille malis hostis, dum viueret, ille verenda
Bella sepultus adhuc pro pietate ciet.
Si quæris tumulum, tumulum tibi Leucoris ora
Monstrat: viuentem, mens viget alta Deo.

D. VVolffgangus Seuerus Imperatoris Ferdinandi olim præceptor, & Lutheri vna cum Ludouico Rabus, Iohanne Mathesio, Hieronymo VVellero & aliis aliquandiu domesticis commensalis de Luthero hospite suo tale edidit Eulogium:

Iapeti de Gente prior maiorve Luthero
Nemo fuit: sed nec credo futurus erit.
Auß Japets Blut vnd Helden Stamb
Kein grösser Liecht auff Erden kam
Denn D. Luther der grosse Mann
Damit will Gott beschlossen han.

Hieronymus Treutlerus excellens IC. sic de Luthero.

Islebij natus, superis quoque redditus oris
Conuellis tumidi regna Luthere Papæ
Postera, si sancti bene dogma secuta fuisset
Turba ducis, iam nil fraus tua Roma foret.

D. Ioachimus à Beust pientiss. IC. sic Luthero pangit laudes.

In sua concessit quo tempore fata Lutherus
Mortuus est puræ religionis apex.

Mens it ad astra, die cui dat concordia nomen,
Lutherum in cœlos quæ comitata redit.
Huic quia successit lacera Discordia veste
Da populo Heliæ pallia, Christe tuo.

D. Martinus Chemnitius Ecclesiæ Brunsuicensis nunquam satis laudatus Ephorus, Theologus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, quantum Luthero & eius diuinis laboribus, vigiliis & scriptis tribuerit, patet ex his verbis, quibus in præfatione Examinis Concilii Tridentini serenissimum Electorem Brandenburgensem alloquitur: Scio, inquiens, Celsitud. vestram post sacræ scripturæ cognitionem in perlegendis D. Lutheri scriptis & perscrutandis antiquitatis monumentis controuersiarum religionis, recte, pie & sapienter iudicare posse: Et diligentia periculosissimis hisce temporibus profecto necessaria est, vt principes ipsi diligenter attendant, quale genus doctrinæ regionum suarum Ecclesiis proponatur, sicut Celsitudo vestra pie & pruděter facit, quod publica authoritate Ecclesiis suis lectionem D. Lutehri diligenter commendat. Non enim Pontificii solum, sed etiam Sacramentarii clancularii scripta Lutheri de hominum manibus excutere ideo conantur, vt suis erroribus in Ecclesia liberius grassari possint.

Idem Tertia parte Concil. Trident. sic de Luthero: Quomodo Lutherus postea re diligentius ad normam scripturæ examinata, purgatorium gladio spiritus subuerterit, & illum ignem extinxerit, historia recens est, & plagam illam totum regnum pontificium sentit & dolet, ac omnis generis flabella ad resuscitandum illum ignem conquirit, sed nequicquam.

Dispiciatur inprimis libellus eiusdem venerandi Dn. D. Chemnitii, quě proximis annis D. Polycarpus Leiserus publici iuris fecit, in quo iudiciū D. Chemnitii proponitur de præcipuis nostro seculo motis controuersiis. In illo, inquam, libello D. D. Chemnitius ad oculum euincit sanam religionē & genuinam pietatem D. Lutheri sacris scripturis & vetustis Ecclesiæ Patribus per omnia conformem, vt interim plurima alia eiusdem clari Theologi de Luthero iudicio transeam.

D. Tilemannus Heshusius Theologus multoties ob sacrā pietatis Christianæ religionem exul (de quo recte dixeris, quod Damascenus de Athanasio in orat. de defunctis ait: Ille & vita & doctrina clarus, Ecclesiæque Dei lumen magnum) de D. Luthero recitat, eum, cum ex conuentu Smalcaldico Anno 37. discederet, amicis his verbis valedixisse: Impleat vos Deus benedictione sua & odio Papæ. Et D. Pontano Cancellario per ministrum nunciari iussit, se precari ei omnia felicia: Et inprimis vt disceret nosse Papam: Mirantur autem homines, inquit deinde Heshusius, pokticer

litici nouum & inuſitatum genus ſalutationis, ac ſuſpicantur, illud ex quadam intemperie & priuato aduerſus Papam odio profectum eſſe: Sed reuera magnus ille vir Lutherus grauiſſimas habuit voti ſui cauſas: vt magna luce Spiritus ſancti & ſingulari zelo pietatis prædi tus fuit, ita propius ille quam alii vel Theologi vel Politici aſpexit abominanda idola, nefandos errores & immanem blaſphemiarum molem, quam Papatus circumfert & obtrudit mundo: attentius vir ille expendit ineffabilem iram Dei, quæ permiſit Antichriſto, tanta vi mendaciorum tantaque carnificina conſcientiarum graſſari in mundo, vt hoc modo contemptus Euangelii puniatur. Vide lib. de ſexcentis erroribus Eccleſiæ Papiſticæ.

D. Ioachimus Morlinus Theologus Boruſſiæ grauiſſimus in libello vom Ernſt der Prediger pagin. 10. fac. 2. his verbis Lutherum dilaudat. Denn ob/ er/ (GOTT) wol wunderlich/ eine Perſon noch heute zu Tage mehr erleuchtet dann die andere/ wie wir erfahren/ was groſſe herrliche Gaaben er in dem thewren werthen Mann Luthero gegeben/ für allen andern trefflichen gelehrten Leuten auff Erden/ deren Schrifften wol viel lieblicher/ ſchöner Wort haben/ aber wenig Sachen/ Lutheri wörter eytel voll herrlicher Gedancken/ vnd köſtlicher Himmliſcher Lehre ſtecken/ daß einer an einem Blat einen halben Tag zuleſen/ vnd er mit einem Wort gar offt viel mehr gibet/ dann vieler anderer groſſe Commentaria, &c.

D. Nicolaus Selneccerus ſincerus & pius Theologus tale poſt ſe reliquit teſtimonium & iudicium: Certum eſt, inquiens, Deum voluiſſe per Lutherum tanquam per ſingulare organum ea inchoare & perficere eaque perfeciſſe quæ per alios mille quantumuis potentes, doctos & felices perficere noluit, atque vnum Lutherum res diuinas eo animo, ſpiritu ac ſucceſſu tractaſſe, explicaſſe, fundaſſe & propagaſſe, quo alii, quantumuis clari & eruditionis nomine inſignes, vix exordium aliquod facere potuiſſent, aut ſi quod feciſſent, in medio illud reliquiſſent imperfectum abſterriti metu periculorum καὶ ἀκροβελισμῶν in hac vita. Habuit ille ſuos diuinitus ſibi datos ſynergos, quorum laboribus nihil omnino detractum volumus, ſed idem, quod illi confeſſi ſunt ſemper affirmamus, vnum nempe Lutherum fuiſſe noſtræ ætatis Moſen, cuius ductu etiam cæteris piis animus, ſpiritus, & ſucceſſus datus eſt, & ſine quo, vt ſumus homines, facile, imo ſtatim animus concidiſſet & ardor deferbuiſſet, nec res tantæ progreſſę fuiſſent, eo quo Deus per electum hoc, vegetum, & alacre viuum & imperterritum ſuum organum deducere illas voluit.

Nec vero hic nobis vlla cõtẽtiõe cũ ipſis op⁹ eſt, q̃ extra nauigatiõẽ cõſtituti

in

in portu & ripa ſpectatores ſunt, ac etſi ipſi parum aut effecerint aut præſtent, vix guſtando paroxyſmorum micam pro veritate verbi diuini tamen cenſores ſunt Catholici & iudicare de omnium conatibus, ſudoribus ac periculis & de ipſius Spiritus ſancti actionibus non verentur, non tantum æquiparati Heroibus illis noſtris, ſed eminentiores quoque videri volentes, &c. Orat. de Luth. pag. 55.

D. Iacobus Andreæ Theologus ſpectatiſſimus Cancellarius Academiæ Tubingenſis in oratione de inſtauratione ſtudii Theologici in Academia VVitebergenſi ſic inter cætera: Quam venerandus hic præſtantiſſimorum virorum chorus fuerit, quis oratione explicabit? Inter quos D. Lutherus propter ſpiritum Heroicum, quo indutus erat ex alto, tanquam Sol eminebat, quem reliqui omnes tanquam Patrem & præceptorem ſumma reuerentia & quidem merito, colebant. Quos viciſſim Lutherus cum à ſuperbia & φιλαυτίᾳ alieniſſimus eſſet, non ficto ſed vero humilitatis ſpiritu ſingulos, pro ratione donorum, quibus à Deo ornati fuerant, ita honorabat, vt ſeſe omnium illorum ſeruum conſtitueret, ſua quantumuis maxima, extenuaret, illorum vero ſanctos labores ſtudioſæ iuuentuti adeoque vniuerſæ Eccleſiæ Dei ſollicite commendaret. Ego ſane de me ingenue fateor, cum mihi contingere non poſſet, qnod maximo animi deſiderio ante annos 36. expetiueram, vt coram videre, & audire tanta lumina liceret (Fides enim data, me in Academia Tubingenſi detinebat, qua Vdalrico Duci VVitebergenſi ſtipendiarius ſtudiorum gratia addictus eram) Imagines viuas tantorum virorum, arte pictoris ſolerter expreſſas, & parietibus odio affixas, maxima cum animi voluptate ſæpe aſpiciebam iiſq; me oblectabam, & eorum ſcripta in manibus circumferens, me obambulantem coram illis viuam ex ipſorum ore vocem audire exiſtimarem.

Et poſt paucula: Quos vero Papa contra emiſit pontificiæ ſuæ impietatis patronos, & idololatriæ adſertores, viros partim non indoctos, & in Pontificia aula non inexercitatos, &c. hos Diuus Lutherus fulmine verbi Dei, quo pectus ipſius maxima cum ſpiritus πληροφορίᾳ confirmatum & inſtructum erat, ita repreſſit & proſtrauit, vt contra eum vnum & ſolum, vt maxime reliquorum virorum doctiſſimorum corona ſtipatus non fuiſſet, ne hiſcere quidem auderent. Cuius laboribus Antichriſtus Romanus, ſecundum Apoſtoli Prophetiam ſic interfectus eſt in cordibus hominum ad quos ſcripta Lutheri peruenerunt, vt maxima ex parte nullos cultores & religionis ſuæ peruerſæ patronos inueniat, aut habeat, quam quos vel quæſtus vel dignitatis vel voluptatem cupiditas & expectatio detinet, aut qui metu exquiſitiſſimorum ſuppliciorum & amiſſionis vitæ, bonorum ſuo-

rum,

rum, veram religionem in cordibus suis agnitam, profiteri non audent. Hactenus ille.

D. Dauides Chytræus præstantissimus Theologus, Philosophus & Polyhistor clarissimus in historia Augustan. confessionis pag. 5. sic de Luthero: Quarum, inquit, nundinationes impudentissimas & tetra mendacia, ac in filium Dei redemptorem nostrum Iesum Christum contumeliosa, cum D. Martinus Lutherus anno 1517. Prid Calend. Nouemb primum editis propositionibus de tota doctrina pœnitentiæ pie & modeste scriptis & alias pro concione refutaret, & postea Tezelij & Satellitum ipsius clamoribus & libellis irritatus, veritatem constanter defenderet, & paulatim plures errores & abusus taxaret: Statim in acerbissima Pontificis & Satellitum ipsius odia incurrit: ac paulo post edita Leonis 10. bulla sæuissime excommunicatus, & instigante Pontifice & Monachis ab Imperatore Carolo V. in comitiis Anno 1521. proscriptus est, sed duris, vt ilex tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro: ita Lutheri pectus ardenti zelo tuendæ veritatis ardens non modo fractum aut languefactum his fulminibus non est, sed tanta magnitudine animi, constantia & fide in Deum acquiescente, diuinitus armatum & confirmatum, vt maiore animo pro veritate pugnaret, & statim post promulgatam proscriptionem duos neruos regni Pontificij, Abominationes Missæ priuatæ & vota Monastica accuratissimis rationibus in Pathmo editis, vt Alexander Gordium nodum, inciderit.

Et paucis interiectis sic idem: Sed Lutherus qui perpetuo pacis author suis fuerat, & constanter hactenus arma Religionis prætextu summe dissualerat, sumpta etiam, ex manibus aliquoties authoritate sua excusserat, constantissime Principes à fœdere & bello aduersus Imp. in hac causa mouendi deterret, & à Deo, cuius causa agatur, auxilium & defensionem petere & expectare firma fide iubet. Quam vt suo ipsius & collegarum suorum ac principum, aliorumque veritatem profitentium pectoribus excitaret & confirmaret, efficaces & firmas consolationes opponendas periculis, quæ confessionem Euangelij imitantur, breuibus & neruosis propositionibus comprehensas collegit & edidit.

Idem in oratione adhortatoria ad orationes Philippi Melanchtonis legendas, quam M. Henrico Garbero nostro Pastori Georgiano Hannouerensi p.m. venerabili meo D. prædecessori dedicatam inscripsit lit. B. 5. facie. 2. sic de eodem Luthero: Qualem in perpaucis scriptoribus aliis, præterquam in Luthero, spiritum & vitam mouentem ac impellentem legentium pectora, & aculeos veræ pietatis ac consolationis in eis relinquentem, in-

uenias. Lutheri enim oratio, non tam stylo elaborata, quam naturali seu potius diuini Spiritus instinctu & adflatu fusa vere spiritus & vita seu ζῶσαι λέξεις, viua verba sunt, in animos & corda legentium penetrantia, & adfectus verbis congruentes, in illis accendentia, vt verius de illo quam Basilius de Libanio dicamus: ἔμπνουν λόγον ἐπὶ χθονὸς ἄνθρωπος ἔγραψεν καὶ μόνος τοῖς λόγοις ψυχὴν ἐχαρίσατο: Spirantem & viuam orationem in terris Lutherus scripsit, qui solus animum & motum verbis suis donauit: Nam vt alibi de Luthero scripsimus, quod de Pericle Eupolis cecinit πειθώ τις ἐπεκάθητο αὐτοῦ χείλεσιν οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροαμένοις, id multo rectius de nostro oratore, diuino instinctu & afflatu explicationes oraculorum cœlestium fundente, vsurpabimus, non modo in viua ipsius voce ac labris dicentis, flexanimam Suadæ medullam, vt Ennius loquitur, sedisse: Verum etiam scriptis sacratam ipsius eloquentiam, in pectora & mentes hominum penetrare, & aculeos veræ pietatis ac virtutis in lectorum animis relinquere. Talis in Lutheri & Cypriani oratione, nec multis aliis, præterquam in hoc nostro Rhetore, vita & δεινότης inest. &c. Hæc Chytræus præclare, vere & erudite.

D. Iacobus Heerbrandus Theologus celeberrimus in refutatione mendaciorum Georgij Gotharti Præbendarij Parauiensis pagin. 27. sic de Luthero: Certe equidem res ipsa, inquit, testatur & loquitur Lutherum diuinitus fuisse excitatum ad expurgandam ab infinitis Papatus erroribus Ecclesiam Christi. Hic enim vnus non viribus humanis nec vlla mundana potentia, sed sola scriptura, prophetarum & Apostolorum nixus Romani Pontificis idololatriam horrendam & multiplicem tyrannidem Magiam verboque Dei damnatos cultus patefecit, conuicit, debellauit, prostrauit, euertit, atque in multorum millium animis radicitus extirpauit. Missam, horrendam Cœnæ dominicæ deprauationem, mortuorum hominum inuocationem, nundinationes indulgentiarum, peregrinationes ad loca remota pro expiatione peccatorum, Monasticen, superstitiosam & impiam, coniugij & ciborum prohibitionem diabolicam, errores in doctrina pontificia innumeros detexit, verboque Dei conuicit & refutauit. Hæc non humana, multo minus Diabolica, vt Diaboli isti (non secus ac veteres Pharisæi olim Christi miracula per Beelzebub edita) calumniantur: sed diuina esse opera, qui non vident, illi nihil vident, sed talpis sunt cæciores, quod cæci faciunt cæcorum duces doctorculi Pontificij.

NB. Hæc respondet ibi D. Heerbrandus Gothardo mendacissimo scriptorculo & loquutuleo Pontificio, qui indignatus fuerat ob encomiasti-

chon

chon illud D. Luthero per Christianum Poetam Iohannem Spangenbergium tributum distichon.

Christus habet primas: habeas tibi Paule secundas,
At loca post illos prima Lutherus habet.

Idem Heerbrandus in præfatione compendij Theologici, Deum, inquit, iuxta præscriptum verbi sui colimus & facimus, quæ nobis in eo præcepit: quantum quidem ipsius gratia adiuti possumus: Sacramentis vtimur, quæ & quomodo Christus in ipso verbo suo instituit: Hanc, prælucente verbo Dei viam minime intricatam perplexam, obscuram, sed rectam valde facilem, expeditam, adeoque planissimam, qua iusti iuxta Prophetam Isaiam incedunt, Lutherus luce cœlesti illustratus, cum Achate suo Dn. Philippo Melanchtone in Schola VVitebergensi, fideliter & viua voce & scriptis vtilissimis nobis monstrarunt. Horum ergo me Discipulum, & alumnum Scholæ illius per quinquennium fuisse, grato animo agnosco eosq; studiosissime audiuisse libenter profiteor. Non enim mihi ita sordent, vt illorum me pudeat pigeat aut pœniteat: nec in postrema sed prima felicitatis parte colloco Deoque patri liberatoris nostri Iesu Christi, toto corde ago gratias, semperque quoad vixero, agam, quod illis præceptoribus vti mihi licuerit, à quibus me plurima accepisse, eisque me debere accepta ea referre profiteor, &c.

D. Ægidius Hunnius doctissimus nostri seculi Theologus Tom. 1. Oper. suorum Latinor. pag. 1423. sic: Certe, inquit, quam longe lateque patet Romani Pontificis obedientia, percrebuit solennis fama, quod sedes Pontificia solo calamo voce & prædicatione Lutheri vehementius ac fortius cõcussa sit, quam omnium Imperatorum ac Regum armis, scutis antegressis concuti & labefactari potuerit. Quin ad eas quoque Ecclesias, quæ Pontificem non agnoscunt, puta in Græcia & oriente, peruasit istius prædicationis à Luthero factæ fama, quam ruina Papalis Cathedræ, in occidentalibus Ecclesiis sit secuta.

Idem Tom. 2. latinor. operum. fol. 820. Diuus Lutherus, cunctis, post prophetas & Apostolos, scriptoribus Ecclesiasticis excellentior.

Idem Tom. 4. fol. 359. Peruersum est iudicium Caluinistarum, de Luthero, qui quo plus spectant splendorem orationis quam rerum, quæ traduntur, soliditatem, Luthero Caluinum ob grandiloquentiam in Latino sermone longe præferunt: sed respondemus cum Apostolo: Non ad sermonis elegantiam sed ad scientiam rerum Theologicarum esse respiciendum: Neque enim in sermone est regnum Dei sed in virtute. 1. Cor. 4. Sicut certe Lutheri styli virtus in expugnando regno Papistico se potenter exer-

Lutherus & Caluinus inter se collati.

Vere hæc dicuntur. uit, & admiranda confecit opera, qualia nec à Caluino, nec adseclis eius præstita esse meminimus.

Idem Tom. 5. oper. Latin.fol. 825. Contemptim Luthero nostro Papicolæ solent obuertere, nullis eum claruisse miraculis: in sua vero Ecclesia (Pontificia) edi signa & prodigia: Sed valeant illi cum suis prodigiis quæ à Pseudoprophetis & Pseudochristis editum iri,per cooperationem Satanæ, Christus olim discipulis suis prædixit, & Paulus ex Spiritu sancto pronunciauit: Lutherum quod attinet, satis est miraculi, quod vnus ipse prope totius mundi sustinuit impetum, quod solo verbo, sine vllo armorum strepitu, contra omnem humanam potentiam & resistentiam diuinum illud saluificæ religionis opus, Deo excelso fretus, instaurauit, doctrinamque Christianam non ab errore vno vel altero vindicauit, sed ab erroribus ad vnum omnibus in solidum repurgauit. Eoque sublimius merito censetur opus, quod de illo iam olim Deus non vno modo vaticinari dignatus est, &c.

M. Iohannes Velius Eimbecensium vltra vertentes annos 46. fidelis pastor & doctor in oratione sua de summis & maximis beneficiis diuinitus per electum Spiritus S. organon, D. D. Martinum Lutherum beatæ memoriæ postremo & ingrato huic mundo exhibitis inter cætera pag. 30. sic: Piorum, inquit, vota non fuerunt irrita, sed Deus illa exaudiuit, & cum plenitudo temporis quo Antichristus, filius ille perditionis toti terrarum orbi, publice reuelandus & gladio verbi, spirituque oris Dei interficiendus erat, aduenisset, misit electum istud organon, Clarissimum & Reuerendissimum virum Dn. Doctorem Martinum Lutherum, eumque spiritu δυνάμεως καὶ παῤῥησίας, imo vere prophetico, animo Heroico, fide ingenti, spe firma, precatione multum efficaci, zelo vero veræ religionis, amore sincero, omnisque falsitatis & sophistices odio perfecto, præcipuarum linguarum cognitione, amplissimo sanctæ eruditionis & sapientiæ thesauro, singulari dexteritate sacram scripturam, & religiosæ pietatis capita, & omnes etiam maxime intricatas quæstiones, vbertima & exacta orationis copia, feliciter & perspicue explicandi, mirifica animos auditorum & lectorum, ad veram pietatem, fidem, timorem Dei & alias virtutes inflammandi vi, quæ non modo in ipsa pectora & mentes hominum penetraret, sed & aculeos veræ pietatis ac virtutis in auditorum animis relinqueret & multis aliis præclaris & excellentibus, imo vero Heroicis Spiritus S. donis ornauit, instruxit & armauit, vt non immerito cum Elia, Esaia, Moyse & summis Prophetis conferri queat. Hunc excellentem Heroem, tanquam alterum Moysen ex latebris & angulis monasticis productum, præfecit Deus optimus

mus Max. summo & arduo huic operi & oneri, quod nec Hercules, nec Alexander M. nec Hannibal, nec Scipio, imo neq; totus mundus cum omni sua potentia & robore ne aggredi quidem, multo minus tanta dexteritate & felicitate perficere potuisset. Per hunc enim Heroem Deus ex tristissima seruitute Ægyptiaca & durissima captiuitate Babylonica, adeoque ex inaudita illa & plusquam diabolica Tyrannide Antichristi Romani, ipsiusque densissimis tenebris, duce & comite Christo, inuito & repugnante, imo fremente non tantum Antichristo, sed toto pene mundo, imo omnibus Diabolis, & inferorum portis, mirabilter & gloriose eduxit & liberauit, lucem veræ doctrinæ ex immensa & ineffabili bonitate nobis accendit, restituit & patefecit, Antichristo, solo verbo sine gladio interfecto, ipsiusq; tyrannide fracta protrita & comminuta, in regnum filii sui Iesu Christi collocauit. O ineffabilem & incredibilem vim amoris diuini erga nos: Quis hic non cum Psalmista exclamet: Quam magnifica sunt opera tua Domine? Plena est terra bonitate tua. &c. Hæc ille.

Matthæus Dreslerus vir optimus & Medicinæ Professor Lipsiensis in libello de festis pag. 246. sic. Si quisquam est, ait, qui immoderationem laudis, vel vt Poeta ait, κόμπους τοῦ λόγου odit ego sum: attamen hoc nihil dubitans confirmo, heroica fuisse & diuina plane Lutheri dona. Quomodo enim opus tantum reformationis doctrinæ in Ecclesia tam arduum, plenumque laborum, certaminum, periculorum suscipere, tantoque successu perficere potuisset, nisi diuino afflatu incensus, & heroico animi impetu impulsus fuisset? Aduersa habuit omnia, fulminantem Papam, proscribentem Cæsarem, frementes Cardinales, horrenda minantes principes, insectantes Episcopos, criminantes Monachos ac totum agmen Pontificium. Tot tantasque aduersationes animo forti contemnere, & nullo metu frangi & à proposito honesto detorqueri, an non animi robusti magnæque constantiæ esse ducemus? Nihil dico de laborum magnitudine quam tanti momenti negotium desiderauit à quibus inuictum sese omnino præstitit. Superat eius virtus & industria omnem omnium Episcoporum & Doctorum, quos vllo tempore inde vsque à S. Paulo habuit Ecclesia, vim & præstantiam. Accesserunt adhæc summa ornamenta & dona, virtutes aliæ, communes illæ quidem cum piis multis, sed eximiæ tamen & prædicandæ: temperantia, castitas coniugalis, & despicientia rerum externarum, hoc est diuitiarum, honorum, voluptatum. In scriptis eius elucent hæc ornamenta.

1. Δεινότης ἐν τοῖς λόγοις: Fuit enim vere ἀνὴρ λόγιος.

2. Dilucida & perspicua pro re nata breuitas.

3. Copia & grauitas & splendor tantus, vt artifex Germanici sermonis iure omni habeatur.

4. Feruor quidam Spiritus qui efficit vt ardens ad lectorem penetret eius oratio.

5. Δύναμις ἐν ταῖς γραφαῖς. Nam ex scriptura omnis eius oratio tanquam ex sacro, vnico, cœlestiq; fonte profluit & vim roburque accipit, &c.

Michael Neander Sorauiensis Silesius Philologus Autorum Veterum neotericorum sicut & linguarum Hebrææ, Græcæ cumprimis, & latinæ callentissimus nec minus Historicus excellens in orbis terræ partium succincta explicatione Anno 1580. Lipsiæ edita pagin. 69. his verbis Luthero pangit Encomion. Χριστοῦ στόμα vere Lutherus fuit, θεός τις, θεολόγων ------ ἀμφότερον ῥητήρ τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, οὔπω οὔτις γέγονεν, οὐδ' ἂν γένοιτο μᾶλλον ἱκανῶς ἑρμηνεῦσαι καὶ σαφῶς δηλῶσαι τὰ θεῖα. Hæc est enim diuini, inquit Neander, illius viri gloria, quod veterum quispiam de Virgilij laudibus scripsit, vt nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur, cum ipse λόγου καὶ ψόγου παντὸς κρείττων sit.

Idem ibidem pag. 107. Mansfeldia & Islebia, patria Theandri Lutheri omnium ætatum ac seculorum Theologorum principis, qui---φωσφόρος ὡς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ, μαθὼν οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα.

Rursus pag. 69. f. 2. ibidem. VViteberga autem, inquit porro Neander, vbi fulserunt illa duo lumina (Lutherus & Melanchton) vere fuit vtroq; viuente, docente, scribente, & propugnante pro veritate φωστὴρ φῶς, ὀφθαλμός τε καὶ μεγάλη σάλπιγξ τῆς ἀληθείας, σοφίας τε καὶ τέχνης ἁπάσης πρυτανεῖον καὶ πάντων ἀνθρώπων κοινὸν παιδευτήριον, καὶ διδασκαλίας παντοίας ἐργαστήριον, σοφίᾳ καὶ μύσαις ἁπάσας πόλεις οἰκουμένης ἀποκρύπτουσα, Αετὸς ἐν νεφέλησι, pulcerrima rerum & quasi theatrum quoddam & lux orbis terrarum, communis generis humani Schola, clariorque tandem, quod Cicero de Athenis olim scripsit, quam vt iudicari queat: Hucusque Neander.

Andreas Fabricius Theologus & Pastor Eislebiensis exercitatissimus, in prælectione 5. c. Genes. sic ait: Excitatus diuinitus est D. Lutherus vltimi seculi verissimus Noachus, præco iudicij extremi, qui in virtute Eliæ demonstrauit agnum Dei tollentem peccata mundi, qui regnum Antichristi velut Philistinorū theatrum euertit doctrinamq; cœlestem repurgauit, cōiugium, Politias, omnesq; vitæ status pristinę dignitati restituit, precib. quasi murum se iræ opposuit, flagellum omnium hypocritarū, de quo versiculus Dn. Philippi: Fulmina erant linguæ singula verba tuæ. Et rursus idem: Quanta, inquit Lutheri in hac parte fuerit excellentia, credentes in vita æterna, sicut damnati in infernalib. flammis experientur. Eodem modo sinceri le-

ri lectores & auditores Lutheri non desinunt Dominum nostrum Iesum Christum & fidem huic petræ salutis insistentem extollere,& in collatione doctrinæ bestiam,ipsum Papam & Bestiæ Characteres,Maiorismum,Victrinismum, Adiaphorismum, Sacramentarias blasphemias & alios sectarios impœnitentes,precibus,votis,suspiriis,confessionibus aggrediuntur,nihil moti clamorib.falsorum fratrum & bonorum vultuum,&c. Respondent autem his cum Luthero suo:Dominus misereatur eorum qui sunt conuertendi: die andern hole der Teuffel hinweg/Amen Halleluia,&c. Item. Hanc Antichristi reuelationem factam esse duobus initiis perquam exiguis, vber einem Flachsfaden / für einen Schwerdtgroschen / & vnico vocabulo Iustitiæ Rom.1.dextre intellecto ex Lutheri scriptis διοπτεύσεις cum stupore exultante expendunt & maximum inde solatiũ in hoc iræ mundo percipiunt.

M.Conradus Porta itidem Eislebiensium pius Doctor in orat. de Luth. sic.Quo,ait,impensius & rabiosius laborat & sæuit Diabolus vt Dei per Lutherum exhibita beneficia & autoritatem ipsius extenuet & labefactet, eo magis pij omnes,Ecclesiis Scholis veræque & incorruptæ doctrinæ consultũ cupientes D.Lutheri dicta scripta,factaq;& ipsi admirentur & suspiciãt, &apud alios pro suorum donorum modulo cõmendent &euehant.Rectissime iudicauit D. D. Zochius senior, Archiepiscopi primatus Magdeburgensis Consiliarius,lectis prioribus libris contra Sacramentarios,inquiens: Nunc primum video hunc virum Lutherum à Spiritu S.illuminatum esse, &ab eodem regi : Nemo enim ex Pontificiis scriptoribus tantum præstare potuisset, ideoq; relictis ipsorum vanitatibus & ipse Euangelij doctrinam amplectar.Illustrissimus Heros:(sic pergit ibidem M.Porta)exactissimique iudicij Princeps & constantissimus Iesu Christi confessor & Martyr Iohan. Fridericus primus, Elector Saxoniæ, in sua captiuitate libros Lutheri diligenter legens & relegens, non dubitauit adfirmare præsente M.Iohanne Aurifabro Theologo Clarissimo: Lutheri scripta hoc habere proprium vt penetrent corda & afficiant intimas medullas, relinquantq; aculeos in pectoribus legentium. Et propterea vnam pagellam eius viri,plus continere solidæ pietatis doctrinæ &efficacis consolationis,quam integros octerniones aliorum Theologorum. Et Albertus Durerus celebris olim Noribergæ Pictor vere & sapienter dicere solitus est : Se propterea legere libentius Lutheri libros,quod statim perlectis tribus vel quatuor periodis scire posset quid expectandum sit in toto opere. Cum in aliis perlecto integro volumine attente cogitare oporteat quid sibi voluerit autor& quis sit scopus scripti.Hæc iudicia,inquit Porta,summorum virorum verissima fuisse res ipsa loquitur,&c.

D.Zoch.

Ioh.Frideric. septẽuir Sax.

Albertus Durerus.

D. Ste-

D. Stephanus Feierabent de Luthero tale Encomion scribit.

Feierabent fecit magnus post fata Lutherus,
Post varias tenebras lumen in orbe nouum.
Qui populos odiis variis commouit & armis
Dum reparat verbi dogmata pura sacri.
Dum docet ætherea quæ sit via vera salutis
Saluificam Christi restituitque fidem.
Dum reprobat falsos cultus, reparatque probatos
Oppugnatque tuos perfide Papa dolos.
Hunc ego diuinum sanctumque vocabo Prophetam
Pontificis quamuis ilia rupta crepent.

Plusculum beneuolum Lectorem detinui percensendo iudicia & testimonia plerorumque virorum per totum terrarum orbem clarissimorum, eorum etiam qui non sunt de nostra Euangelica Religione, sed plurimum steterunt à parte pontificis Romani. Tanta etenim vis est veritatis vt aduersarij non conticuerint, sed diserte palmam pietatis, veritatis & constantiæ inuictæ Luthero palam innuere & decernere coacti fuerint.

Ne tamen quid desit, vnum & alterum testimonium & iudicium de Luthero adscribo, quod petij ab illis, qui Caluini placita sequuntur: Nam & illi nolentes volentes Lutherum ceu eximium Iesu Christi seruum, in suis, quæ publice extant, scriptis nonnunquam deprædicant.

Iohannes Iuellus Episcopus Sarisburiensis scriptor Anglicus celeberrimus contra Thomam Hardingium Antichristi Romani procuratorem & causidicum sic ait: Quod ad religionis mutationem attinet, quam Hardingo libuit leuitatem appellare, si crebras mutationes recordari modeste suas, earumque occasiones prorsus leuissimas repetere vellet, æquior erga alios forsitan existeret. Certe Doctor Lutherus postquam est ad Ministerium veritatis semel à Deo euocatus, nunquam postea ab aratro respexit, neque oblatam sibi diuinitus gratiam repulit, etsi orbis vniuersas contra se vnum conspirasse potestates sentiret. volum. 1. f. 202. lit. R.

Idem fol. 71. lit. f. Hac de causa Lutherum Hardingius tam acerbe reprehendit, eumque arrogantem vocat, quādoquidem Dei voluntatem hominum placitis omnibus anteposuit.

Et rursus ibidem: Non mirus profecto inepti esse videntur ij, qui diuinam veritatem pro veritate minime habendam esse arbitrantur nisi Concilij approbatio consensioque accesserit. In hunc ipsum finem Lutherus librum scripsit ad nobiles ordinis Teutonici, postquam à Papa licentiam ineundarum

eund⸗rum nuptiarum impetrassent votisque liberati essent. Præcipit autem ne illa dispensatione freti nuptias coniungant: alioquin, inquit, Deum offendunt, & peiores sunt adulteris, vtpote qui hominis quam Dei maiorem rationem habeant, cumque diuina dispensatione vti possunt, quasi ea non sufficeret, humanam insuper quærant. Lutherus non eo hæc scripsit, quo pium vllum Concilium despicatui haberet, nihil quidem magis quam Esaias Propheta cap. 8. cum diceret: Inite Concilium & dissipabitur: Verum nullo modo ferre potuit Dei gloriæ tantam inuri maculam, vt hominum multitudo authoritatem probandæ simul & improbandæ diuinæ veritatis sibi adsumeret, quasi in se vera non esset, sed ipsorum vel caderet vel staret arbitratu. Quæ sequuntur, nihil aliud quam impura conuitia ac maledicta continent. Deus autem qui virum illum linguis vanis ac mendaciis liberauit, perpetua prædicatione extollatur, &c.

Petrus Viretus Heluetius Bernensis lib. 3. de Mysterio redemptionis sic. Cum Papistæ, inquit, à Lutheranis requirunt miracula, habent sibi pro maximo miraculo, quod vnius hominis scriptum Germaniam à Romanensibus illis prædonibus & Harpyis, breui totam liberauit, quibus antea, vt ille canit,

Tristius haud vllum monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum, Stygiis sese extulit vndis:

adeo plane flagitiosis nundinis, turpissimo veniarum mercatu, & illa sua de communicandis superfluis indebitisve meritis sanctorum, ad quæstum prædamque singulari consilio, repenta ratione regna exhauserant.

Diricus Beza Iohannis Caluini gener & in Schola & Ecclesia Geneuensi successor in gloriam Lutheri Antichristi domitoris tale concepit Epigramma.

Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit:
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quanto isto maior Lutherus, maior & illa?
Illum illamque vno qui domuit calamo.
I nunc, Alciden memorato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

D. Casparus Peucerus Budissinus Lusatus, in historico tractatu de cœna Domini: Apud vtros, ait, Saxonas ne vel Heluetios, prius emendatio doctrinæ & abusuum Pontificiorum cœperit, & apud vtros vter, Lutherusne apud Saxonas, an apud Helueticos Zvvinglius, initium fecerit, quod

aliqui disputant, omitto. Cum hoc ad institutum nostrum nihil faciat. Hoc constat Lutheri nomen à reprehẽsis abusibus & errorib. Ecclesiæ Romanæ multo ante Zvvinglium innotuisse & eundẽ πρωταγωνιστὴν atq; à Pontificiis præcipue peritum atq; impugnatum fuisse. Quare merito primas ac præcipuas partes in hoc toto emendationis susceptæ opere tribuimus ei, tãquam organo Dei singulari, excitato diuinitus, & conuenientibus ac necessariis donis animi excelsi, heroici, constantis & infracti, instructo diuinitus, vt cõtemptis, potentia, numero, minis, insidiis, aduersantis sibi propemodum totius orbis Christiani, & periculis quibus vndique circumfusus erat, perruptis & fugatis, destrueret regnum tenebrarum & tyrannidis Pontificiæ iugum detraheret ceruicibus hominum. Hoc insigne testimonium Peuceri notetur contra vanitatem Henrici Bullingeri, qui in præfatione Apologiæ Tigurinæ contra Iacobum Andreæ super Testamento Brentiano sic futilissime scriptitat. Enimuero in veritate sincera & absq; omni gloriatione carnis testari possum hoc beneficium nobis per Dei bonitatẽ accidisse, vt Dei verbum & Euangelium Iesu Christi in inclyta Tigurinorum vrbe aduersus Papatum & omnis generis errores, vere, perspicue & constanter prædicaretur, priusquam Lutheri nomen apud Heluetios innotuisset.

D. Georgius Sohnius Theologus Heidelbergensis de Luthero & Melanchtone in præfatione Thesium locorum plerorumq; Theologicorũ sic: Non sine singulari, inquit, consilio & prouidẽtia Dei factum videtur, quod Luthero Melanchton adiunctus est παραστάτης & laborum locius. Nam ille (Lutherus) primũ singulari animi magnitudine Papatũ expugnauit: hic vero expugnatum argumentorũ robore atq; neruis constrinxit, cõstrictumq; tenuit: Ille verã doctrinam è tenebris eruit, vt & Christo suus honor & conscientiis pax & tranquillitas constaret: hic erutam perspicue tradendo construxit: Ille Anathema Pontifici è manu excussit, hic excussum, ne reciperet Pontifex, cauit. Ille Doctores Pontificios fulmine verbi diuini prostrauit, hic prostratos, ne emergerent, repressit. Itaque horum studia sic coniuncta & temperata, regno Pontificio plus quam Monarcharum quamuis potentissimorum arma nocuerunt. Hæc Sohnius.

Sufficiant nunc testimonia hæc & iudicia eminentissimorum virorũ, etiam eorum qui cum Luthero nostro per omnia non senserunt, è quibus clarissime patet, quam gloriosam nominis immortalitatem & laudem inter vere doctos & sapientes nostri seculi homines Lutherus obtineat. Vnde porro quilibet penes se priuatim æstimare potest, quam eiuratæ & proiectæ impudentiæ homines sint Iesucidæ hodierni & eorum gregales, qui egregie suam se Spartam exornasse sibi persuadent, si Lutheri personam & vocationem impotentibus & muliebribus incessent & conspuant conuitiis & cri-

minationibus, quas interim cordati viri erecta ceruice contemnunt & aspernantur.

SECTIO VICESIMA SECVNDA.

De horribili & tremendo interitu eorum qui inter Papistas Luthero hostiliter restiterunt, & ei dira minati sunt: Sicut & eorum qui ante & post Lutherum Euangelio & Magistratui Papistice restiterunt exempla præmittuntur & subiiciuntur: Si forsan his Tragicis exemplis animi sanabilium Papistarum & Iesucidarum compungi & ad seriam emolliri possent pœnitentiam.

ATHENIENSES olim, vt annotat Casparus Peucerus Diuinat. lib. de Oraculis pag. 238. in Delo ne homo quidam nasceretur vel moreretur, iussu oraculi singularibus cauere voluerunt legibus: idem etiam præscripserit merito necessitas quædam, circa Papatum & regnum Antichristi, ne videlicet quispiā in eo nascatur, vel moriatur. Quāquā natiuitas in regno isto tenebrarum, quo ad salutē animæ, obstare & officere cuiquā nequeat, attamen summe periculosum fuerit papistice in Papatu sub Romanensi Pontifice emori. Certum enim est, Papistam, quatenus sit Papista & moriatur Papista, saluari & æternam salutem participare, nullo modo posse. Qui enim inter tot gloriæ mortis & meriti Christi extenuationes, euacuationes, & blasphemationes per propudiosa indulgentiarū ramenta & operum citra veram saluificamq; in Christum fidem commissorū quisquilias saluari & seruari homo possit, nemo in omnia secula e Spiritus S. bibliotheca, hoc est, biblicis sacræ scripturæ oraculis definiuerit & euicerit: Tantū abest, vt qs in hoc tenebrarum euripo & tantis caliginib. dato assensu beate ex hac misera vita discedere & in lucem & gloriam triumphantis cum Christo Ecclesiæ suscipi possit. Deus enim iudicat eos qui dilectam suæ veritatis lucem auersantur, vel ei aduersantur, tum in hoc seculo, tum in futuro æternum. *Cauendum ne in Papatu moriaris.* *Papista qua papista beate mori nequit.*

Sicut non solum sacratissimum Dei verbum sed & Historia Ecclesiastica idipsum instar locupletissimi commentarij vbertime cōmonstant, nimirum hostes Ecclesiæ veræ & verbi cœlestis cōtemtores corripi subinde efficacib. errorib. quod noluerint dilectā veritatem recipere, in quib. simul præcipitentur in reprobum sensum, & tragico tandem exitu sub orcum ad maritum Proserpinæ Cereris generum videlicet Plutonem abripiantur, vt sic finem faciant blasphemiarum & cōmentationum aduersus Christum, & dilectam eius sponsam Ecclesiam vere Catholicam. Inde nimirum est, quod Epiphanius Hæres. 78. Christum nomine q; vindicem veritatis, qui ho-

stes veritatis potenter correptos nouerit frænare & compescere, vt desinant suum Euangelium persecutionibus & furiis suis exagitare.

Pharao. *Pilatus.* Ita olim Deus in furore iræ suæ submersit Pharaonem in vndis rubri maris pereuntem Exod. 4. Ita Pontium Pilatum Romanum in Iudæa præsidem, qui contra Christum insontem, capitalem promulgauerat sententiam, virga iræ suæ percussit, vt desperabundus sibi Pilatus iste per violentas manus mortem intulerit, sicut recitat Euseb. lib. 2. Histor. Eccles. capit. 7.

Herodes. Ita interiit infantum Bethlehemiticorum Peullus Herodes Ascalonita, qui in ineffabilem animi cruciatum, pauorem & angorem illapsus, misere desperauit: vt Iosephus commemorat lib. 17. antiquit. cap. 8.

Herodem Agrippam Iacobi Apostoli carnificem Angelus Domini flagello & verbere cœlitus percussit, vt morbo pediculari (φθειρίασει) fœdissime consumeretur. Actor. 12. Ioseph. lib. 19. Antiquit. cap. 8. & Euseb. lib. 2. cap. 9.

Aurelianus. Cum olim Imperator Aurelianus edictum Tyrannicum contra Christianos promulgandum subscribere voluit, ilico exaruit ipsi scriptrix manus, vt habet Eusebius lib. 7. cap. 24.

Simon Magus. Simon Samaritanus Magus volens doctrinam Euangelij & historiam ascensionis Christi deridendam toti mundo propinare, arte Satanica nixus in sublimem aeris regionem subuolauit, verum iudicio Dei repressus in terram de sublimi prolapsus crure vtroque fracto confusus fuit, adeo vt præ pudore & publica confusione diutius viuere nolens de editiore montis cacumine in subiectas petras semetipsum paulo post præcipitaret, vt Arnobius habet lib. 2. contra Gent. p 54.

Diocletianus Diocletianus sæuissime in Christianorum sanguinem grassatus fuit, sed tandem fulmine cœlitus misso percussus est, vt habet Constant. M. Orat. ad sanctor. ct. cac. 25.

Maxentius. Maxentius contra Constantinum ducens exercitum Tyberis vastiore absorptus amne periit. Euseb. lib. 9. cap. 8.

Firmilianus. Firmilianus truculentus Christianorum hostis semetipsum confodit. Euseb. lib. 8. cap. 21.

Iulianus. Iulianus Apostata ab Angelo Domini cœlitus in prælio tactus desperauit. Sozom. lib. 6. cap. 2. Socrat. lib. 3. cap. 18. Theodoret. lib. 3. cap. 20. Niceph. lib. 10. cap 34.

Valens. Valens Arrianus Imperator à Gothis, quibus pro Catholicis Arrianos præfecerat sacerdotes, combustus est: Sozom. lib. 6. cap. 40.

Honoricus. Honoricus Vandalorum Regulus Orthodoxos Episcopos in Africa crudeliter

deliter persecutus est quod esset Arrianus: Inde iusto Dei iudicio φθειριάσει correptus à vermiculis pedicularibus corrosus interiit, ceu infami morte, vt habet Baptista Fulgosus lib.1.cap.2.

Baiazetes Turcicus Imperator crudelissimus suo tempore Christianorum aduersarius tandem à Tamberlane Tartarorum Rege prælio superatus & captus pessimeque habitus est. Namque Tamberlanes eum fenestratis æneis cancellis inclusum pro spectaculo secum per vniuersam Asiam & Syriam circumduxit, & illo, quoties adsilire in equum voluit, pro subpedaneo vsus est: quin etiam Baiazetes sub pransitantis vel cœnitantis Tamberlanis mensa recumbere & micas, ossa & proiectamenta decidua in sui sustentationem colligere coactus fuit. Inspiciatur das Regentenbuch lib. 2. capit. 1. *Baiazetes.*

Eadem ratione multi nostro tempore in Papatu extiterunt, qui Luthero & Euangelio dira minati sunt, & iusto Dei iudicio tanquam ab igne consumente absorpti interierunt. Multi fuerunt, qui ventris causa sub Antichristo voluerunt persistere, etiamsi nossent, se in illa idolomanias & falsæ doctrinæ erroribus erroneisque cultibus neutiquam saluari posse, & sic sub extremam mortis suæ horulam vermem & remorsum conscientiæ senserunt, præ cuius intolerabili cruciatu desperabūdi infelices exhalarunt animas, quæ quo in hac dubitatione & conscita cœlestis veritatis Euangelicæ abnegatione vel desertione, proiectæ sint, timens Deum penes se dolenter perpendere potest.

D. Hieronymus VVellerus pientissimus Theologus in cōmentario suo super Epist.2. Petri fol. 189. commemorat, quod sceleratissimus nebulo Iohannes Tezelius Pyrnensis, cum speraret, se quam diutissime victurum, & doctrinam Lutheri recens exortam facile oppressurum, in medio cursu dolore animi extinctus sit. *Tezelius.*

D. Nicolaus Selneccerus in hanc sententiam de interitu Tezelij scribit oration. de D. Luthero pag. 13. Miltitius ad se Tezelium vocat, increpans eius impudens os, quo ignominiæ indelebile stigma inusserit sedi Romanæ & nonaginta florenos pro menstruo stipendio, vno cum tribus equitibus & curru, liberis & gratuitis expensis habuerit.

Tezelius Pontificis animaduersionem seueram metuens in morbum incidit. Lutherus scriptis ad eum literis consolatur ægrotum & ad pœnitentiam hortatur, ac bono animo esse iubet. Ad Spalatinum quoque scribens, Doleo, inquit, Tezelij vicem & salutem in eam venisse necessitatem: mallem si possit seruari cum honore præstita emendatione: ipsius ignominia nihil mihi accrescit, sicut nihil decreuit mihi gloria eius: Non satis possum

mirati, tantum lucri ex pauperculis hominibus eum ausum fuisse captare, quo vel Episcopus viueret, imo Apostolus, &c. Mœrore autem & conscientiæ stimulis absumptus Tezelius, præsertim, cum audiret processuram esse disputationẽ Lipsensem, moritur & in patria sua Pirna, oppido Misniæ, eleganti & celebri, Epitaphium in templo consequitur, vbi porco impositus & retro equitans caudam porci, loco fræni & habenarum, manu tenens, parieti appictus conspicitur. Hæc Selneccerus.

Felix comes VVerdenbergensis in conuiuio apud Abbatem VVeingartensem vino onustus furore aduersus Euangelij doctrinam percitus, simulque micans oculis & digitis in has minaces erupit voces: Omnes ego neruos intendam si bellum aduersus illos hæreticos gerendum sit, nec viuam, quin arcem istam firmã (Ein veste Burg ist vnser Gott) sicut Lutherus tũ temporis heroico spiritus diuini impulsu odenEcclesiasticam istam composuerat) expugnauerim. Sed infelix iste Comes de summo mane in lectulo suo exanimis inuentus est. Vide Tom.5.Ien.Germ.fol.37.f.2.

Iohannes Eccius acerrimus & audax orator aduersus Euangelium longo tempore, tandem mente captus quod esset sollicitus de quater mille aureis, vnde & circumuentus lethali morbo, Epilepsia oppressus fuit, vt simul linguæ (qua sæpius aduersus Christum loquutuleius iste abusus fuerat) vsum amiserit & ita sine agnitione Dei miserabiliter perierit. Lutherus in Hoseam cap.2. & in Genes. cap.39. fol.53. f.1. Edition. Norinbergensis. Dn. Philippus Epitaphij loco Eccium istum hoc disticho donauit.

Multa vorans & multa bibens, mala multa locutus
Eccius hac posuit putre cadauer humo.

Et alius quidam.

Qui vino & dapibus ventrem, linguamque veneno
Pauit, conditus hic Eccius ecce iacet.
Quas habeat sedes animus neu quære viator:
Huic Deus atque animus venter & esca fuit.

Petri Martyris est illud in eundem.

Non hunc Elysii campi nec tartara condunt,
Hæc loca sunt hominum: Cantharus ille fuit.

Inimicum testis. Eccius idem ferens initio indignam repulsam à Campegio in comitiis Augustanis acerrime ira commotus venit ad Philippum Melanchtonem aliosque partis Lutheranæ, simul forte congregatos Theologos & conquestus apud ipsos de tanta contumelia, tandem adiecit: Quid vos mihi da-

si dabitis vt deseram istos nebulones & vestras partes sequar ac defendam? Ad quæ Philippus: Si nostra causa est vera, cur non sponte sequeris veritatem? Ipse vero videns se suo testimonio conuictum, primo quidem paululum attonitus & cogitabundus sedit, ac quasi obmutuit. Tandem vero paulatim se recolligens, inquit: Non tamen omnia sunt vera, quæ defendi possunt, ac sic ab ipsis recessit. Ioh. Manlius in Collectan. Sept. præcept. pa. 377. edidit. Francofurt.

De Canonicis Misnensibus scribit Thomas Stybarus in Historica narratione de vita Iohannis Friderici Electoris Ducis Saxoniæ, quod cum statim à clade & captiuitate Excellentissimi Electoris illius, supra modum iubilarunt, plauserunt ac in templum concurrerunt, hymnumque, Te Deum laudamus, pro strage & captiuatione præstātissimi Septemviri Electoralis cantauerunt, mox Deus iustissimus vindex in malignorum ac peruersorum illorum hominum ἐπιχαιρεκακίας Exemplum statuerit, manifestoque signo se abominari prauorum gaudia, declarat it. Actutum enim templum illud de cœlo fulmine tactum & incendio correptum est: & desuper omnia ædificia in cinerem redacta sunt. Campanæ & organa Musicalia liquefacta perierunt. Et incendium istud à quarta pomeridiana ad sextam matutinam alterius diei horam continue durauit. Vide etiam Bucholzerum Anno Christi 1548.

Consul Papista Huxariensis, cum Christiani degentes Hoxariæ ad fluenta Visurgis de captiuitate principis Electoris dolorem conciperent, vt obortis lachrymis ingemiscerent, tum, inquam, consul eorum Papisticus amarulento eos excepit hoc Sarcasmo: En, inquens, o vos audaculi, vbi iam religio & Sacramenta vestra? Hisque dictis se domum contulit defecato prorsus animo, suæque sectæ quendam ad delicias & conuiuium lætus nimirum ob captiuatum principem Euangelicum, genioque indulgens, inuitauit. At vero Deus noctu illi imparato, lethum & ineluctabile fatum immisit, in quibus angustiis pastorem & solatium Euangelicum expetiuit quidem, sed priusquam pastor aduētaret, consul, haud voti sui compos succubuit & sarcasticam exhalauit animam. Cyriac. Spangenbergius, citante VVolf. Centur. 16. fol. 514.

Franciscus Spira vir in Iure & causis agendis valde exercitatus, vndecim liberorum parens ciuis in oppido Citadella ditionis Venetianæ anno Christi 1548. ætatis suæ quinquagesimo Euangelicam veritatem Patauij, quo profectus fuit ex metu ei à Papisticis aliquot strygibus incusso solenniter abnegauit, quam tamen antehac grata mente amplexus: inde postea in horrendā desperationem prolapsus inter stridores & mugit⁹

terti-

terribiles extinctus est, quemadmodum prolixe commemorat D. Ludou. Rabus. 3. part. de Martyr.

Sartor Lipsiensis.

Anno Christi 1553. fuit minister cuiusdam sartoris Lipsiæ, qui cum antea cœna Domini vsus esset vtraque specie, postea persuasus sub Papatu vna specie sumpserat. Deinceps vero Lipsiæ rursus admonitus à suo, ad quem redierat, hero, vt ad sacram σύναξιν accederet, diu nihil respondit: tandem vero cum ingenti & horribili boatu reclamat: O, ô, ego sum perpetuum Diaboli mancipium, simulq; cum impetu se per fenestram præcipitem dedit, ita vt omnia sua viscera effunderet, & horribiliter moreretur: Ex relatione Dn. Philipp. Mel. hæc recitat Manlius in collectan. pag. 93.

Bartolomæus Latomus hæreticæ prauitatis inquisitor, quam miserabiliter circa annum Christi 1556. ob vnicam hanc causam quod scienter veritatem doctrinæ cœlestis oppugnasset, desperarit, recitat D. Alexander Alesius in enarratione Psal. 41.

O Herr Jesu Christe nimb vns in deine Bewahrung.

Crescentius Pontificis legatus in Tridentino Conciliabulo Anno Christi 1552. die 25. Martij scribendis litteris ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem vsque continuauit. Ibi surgens, vt sese reficeret, Ecce, visus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis, ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam delabi. Perculsus & obstupefactus, vbi demum se collegit famulos inclamat, qui erant in anteriore cubiculo, iubet afferri lumen & inuestigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclaui, grauem concepit cogitationem, & in morbum incidens decessit. Moribundus etiam, subinde suis acclamauit, canem qui lectum conscenderet, vt abigerent & arcerent. Schleidanus. lib. 23.

Georgius Martinusius Cardinalis & Episcopus VVaradinensis in Pannonia in eodem Concilio Tridentino à Iohanne Baptista de Castaldo Italo regis Ferdinandi Duce trucidatus interiit, vt Chytræus annotat in Saxo. fol. 450.

Alphonsus Diasius Hispanus Anno Christi 1546. fratrem suum Iohannem Diasium interfecerat Neoburgi in Bauaria propter solam Euangelij confessionem, cum ipse Alfonsus versaretur in aula Pontificis in iudicio Rotæ. Ipsemet autem Alfonsus deinceps in Concilio eodem Tridentino (quod sic aliquot homicidiis, iurgiis & desperationum tremendis exemplis pollui & lustrari decuit) de collo muli sui sese suspendens, miseranda morte ex desperatione interiit Anno Christi, 1551. Vide Theatr. Histor. Philipp. Loniceri pag. 125.

Quidam in Italia vt gratificaretur Episcopo, inquit Dn. Philippus, sumpsit vnicam speciem cœnæ Dominicæ (& vsus est manca & mutila cœna qualem aduersarij nostri solent populo distribuere) qui alias de reliqua doctrina Christiana non male sentiebat. Mox vbi rediit domum, incidit in grauissimum morbum & cum decumberet in lecto, repetiuit sæpius hanc vocem: Ah, inquiens, fieri non potest vt remissionem peccatorum consequar; quia filius Dei factus est mihi aduersarius, & aduersa fronte mihi repugnat, accusans me coram æterno patre suo periurij & defectionis, quoniam ipsum negaui. Et cum ipse mihi hostili animo repugnet, quæ potest esse spes reconciliationis? Si Christus pro me intercederet apud Deum, sicut pro aliis peccatoribus intercedit, & fungeretur officio Mediatoris, & deprecatoris, bonam spem conciperem, fore, vt mihi Deus reconciliaretur, placatus precibus filij. Sed cum hic hostilem in me impressionem facit, cogor omnem spem salutis abiicere. Hac voce subinde repetita, tandem miserabiliter extinctus est Manlius in collectan. pag. 93. fol. 1.

Quidam Concionator papisticus in Marchia Brandeburgensi, cum in Germania Anno 1529. nouum quoddam morbi genus, sudor nimirum Anglicus, grassaretur, è suggestu ad populum clamauit: Puniri mundum nouis morbis, eo quod nouam doctrinam nouamque fidem suscepisset: Veteri itaque Romanæ Ecclesiæ adhærescendum, eique fidelem præstandam obedientiam. Et indicta solenni processione postridie instituenda, improuisa morte extinctus est, ita vt loco processionis faciendæ fuerint exequiæ. D. Anton. Probus Orat. aduers. Hunger. lit. N. 3.

Dominicanus cum acerrime in cœnobio suo in Euangelicæ veritatis doctrinam inueheretur, inter concionandum fulmine interiit. Theatr. Histor. pag. 125.

Theobaldi Tammeri Apostatæ frater sinceram Euangelij doctrinam professus, à fratre suo Tammero, vt hypocriticæ Religioni adhæreret permotus est. Propter hanc autem veritatis defectionem in desperationem incidens, vitam sibi ipse laqueo finiuit. Ibid.

Sacerdos Forchemij (quod est oppidum in Episcopatu Bambergensi) vir iam decrepitæ ætatis qui baculis innixus difficulter se mouebat Anno 1557. pridie eius diei qua Christus in cruce passus est, à duobus Diaconis in suggestum deductus, verba Diui Pauli ex 1. Epist. ad Corinth. capit. 11. de cœna Domini enarrabat, anxieque errores Papisticos & Missæ idololatriam defendens inter alia proclamabat: Paule Paule, si tua doctrina veritati consentanea est, vsusque Sacramenti sub vna specie impius, precor,

ne oppressus de Christi iudicio conquereretur: Christus corã patre suo me, inquiens, accusauit & ait: Ne huic propitius sis, nec ei peccatum blasphemiæ & abnegationis remittas. Nam me & Euangelium meum coram Episcopo confiteri noluit: Hisce præstigiis, ait Lutherus, Sathanas eum effascinauit, vt Christum incueretur ceu seuerum iudicem, tentatorem, accusatorem, non vt seruatorem, mediatorem, summum sacerdotem, propitiatorem & thronum gratiæ. Quod si adfuisset ei fidelis Christi minister, eumque his verbis consolatus fuisset: Si fecisti, factum est: Inferat ergo Sathanas: Ergo meus es: Minime gentium, Tu respondeto: Non enim quid fecerim, sed quid credam spectandum est: Hac consolatione desperationi succurrere potuisset. Non enim in verbo FACIENDI, sed CREDENDI acquiescendum est: Quare temerarij non sitis: Legis & Euangelij discrimen exacte discite, id enim solum desperationis pellendæ modum exhibet. Ex colloquiis Lutheri Lonicer. in Theatr. Histor. 117.

Episcopus quidam (inquit Germaniæ præceptor D. Melanchton) solebat dicere: Ego non soleo diu disputare cum Lutheranis, sed statim iubeo eos demergi in Rhenum. Postea ille ipse Episcopus horribiliter est mortuus. Manl. in coll. p. 115.

NB. Quis iste fuerit Episcopus, dignum foret, vt nosset secutura, si qua est posteritas: Hoc indicat Dn. Philippus quod ad tractum Rheni suum Territorium habuerit simulq; inhumanam Tyrannidem exercuerit, Christi confessores videlicet in Rheno suffocando. Anne videatur tibi Christiane lector fuisse Episcopum illum de quo ibid. pagin. 92. Edition. Francofurt. Kopfianæ legitur his verbis: Episcopus quidam Moguntinus separauit quosdam, qui sub vtraque specie vsi erant Eucharistia, eosque iussit coniici in carcerem, volens ipsos fame necare: Quare mandauit procul illis ostendi panem & vinum additis his verbis: Accipite comedite: Accipite bibite. Vide Collect. Manlij pag. 92.

Refert Dn. D. Martinus Lutherus in colloquiis mensalibus ex literis Adami Budissinæ VVitebergam transmissis, concionatorem quendam relicta ciuitate, in qua sinceram Euangelij doctrinam tradiderat, blasphemam Pontificiorum doctrinam amplexum esse, & in pago Kunervvalde aduersus Lutherum diris execrationibus, è suggestu intonuisse, interque alia vociferatum: Si doctrina Lutheri vera sit se optare vt fulmine ictus pereat. Hinc diebus aliquot interiectis, graui sæuiente tempestate, sacerdotem impium suarum execrationum memorem, trepido cursu in ædem sacram festinasse, & cum campanas pro consuetudine Pontificiorũ agitari iussisset,

ante aram ad preces fundendas prouolutum, ibidem fulmine percussum concidisse, mox adhibitis fomentis vires recollegisse, sed cum per cœmiterium duceretur, iterum tanto fulminis impetu percussum, vt eius vis per verticem capitis immissa totum corpus, quantum est, & ima ventris penetraret, & ipse toto adustus corpore, iusto Dei iudicio extingueretur. Ex iisdem colloquiis Diui Lutheri Lonicer. Theatr. Histor. 120.

Monachus quidam annos aliquot Diuum Paulum in concione mendacij arguere nil veritus statim in suggestu subitanea morte concidens, blasphemiæ suæ pœnas dedit anno Christi 1536. ibid.

Iohannes Hofmeister ordinis Augustini Monachus (cuius Postilla Germanica extant impressa Anno Christi 1550. Ingolstadij Bauarum per Alexandrum & Samuelem VVeissenhorn fratres) cum iter faceret Augustam Vindelicorum versus, eo animo, vt, quantum in se esset, dispiceret de libri illius Interim (Mentiri ἀναγρ.) matura diuulgatione, qui iam in Fabrica pōtificia cudebatur: Ecce? derepente eo insaniæ delabitur, vt Guntzbergæ furoris eius edomādi gratia, catenis astringeretur: Sed & horribiliter eiulādo se in æternum à facie Dei proiectum & Diaboli mancipium esse clamabat. Vbi vero de misericordia Dei magna, de pœnitentia agenda admonebatur à circumstantibus, aiebat miser ille: Hæc se nihil amplius attinere vt qui hactenus apertam veritatem dictis & factis acerrime oppugnauerit, & conscientiam suam obstinata mente sauciauerit.

Doctor Naues misere mortuus. Ita vociferans & de salute sua desperans, extinctus est in eodem diuersorio, quo paulo ante Cæsarius Cancellarius Doctor Naues quoque miserabili fato defungebatur, vt & Treuirensis Episcopus quidam, de quo alibi nonnulla scribuntur. E Cyriaco Spangebergio Clariss. Dn. VVolfius cent. 16. fol. 517. & 518.

Henricus secundus Galliarum Rex cruentus Ecclesiarum in Galliis hostis & confessorum Euangelicæ veritatis persecutor sæuissimus & truculentus: subitaneo tandem interitu præter omnem spem & opinionem ceu Angeli flagello è viuis sublatus est. *Annas Burgius.* Consultissimus vir Annas Burgius consiliarius Regius eum in senatus consessu humilime subiectissime & pientissime dehortatus fuerat à profusione innocentis sanguinis, eorum qui odiose Lutherani appellarentur: Regiam eius Maiestatem multo magis decere moderatum paternum sceptrum, verum non solum is nihil profecit, sed insuper è regis istius mandato in vincula cum aliis aliquot regiis consiliariis coniectus est, lataque tandem sententia fuit, vt Burgius iste laqueo peremptus simulque ardentis pyræ flammis cremaretur, quod & factum

ctum est. Verum quam mercedem Henricus Rex iste asportauit? Dicam tibi: Cum in quodam ludo vel certamine (quod accursum Troiæ vocant) quendam comitem Montgomerium prouocasset, cui inuito lanceam in manus tradiderat, Montgomerio autem eodem lanceam in regis thoracem tam mascule & potenter iaculante, vt confracta schidia in regiæ galeæ bucculam facile se aperientem prouolauerint: horum vnum in dextrum Regis oculum prosiliit, eique mortiferam plagam, quod nimirum cerebrum eius læsum esset, inflixit, quod factum est Anno Christi 1559 die 29. Iunij. Decubuit iste miserrimorum Christianorum persecutor, vtpote aduersus quos flammas & ferrum spirauerat, vsque ad decimum diem Iulij. quo post indicibiles cruciatus, animam suam efflauit. Morti vicinus admodum deplorauit suam temeritatem, & in Religionis purioris adsertores, sæuitiam, verum Cardinalis Lotharingius Reginaldus Polus adstans moribundo, monuit eiusmodi cogitationibus tanquam Diaboli spiculis & suggestionib. esse resistendum. Vide das Herbornische Martyrbuch lib. 7. pag. 630. vbi hæc omnia ex Emanuele Meterano fusius per omnes circumstantias recensentur.

Iohannes à VVeitza nobilis ex terra Iuliacensi oriundus, Episcopus Constantiensis vehementer pro sua parte adiuuit bellum Schmalcaldicum aduersus Euangelicos, quorum & ipse dirus & crudus hostis extitit; post confectum istud bellum Germanicum interfuit cum multis aliis Papisticæ Religioni addictis principibus & Episcopis comitiis quæ Augustæ celebrata sunt Anno Christi 1548. in quibus inter crudelia consilia & impios de captiuato generosissimo principe Electore Iohanne Friderico triumphos, iste Iohanes à VVeitza subitanea morte ex hac vita ante tremendum Dei iudicium euocatus est: idque noctu factum est, cum paucis horis prius inter cœnandum horribilia Constantiensi vrbi & Lutheranis in diœcesi sua habitantibus, interminatus esset, hac ipsa voce etiam vsus, ich wil sie bugen / oder die Handt GOTTES sol mich rühren/ hoc est, ego eos tractabo egregie, aut manus Domini tangat me. Hæc vero non modo tetigit eum, ita vt mortuus in lecto inueniretur, postero die à cubiculariis, qui horribilia quædam se ea nocte audiuisse fassi sunt: sed in puteum interitus præcipitem veritatis hostem dedit. Casparus Brusch in annalib. Episcopor. Constantiensium: In Iohanne V.

Stephanus Agricola aliquandiu Euangelium Iesu Christi sincere professus fuit, sed tandem partim præ metu partim propter ventrem deficiens cum Papistis se copulauit & petiit à Papa Romæ vt publice à Lutheranis-

mo absolueretur, id quod & factum, is postea delapsus in Tyberim miserrimo & tragico spectaculo suffocatus periit. Postill. Silberschl. part. hyberna. fol. 370.

Iesuita spectrum nocturnum Dæmoniacum simulans in Augustana Vindelicorum vrbe & seruulam puellam territans quo eam ad defectionem de fide Lutherana commoueret: quomodo à manu & pugione ministri qui forte adolescentulam amabat, sub intempestam noctem occubuerit, recitat Ludou. Lauaterus in libello suo de spectris pag. 42.

Concubina missificatoris in pago Abentheurer/ prope Gentam vrbem, quam tragice perierit Hiobus Fincelius lib. 3. de miracul. commemorat his verbis: Rusticus in illo, inquit, pago filiam habebat eleganti forma: hanc Sacerdos Pontificius libenter in concubinam habuisset: Misit itaque identidem ad eam vetulas, ad persuadendum ei, & pollicitationibus alliciendam, vt eius coquina fieret, demum post multos labores, oportunitatem eam ipsam alloquendi nactus est, petit ab ea, vt se ei dederet, &c. Respondet puella, Mi Domine in tali angore constituta nunquam fui, ac nunc. Me namque aliquis sibi in vxorem petit, nescio quid respondeam, parentes mei hoc non ferrent, & metuo, Deum me in æternum, si tibi obsequerer, damnaturum. Ad hæc ei Missificator respondit: Non est, quod matrimonium respicias. Nam ibi miseria, inedia, calamitas, & omne malum. Apud se autem, ætatulam in deliciis acturam, omni affluentia abundaturam, pretiosas vestes se ei comparaturum, & omnis laboris expertem fore, nisi vt hospites & amicos hilares redderet, & secum in gaudio viueret. Præterea nec opus esse, vt de damnatione sollicita esset. Nam à Papa se potestatem super Sathanam & homines ac animas habere, se fideiussorem eius esse, salutisque eius securitatem ei polliceri, denique Christianis omnia esse remissa. His & similibus phaleratis verbis misera puella circumuenta statim ad eum interdiu sine verecundia & metu commeabat. Cum itaque aliquandiu apud eum commoraretur, & ei in omni luxu obsequeretur: Accidit, vt Missifex conuiuas inuitaret. Et interea, dum conuiuium paratur cum eodem Missifice sola in hypocausto est, venit Diabolus ipsemet, ianuam impetuosus aperit & concubinam comprehendit & dicit: Mea es: Veni mecum: Et in ictu oculi eam de domo per aera secum abducit. Illa eiulabat miserabiliter, Missificem vt opem ferret, implorabat, qui cum Diabolum incantando abigere & coquinam eripere, sed frustra conaretur, tunc Diabolus ad sacerdotem: Et tu meus es: te breui quoque auferam: vide sis paratus: Et sic pellicem miseram euanescens auexit: ita Pontificiorum

sacri-

sacrificulorum pellicatus à suo honoratur fundatore. Acciderunt hæc Anno Christi 1557.

Thomas Blauerus Regis Scotorum consiliarius summus, autor persecutionis aduersus Doctores Euangelicos susceptæ, cum horam mortis iam ingruere intelligeret, se damnatum & perditum esse assidue clamauit. Cumque Monachi lecto adsisterent, eumque consolari vellent, Apagite; inquit, cum vestris ineptiis. Nunquam enim adduci potui, vt crederem Deum esse vel Sathanam, infernū vel cœlum, & in pari pretio tam vestram, quam Euangelicorum doctrinam habui, solam spectaui in meis consiliis pecuniam. Et eius rei gratia Episcoporum causam egi, Regique autor fui, vt vestros aduersarios eiiceret. Idcirco nihil mihi proderunt vel missæ vel vigiliæ: Sum enim damnatus & Satanas iam constrictum me tenet, vt in abyssum inferorum me abripiat, & illic in æternum secundum mea merita me affligat. In hac desperatione misere extinctus est. Hondorf. in 2. præcept.

Hieronymus Bock Emser, quam desperata morte interierit verbis D. Nicolai Selnecceri huc adscribere libet, qui in hanc sententiam scribit: Dresdæ quidam Alexius Crosnerus, antequam Papisticis erroribus explosis, purior Euangelij doctrina reciperetur (quod sub Heinrico demum principe Opt. Max. factum est) concionatoris aulici officio per annos tres fungebatur. Quia vero Alexius doctrinam Euangelij pure & caste tradebat, multorum in se odium acerbissimum concitabat. Hi eius conciones & carpebant & in peiorem partem rapiebant, & dicam ei subinde scribebant. Itaq; loco ad extremū mouetur. Cæterum cum supellectili sua currui imposita abitum iam pararet, in Hieronymum Enserum Bockium papisticæ doctrinæ propugnatorem forte fortuna incidit. Is quidem hanc in rationem eum affatus est: Vidi equidem tandem aliquando eum diem, cum tibi hæretico definita hora, atq; adeo ante solis occasum vrbs hæc, duce atq; comite Diabolo purganda est, cum ego contra hic durem. Itaque Alexius sic ei respondit. Ego vero Emsere σὺν θεῷ hinc demigro, ac cum hac quidem in regione prior te fuerim in spem maximam, & quemadmodum confido, verissimam adducor, futurum vt te sublato, ego adhuc in ipsa ætatem agam. Quid accidit? ea ipsa mox vespera Bock Emserus ciuibus quibusdam Lipsensibus cœnam dat, genio suo indulget & Bacchanalia viuit. Cæterum cum ciues illi domum se retulissent, Bockemserus occupato sedili, cum horrendas in Deum blasphemias euomit, tum indecore etiam gesticulatur, tum vero morte repentina extinguitur. Idque fere accidit hora vespertina nona præsente famulo & culinaria, qui rem omnem deinceps ita vt

gesta

gesta & à nobis exposita iam est, diuulgarunt. Selnec. in Ieremiam cap. 38. vnde hæc vtcunque translata sunt.

Doctor N. Turckius, Marchionis Alberti, Archiepiscopi Moguntini, primatis Magdeburgensis Cancellarius, infensissimus Euangelij hostis miserabiliter desperatissimeque Lipsiæ Anno Christi 1547. mense Iunio interiit, sicut D. Simon Pauli in explicatione Euangelij Dom. Trinitatis recenset his verbis: Doctor Turck Iureconsultus videt in morbo suo, quo extinguitur, diabolos ad lectum adstantes, ideoque digitis in parietem infixis se defendere nititur, ne viuus auehatur ab ipsis, & contra ipsos sibi opem ferri miserabili clamore petit. Mortuo deinceps ad prolixi digiti longitudinem, atra ex ore dependet blasphema lingua, qua sæpe in bello Germanico hæc verba protulerat: Vbi nunc sunt illi qui hactenus cantarunt, Turris fortissima nomen Domini, Ein veste Burg ist vnser GOTT. Moritur autem Lipsiæ pridie eius diei quo explicatur Euangelium de diuite & Lazaro. Affirmabant igitur ciues Lipsenses, Doctorem Turcum ad Epulonem in infernum ad conuiuium abiisse. D. Sim. Pauli loco dicto.

Georgius Dux Saxoniæ Lutheri per omnem vitam & Euangelij renati infensissimus aduersarius, quam misere sine hærede adeoque cum omnibus suis ex hac vita abreptus sit, recitat Chytræus in sua Saxonia his verbis. Georgius Saxoniæ Dux Alberti filius cum ex nouem liberis, quos ex Barbara Casimiri Poloni filia susceperat, vnicum filium Fridericum, mente non satis constantem, superstitem haberet, coniugem ei Elisabetham, Ernesti comitis Mansfeldij natam, Iohannis Georgij sororem, dedit, eumque hæredem ac gubernatorem patrij ducatus, adiunctis viginti quatuor consiliariis, testamento designauit. Cum autem vix vno post nuptias mense exacto hic obiisset, pater etiam senex Dux Georgius, mœrore & curis ac ætate confectus, magno cum Pontificiorum principum dolore decessit. Anno Christi 1541. die 17. Aprilis cum vixisset annos 68. vide Chytræum loco dicto fol. 387.

Oliuarius Galliæ Cancellarius in hunc farraginem suo merito referri & debet & potest: is cum tristem in pios viros, qui Cabreriis & Merindolij Prouinciæ oppidis puram religionem exercerent, sententiam latam suffragio suo contra conscientiæ iudicium, approbasset: ac postea veritatis cognitione imbutus, sæpenumero fassus esset cum lachrymis, se merito ob id à Deo reiectum: tamen in tumultu Ambosiano præcipuus inter eos iudices sedit, qui multos pios ac strenuos viros, tyrannico peregrinorum iugo & Regem ipsum & populum Galliæ liberare fortius quam felicius molitos:

velut

velut perduelles, reluctante conscientia, damnarunt. In iis quum Petrus Campagnacus, literatus adolescens, ad causam dicendam productus esset: Cancellarius, eo neque audito neque interrogato, Suspendite, inquit, suspendite hunc hominem. Quid? suspendite, ait Campagnacus: Facile quidem tibi id dictu est. At si tu, ex quo id factis es promeritus, suspensus esses, iam ante triginta annos pauisses coruos, nec tot scelerum minister fuisses. Recordare mecum quid admiseris, quum Pictauij iuri ciuili operam dares. Num te eo tempore vnum è contubernalibus tuis scelerate interfecisse meministi? atque inde in tantum patris odium venisse, vt ex eo te in conspectum suum venire vetuerit: Ac re ipsa quidem Æquinuellerius quidam, Oliuarij tum socius, perditus nebulo propter hoc facinus Lutetiæ suspensus fuerat. Ad hæc verba adeo perculsum memoria facinoris Oliuarium fuisse constat, vt obruto mœrore & insania animo, & inde graui morbo implicitus, horribiliter aduersus Deum ipsum fremeret. Tanta interea ægritudinis & horroris vehemētia, vt quanquā defecto corpore, & assiduis morbis debilitato, phrenetici tamen instar aut robusti alicuius adolescentis totum cubile concuteret. Ita ægrotantem inuisit Cardinalis Lotharingus: sed Oliuarius cum suos eius aduentu cruciatus augeri sentiret, facessere propere cubiculo iubens, ne ipsius quidem conspectum pati potuit: Vt vero paulo longius semotum animaduertit, tum altius ingemiscens in has voces erupit: Ah, Ah, Cardinalis, tu nos omnes in æternum exitium trahis. Tum accedere ad ægrum Cardinalis & consolando vltro spiritus eius mitigare: Eum videlicet tentari, inquiens, ab immundo spiritu, sed in fide perstandum esse. Egregie, inquit Cancellarius, egregie, scilicet quasi hæc tu credas. Inde aspectum eius auersatus, & nihil eloquutus vltra, paulo post vita excessit. Inter lentos cruciatus, Annæ Burgij senatoris integerrimi mortem præcipue deflebat. Hæc est merces iudicum, quibus Aulicæ gratiæ fumus, sua conscientia potior est. Recitat hæc Iohann. Lampad. Mellific. Histor. part. 3. pagin. 455.

Michael Salisburgensis Episcopus, tragice quoque ceu impius lupus & crudelis Tyrannus interiit, sicut publico scripto & pictura Anno Domini 1557. diuulgata Matthias Flacius immanem & horribilem illam historiam in totum mundum propalauit. Michael iste Episcopus vel potius indiabolatus Tyrannus cum in proximo luco ad insaniam vsque venaretur, ceruus autem quidam ictus extra saltum profugeret & in pauperis cuiusdam rustici segetem deueniret ibidemque veniente morte concideret, eum vero postridie inueniret inops ille, cui domi esset plurima soboles,

les, vix tamen interim panem haberet, quem cum ſuis ederet, tanquam diuinitus ſibi oblatum domum detulit, excoriauit, edit ſeque ita ſuoſque ſatiauit. Quod cum Epiſcopus per ſeruulorum venaticorum ſuorum vnum explorallet, miſerum hominem iſtum in carcerem acerbiſſime detruſit, & iudici commiſit, vt is ei vitam adimeret. Qui vbi tam indignam ſententiam ferre recuſauit: ipſemet Epiſcopus tribunal aſcendit, hominemque ad mortem deterrimam condemnauit. Nimirum corio deuorati cerui illum inſui & canibus ſuis interimendum dari mandauit: hac tamen pœnæ mitigatione vel potius nequiſſima illuſione addita, vt ſi poſſet fuga à canibus elabi, ſicut ceruus elapſus fuerat, plane liber eſſet. Ita impactum ceruina pelle virum innocentem in foro quadrupedem ceu feram venatus eſt, & ipſe Epiſcopus coram animi ſui declarandi gratia, quam nimirum ſpectaculum venaturæ iſtud ſibi arrideret, cornu venaticum in manus ſumpſit, eoque plenis buccis inflato canes & moloſſos atrociſſimos in miſerum hominem, humi inter canum dentes & morſus repentem incitauit, qui iam animam ſuam Deo commendabat, cauſamque iniquiſſimam ipſius iudicio deferebat, qui eum vndique rapido curſu aggreſſi, miſerrime ac ſi eſſet ſylueſtris fera, dilaniarunt. At vero ſanguine innocente illo in cœlum clamante, non impunem illum nefarium ſimul actorem & iudicem intolerabilem Tyrannum Deus dimiſit.

Nic Sterephra ſin Macheſii Vſurpaueris: die Schuch herab / vnd zum Teuffel hinzu / da will Bader dich krawmne.

Cum etenim poſtero die iterum venationi indulgeret, manus Dei percuſſit eum, ita vt apoplectico morbo correptus de equo collapſus horribili & repentina morte interiret. Matthias Flacius nefandum hoc homicidium iſtius Diabolici Epiſcopi per publicam picturam anno ante dicto publice in vniuerſum orbem Chriſtianum propalauit, contra quem Fridericus Staphylus Apoſtata, conductitius Paparum & Epiſcoporum cauſidicus ſcribens, crudele & immane illud factum excuſat, quaſi Illyrico, vt homini priuato & infimæ fecis, tam ſublimem Archiepiſcopum & Principem Imperij accuſare minime liceret. Egregium ſane folium fici. Vide Ioh. Gvilhelmi Kirchofij libellum Francofurti editum anno Chriſti 1573. parte 2. pag. 415. f. 2..

Stephanus Gardinerus à VVinthon Regis Angliæ Cancellarius dederat hoſtilia conſilia de proſcribendis Euangelicis Chriſtianis & de confiſcatis eorum bonis vltra centena millia aureorum corraſerat, vt interim ſilentio tranſeam aurea eius vaſa, prædia & diuitias alias quibus turgebat & ſuperbiebat. Tandem autem præ pediculari & hydropico morbo viuus computreſcens ſic vſq; fœtuit, vt ſibi ipſi fieret abominandum in mo-

dum:

dum tædiosus & intolerabilis éque vita sic desperabundus exiret. Ibidem pag.411.fol.11.

Valentinus Paceus ante annos non ita multos fuerat Theologus & concionator Euangelicus Lipsiæ. Is à nostra sincera Religione defecit, in Sueuiam profectus, Dillingæ sese cum Pontificiis coniunxit: Et Euangelii doctrinam blasphemauit & virulenter irrisit. Multum sibi gratulati sunt Pontificii super hoc Apostata, quod talem (scilicet præclarum virum) nacti essent, non enim fuit indoctus. Cum autem aliquando is Lauingam exspaciatus esset & inde domum, Dillingam versus rediret, in itinere incidit in militem quendam venabulo armatum: is siue ebrius siue alio Spiritu impulsus, Valentinum Apostatam, atrocissimis verbis, adiunctis etiam blasphemiis adoritur, subinde eum Iudæum appellans, & tandem venabulum per os Valentini aduersum traiicit eumq; occidit. Hūc infelicem vitæ exitum habuit Apostata Euangelij Iesu Christi iuratus hostis & blasphemator. D. Lucas Osiander Epitom. Hist. Eccle. cent. 16. lib. 3. c. 30. pag. 666. ad annum Christi 1558.

Iacobus Marchio Badensis quam præter omnem opinionem insperate mortuus sit, cum nuper admodum ex suggestione leuissimi scurræ & Apostatæ Iohannis Pistorij medici ab Euangelio ad Papisticam idolomaniam defecisset, non meis sed clarissimi Theologi Marpurgensis Dn. D. Danielis Arcularij verbis huc subiicio. Is etenim Anno Christi 1590. die 28. August. ad præcipuum quendam amicum suum è Marpurgo scribit his verbis.

De Doctoris Iohannis Pistorij Niddani ἀποστασίᾳ & ad Papismum defectione haud dubie intellexisti, quemadmodum principem suum Iacobum Marchionem Badensem ad eandem induxerit defectionem, vt superiore mense Iulio in suæ ditionis Ecclesiis Religionem mutarit & exturbatis sinceris verbi ministris in locum illorum substituerit sacrificulos missificos. Qui quidem princeps sub initium mensis Augusti cum expiatis de more templis primam missam celebrari curasset & peracto sacro proceres nonnullos magnifico excepisset conuiuio, in illo ipso conuiuio dysenteria correptus, intra tertium diem interiit, singulari prouidentiæ diuinæ atque vindictæ exemplo. Pistorius illinc profugit. Idem factitarunt sacrificuli, qui nuper eo venerant à principe acciti, abductis secum, quas attulerant & in templis passim collocauerant imaginibus. Gubernationem tutorio nomine suscepit principis defuncti frater Ernestus sinceræ religioni addict⁹, qui statim à funere fratris reuocatos ab exilio verbi mini-

ſtros à fratre eiectos ſuæ quemque Eccleſiæ & loco reſtituit. Incredibile eſſe, aiunt, quantopere Pontificij de Marchionis illius Iacobi defectione gloriati fuerint & quantas conceperint ſpes regni ſui per Germaniam propagandi. Verum non fuit illis ſolidum hoc gaudium, &c. Hæc illæ.

Ioachimus de Noua Domo, ſiue Nenhuſius eques Aurei Velleris Cancellarius Bohemicus cum Anno Chriſti 1565. veluti acerrimus Eccleſiarum Euangelicarum hoſtis prolixis tractatibus ab Imperatore diplomata publica contra miniſtros verbi ex vniuerſa Auſtria & Bohemiæ regno cum vxoribus & liberis eiiciendos obtinuiſſet & iam lætus hoc nomine per currum Vienna Auſtriæ egrederetur & in pontem tranſiret, rupto vno pontis iugo, quod tamen recens ædificatum fuerat, vna cum ciſio & equis delapſus, in Danubio ſubmerſus eſt, inſtar cuiuſdam Pharaonis. Vide Chytræum in Saxon. fol. 558.

Doctor Georg. (alij vocant Matthiam) Selt Auguſtanus Rhætus Iurecõſultus Caroli V. Hiſtoricus, Ferdinandi & Maximiliani ſecundi Imperatorum ViceCancellarius atrox itidem Euangelij aduerſarius & perſecutor miniſtrorum reformatæ religionis, cum feſtinabundus de curru quo vectus fuerat, deſilire voluit, ſimul grauiore ruens lapſu, ceruicem fregit & ilico miſerrime expirauit. Vide Schluſſelburgium in explicatione Euangelij in die Stephani fol. 186.

D. Vlricus Zaſius Conſtantienſis celeberrimum alias Iuſtitiæ oraculum vehemens antagoniſta eorum qui à Papiſmo defecerant ad Euangelium, inprimis Iohannis Durrembachij & aliorum verbi miniſtrorum iracundus perſecutor, admodum repentina & maligna morte ſublatus eſt, Ibidem.

Cancellarius Archiducis in Auſtria, inimicus omnium fidelium Euangelij Doctorum, tandem delirio & inſania correptus fuit. Ibidem.

Cancellarius Bauaricus qui & ipſe ſedulo vigilauit, ne in Bauariam Chriſto pateret aditus Anno Chriſti 1584. è balneo vix egreſſus ſubito collaptus animam efflauit. Ibid. fol. 187.

D. VVellinger Archiducis Ferdinandi Cancellarius Baro liber factus, qui ſuo etiam ſuffragio Lutheri confeſſionem & eius adſertores condemnauerat, tragice demortuus eſt. Ibid fol. 186.

Raſteldij Fratres Canonici Monaſterienſes in VVeſtphalia, abdicati Euangelicarum Eccleſiarum hoſtes, miſerrime vtrinque vitam amiſerunt. Apud eundem fol. 187.

D. Si-

D. Sigiſmundus Helt, Iureconſultus, diuinæ veritatis oſor, repentina morte extinctus eſt. Ibi.

D. Nicolaus Zieglerus, liber Baro in Alſatia, Miniſterij Euangelij ſuperbus contemptor, tandem in extrema paupertate mortuus eſt, & bona eius ad ſe coemit Magiſtratus Argentoratenſis. Anno 1585. Ibidem.

D. Matthias Friderici faſtidioſus contra Miniſterium Euangelij Iureconſultus è feneſtra ſublimatæ cuiuſdam in ædibus ſuis contignationis procumbens coronarios & odoriferos floſculos & inprimis caryophylla voluit humectare, ſed deſuper magna vi ponderoſi ſui corporis humi delapſus fuit & miſerabiliter ſic interiit. Ibid.

D. Marſilius Breuninger Epiſcopi Herbipolenſis Cancellarius funeſtus aduerſum Euangelicas Eccleſias conſiliarius, tandem ex angore animi venenum hauſit & ſe ipſum ita interfecit. Ibid

D. Georgius VVellingus Syndicus Rigenſis clandeſtinus Ieſuitarum promotor & veræ Religioni contrarius, vna cum collega ſuo Iohanne Taſtio Secretario Anno Chriſti 1585. gladio percuſſus viuere deſiit, vt habet Chytræus in Saxon. fol. 803.

D. Eberhartus Schvviningius Syndicus Mindenſis atrox miniſterij Euangelici Mindenſis aduerſarius, oſor & hoſtis, hauſto clam veneno, ſe ipſum in deſperatione ſic interfecit, ſicut Ampliſſimus Senatus Mindenſis id ipſum publice de cathedris poſt concionem recitari curauit ante annos non ita multos. Teſte Doctore Conrado Schluſſelb. loco prius dicto fol. 187.

Iohannes de Roma nouum tormenti genus quo Lutherani afficiendi eſſent, excogitauit, nimirum vt deliquato lardo eodemque adhuc inſtar ardentis picis æſtuante, replerentur ocreæ in quas Lutherani pedes & crura immittere & ſeſe ita calceare cogerentur: Hoc tormentum vocauit iſte Perillus, Lentum ignem: quo non tam cito ceu alias creperis flammis ſed bene diu in exquiſito cruciatu miſerrimi homines, quos Lutheranos nominare adſolent detenti, torquerentur, & è rebus eximerentur humanis. Verum Perillus ille Iohannes de Roma tandem viuus circa finem vitæ in ignem & æſtum deſperationis conſidens damnatiſſimo mortis genere in æternos gehennæ ignes incendia & cruciatus deſcendit, inter quos ignitis calceatus ocreis ſudat & æſtuat in ſempiterna ſeculorum ſecula, &c. Iohan. VVilh. Kirchof. in farrag. Francofurti edit. Anno 1573. parte 2. pagin. 411. fac. 2.

Terribilia hæc exempla maiori copia hoc modo introducere volui, vt

piæ mentes horum lectione in vera fide & confessione, humilitate & precum incensis ad Deum confirmarem. Tum etiam, si Papistæ & Iesuicidæ, eadem hæc exempla legerint, vt contremiscant, cogitent se in hoc mundo miserrimos esse hospites, quos cito vel tarde mors sua certa premet: dum ergo adhuc est tempus gratiæ seriam agant pœnitentiam: exeant ex Babylone & digito compescentes labellum, Christo & Euangelicæ veritati dent palmam, ne in æternas flammas per iustam damnationem sempiternæ mortis à facie Dei arceantur, & ceu paleæ sequestratæ abiiciantur.

Nosse Deum & bene posse mori, sapientia summa est.

Grauiter commonefacit Psalmista Regius Psalm. 33. v. 10. Timete Dominum omnes sancti eius. Et Petrus 1. Epist. 4. v. 18. Si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit? Et ipsemet fidelissimus Saluator Lucæ 9. v. 25. Quid prodest, inquit, cuipiam si lucretur vniuersum mūdum, seipsum autem perdat, siue sui ipsius exitio mulctetur? Quem enim puduerit mei ac meorum sermonum, eius pudebit filium hominis quando venerit cum gloria sua & patris sanctorumque eius. Rursus Luc. 8. v. 8. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Et Doctor gentium Philippens. cap. 3. v. 7. Quæ, inquit, mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damna esse, quin etiam certe duco omnia damnum esse propter eminentiam notitiæ Christi Iesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multaui, eaque duco pro stercoribus (σκύβαλα εἶναι) vt Christum lucrifaciam. Et comperiar in eo non habens meam iustitiam, nempe quæ est ex lege: sed eam quæ est per fidem Christi, id est iustitiam quæ est ex Deo per fidem, &c.

Notatu etiam dignum est non solum nostro seculo (quo post renatum Euangelium Papistæ longe plures Martyres, crudelissime propter confessionem veritatis Euangelicæ interfecerunt, quam sub decem illis ante Cōstantinum Magnum Imperatorem, immanibus persecutionibus per integra tria & amplius secula olim ob veritatis cœlestis confessionem interfecti & trucidati sunt) crudeles Papistas multos diuinitus immissis pœnis punitos esse: sed etiam ante Lutherum plurimos excæcatos induratosque Papas & Papæ adseclas vel eius defensores horribiliter per Dei iustam & vindicem manum comminutos quassatos & ad inferorum tremenda supplicia deturbatos esse, vt aliqua veræ Ecclesiæ Catholicæ forent aliquandiu halcyonia quæ omnia diligenter obseruasse, cum summum sit operæ pretium, in gratiam Christiani Lectoris subtexere placet.

Ante Lutherum plurimi Papistæ confusi & puniti.

Ponchetus Episcopus Turonensis.

Postremo autem quod paulo ante de Iohanne de Roma noui tormenti inuentore allegaui exemplo inprimis respondet memorabilis interitus Poncheti Archiepiscopi Turonensis. Hic etenim primus Regi Galliæ autor fuit,

fuit, inquisitores instituendi, qui pios cremarent: Sed Ponchetus ille febri ardentissima primo ita vstus fuit, vt exteriora membra illi putrescerent, nec æstus iste, membris licet articulatim dissectis, sedari potuerit, qui tandem Perillum istum & vstorem combussit, vt annotat Iohannes VVolfius sub Imperatore Maximiliano 1. & Leone 10. Papa circa Annum Christi 1513. fol. 71.

Num ouo ouum possit esse in singulis fere circumstantiis similius, quam Ponchetus ille sit Perillo fabro Atheniensi qui Phalaridi Agrigentinorum Tyranno taurum ex ære fecit in quem homines miseri inclusi subiecto igni cruciarentur, sed dolorem & tormentum istud, cogente eum Tyranno, primus expertus est ipse secundum versum:. *Perillus & Phalaris.*

Ille opifex tauri tormentorumque repertor
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente Tyranno
Sensit opus docuitque suum mugire iuuencum.
Et Ouid. 1. de arte.
Et Phalaris tauro violentus membra Perilli
Torruit infœlix imbuit author opus.

Videatur Plinius lib. 34. cap. 8.

Bonifacius huius nominis Papa propter multa turpia flagitia de Pontificio solio deturbatus, eiusque in locum Romanorum suffragio suffectus fuit Iohannes 15. (alij qui meretricem Iohannam 8. Papissam præ pudore non connumerant in albo Pontificum, aut vndecimum & duodecimũ pro vno reputant, vocant eum 14.) Sed Bonifacius Romã, qua aliquandiu cum hęc fierẽt, abfuerat, reuersus ciuium gratiam pecuniis sibi redemit, & collecta omnis generis vanorum & nullius pretij hominum turba Iohannem istum suum successorem cœpit & exoculauit inq; carcere clausum fame enecauit. Bonifacio enim inconsueta non erãt homicidia, quin & prædecessoris sui mortis autor fuisse fama fuit teste concilio Rhemensi, quod solenne fuit sub Othone 3. Imperatore circa annum Christi 985. Verum Bonifacius iste tantorum malorum autor & dirus Tyrannus non impunis abiuit. Nam ob patrata tot latrocinia subitanea morte diuinitus immissa plex⁹ est, idq; anno Christi 976. Imo & cadauer eius pœnas adhuc luere debuit tantorum scelerum: Tunc enim pedibus iniecto istud Clerici raptitarunt humi & protraxerunt ex vrbe in Lateranam plateam seu viam publicam, ibi ciues illud lanceis & aculeis confoderunt & contuderunt multis vulneribus. Tandem sepelierunt eum Sacerdotes tanquam hominem Laicum seu profanum.

fanum. De hoc Herman. Contract. Naucler. Platin. Sabellic. Anton. Et seorsim Iohannes de Columna lib. 16. capit.1. Tractat. 16. part.12.

Diaconus quidam Romæ venenum inter sacra calici miscuerat, quem cum Gotfrido Lotharingorum duci porrigere vellet, manum admouere non potuit. Adstantes stupefacti causam diuitinus per preces poscunt. Mox arreptum Diabolus Diaconum grauiter exagitauit, sed liberatus est eorum precibus. Facta hæc sunt Anno Christi 1054. sub Henrico Nigro, Imperatore & Leone 9. Papa, quo tempore Petrus Damianus & Lantrancus Cantuariensis Episcop. claruerunt, vide Lambertum Schafnaburg. seu Hersfeldensem in histor. de reb. Germ. &c.

Episcopus Coloniensis (Anno Christi 1075.) cuius insignis fuit erga Henricum 4. Imperatorem perfidia, vlcere tandem fœtido in vtroque pede exorto & in crura ac fœmora vsque serpente, ita vt ossa nudarentur, diu tortus expirauit. Idem ibidem.

Henricus quintus Imperator qui Henricum quartum Imperatorem bellicosissimum & victoriosissimum patrem suum ab Imperatoria dignitate ex instigatione Papæ Vrbani II. & Paschalis II. deturbauerat, infelix habuit imperium, bellis infinitis difficillimisque in Belgio & superiore Germania exortis implicatus fuit, vt ex iis sese explicare nequiuerit, tandem & ipse à Papa desertus: angore animi tabidus sine hærede decessit penitus & sine liberis vt Simon Schardius recenset ex Frisingensi, Vrspergēsi, Nanclero, Cuspinian. & aliis.

Hellebrandus, qui alias mutato & abnegato proprio nomine Gregorius Septimus papa vocatur atrocissimus Henrici IV. Imperatoris persecutor & oppressor, cum in vltimo vitæ suæ articulo hæreret, ad se vocauit Cardinalem quendam cui confessus est se grauiter peccasse, quod suadente Diabolo simultates, odia, inimicitias & bella inter multos excitauerit, iussitque Cardinalem adire Imperatorem Henricum & ab eo admissorum veniam petere: se vehementissime torqueri: Sic expirauit maledictam animam. Recitat hæc Sigebertus Gemblac. ex Antonino & Vincentio Lyrin. &c.

Bonifacius Octauus papa teterrimum monstrum Gibellinorum acerrimus persecutor & totius Christiani orbis detestandus perturbator de quo vulgo dictum fuit: Intrauit vt vulpes, regnauit vt Leo, mortuus est vt canis: is tandem iusto iudicio diuino periit.

Nam profugi & rursus in Italiam reuersi ciues Romani Anagniæ bestiam illam, Bonifacium nihil tale metuentem refractis valuis cœperunt atque

Romam

Romam perduxerunt inuitum, vbi triginta quinq; dierum ſpacio præ dolore ac rabiei magnitudine deſperabundus, infelicem animam innumeris malefactis onuſtam dimiſit, vt recenſet Simon Scardius ex Nauclero, & peculiari libro Bartoli de Gibellinis & Gvvelphis, Platina, Cuſpiniano & aliis.

Lucius ſecundus papa ſub Imperatore Conrado 3. tempore Petri Lombardi, quem vocant Magiſtrum ſententiarum, circa annum gratiæ 1145. in bello lapidibus obrutus & contritus periit, vt Nauclerus Generat. 39. & alij multi atteſtantur.

Hadrianus Quartus Papa fortiſſimo & glorioſiſſimo Heroi Friderico Barbaroſſæ iraſcebatur, inter alia quod non dextram Pontificis ſtrepam tenuiſſet cum ad impetrandum coronam Imperatoriam, Romam veniſſet, & proinde illi nolebat largiri coronam: impetrabat tandem tamen optimus maximus heros: ſed Papa iſte poſtmodum ſe adiungebat ſemper Cæſaris hoſtibus & inprimis Cremonenſibus & Fridericum Banno implicabat Eccleſiaſtico, ſumpta ab iiſdem Cremonenſibus ingenti prius auri maſſa in pretium, ſicut olim Iſcariotes pro proditione Magiſtri ſui triginta acceperat argenteos. *O diabolicā Papæ ſuperbiam.*

At opt. Maximus Deus, qui per os dilecti ſerui ſui Pauli contra excommunicationem hanc Papæ pecunia corrupti dixiſſe videtur, Maledicimur, & nos benedicimus 1. Corinth. 4. verſ. 14. Hic, inquam, Deus hanc maledictionem in caput maledicti Pontifici conuertit, hominemque ad omnem poſteritatem confudit. Nam cum Anagniæ, excommunicatione in Fridericum denunciata, forte cum ſuis refrigerandi gratia exſpatiatus aquam ex fonte hauſiſſet, muſca in os eius inuolans gutturi ita adhæſit, vt ſpiritum illi præcluderet, quæ quia Medicorum arte eximi non poterat hominem ſuffocauit. Crabro iſte forſan ipſe Beelzebub fuit veſparum infernalium princeps qui iuſto Dei iudicio ſceleratas iſtas præcluſit fauces, è quibus non ita pridem excommunicatio aduerſus generoſiſſimum Imperatorem, vnctum Domini, proructata fuerat. Muſca iſta certè vices tunc carnificis fortiter ſuſtinuit. Chron. Hirſaugienſ. Vrſperg. Iohannes de Cremona, Platina, Naucler. Hermold. Funccius, Friſingenſ. Author vitæ Friderici, & cæt.

Cœleſtinus Quartus dira fuit molitus in Imperatorem Fridericum ſecundum vtriuſque Siciliæ & Hieroſolymæ Regem, Sardiniæ & Italiæ Dominum, ducem Sueuiæ, principem ſtrenuum: ſed iſta quæ molitus fuerat furibundus Pontifex, ob vitæ breuitatem, perficere non potuit. Nam in Pontificatu tranſactis ſolummodo octo & decem diebus, venenato pocu-

lo absumitur, vt attestantur Platina, Nauclerus, Vrsperg. Petrus de Vineis & alij.

Arnoldus Episcopus Moguntinus tempore Imperatoris Friderici Barbarossæ, Herois æterna nominis gloria immortalis, prædecessorem suum Henricum, virum pacificum, benignum & multis virtutum nominibus commendatissimum mirabilibus technis & dolis è sua dignitate Episcopali remouit, & in eius locum per auxilium duorum Cardinalium quos pecunia corruperat, & ad id quasi conduxerat, semetipsum suffecit. Verum Deus vltionum iustam tum in iniquos iudices cardinales, tum in dolosum huius rei architectum Arnoldum exercuit vindictam: Cardinalium enim illorum vnus sedens aliquando in sede naturæ vt aluum deiiceret, simul omnia sua intestina in cloacam eiecit & animam suam miserabiliter exhalauit.

Alter vero furore percitus sibi ipsi manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, quasi semetipsum deuorans itidem calamitosissime expirauit, Arnoldus vero in Monasterio S. Iacobi in Monte specioso, prope muros Moguntinos, à ciuibus Moguntinis circumuentus & occisus est. Cum eorum aliqui, contis, alij fustibus, alij gladiis, alij lapidibus eum humi prostratum, comminuerent potius, quam trucidarent. Vt recitat Conrad. Episcop. Moguntin. in suo Chron.

Bogartus Episcopus Magdeburgensis, quia nouis exactionibus ciues grauarat captus à ciuibus & in cella, in qua seruabatur claua, qua ianua obserabatur, occisus fuit. Chron. Saxon.

Benedictus Nonus Papa apparuit ceu spectrum post mortem Episcopo cuidam Capuano cui confessus est, se in maximis versari tormentis: apparuit autem eques insidens atro & monstroso animali, cuius cauda & aures asini fuerunt cætera vrsi, præ cuius aspectu tremefactus Episcopus penitus expauit & aufugere voluit, quem tamen Papa spectrum reuocauit & sic docuit. Ego, inquiens, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicam sedem indignus tenui. Nunc autem vsque ad diem iudicij per dumosa atq; squalentia, per sulphurea fœtida & bullientia loca rapior & pertrahor. Post extremum vero iudicium corpus meum & animam similiter ineluctabilis cruciatus & irreuocabilis olla gehennalis Barathri glutiet, ita vt mihi nulla in posterum spes recuperationis restet. Post hæc verba disparuit. Vincentius in speculo libro vigesimo tertio ex Damiano.

Presbyter quidam die obitus sui trigesimo apparuit amico suo, preces ieiunia

ieiunia & Eleemosynas nihil prodesse sibi & reliquis mortuis adserens, quod Dei iudicia essent immutabilia. Ibidem.

Sacerdos quidam fuit in Eboracensi prouincia, vicarius valde diues & in officio sanctæ prædicationis magnus, sed tamen auarus, qui in æstate aliquando infirmatus decubuit lethaliter secundum omniũ ei præsentium iudicium: Venerunt autem ad eum visitandum propter famam religionis, quam iuxta opinionem totius regionis habebat, vicini eius Abbates & Priores, ignorantes, quod lupus in ouicula, anguis lateret in herba. Cum ergo sacerdos æger prælatos ad se venientes reuerenter salutaret, nullam tamen de salute animæ suæ mentionem fecit. Legauit autem prælatis frumentum non modicum quod extra horreum suum in curia sua positum habebat, diuidens illud singulis prout melius sibi competere videbatur. Cumque Abbates illi & Priores ad præceptum ægrotantis exirent, vt frumentum sibi legatum viderent, conspexerunt circa congeries illas hominem stantem, vicario, quem in domo reliquerant ægrotantem, in indumentis, & forma corporis per omnia consimilẽ, qui terribiliter loquens, dixit: Quid hic quæritis? sciatis certissime, quod frumentum hoc totum & ille cuius esse videtur, possessio mea sit. Quia vicarius, qui illud vobis legauit, meus est, & omnia quæ habet mea sunt, vt qui iunctis manibus mihi fecit homagium: & noueritis indubitáter quod die ab hinc quarta moriturus sit, & tunc quod meum est plene recuperabo, & eum quem ditaui, inuenietis in magna egestate. Audientes hoc Abbates, & qui cum eis erant, nimio terrore perculsi, reuersi sunt ad vicarium, quem inuenerunt iam in extremis laborantem, cui omnia quæ viderant & audierant per ordinem retulerunt. Et cum coram eo exposuissent, quod visum spectrum certo esset Diabolus: Verum est, dixit ille, quia iam elapsis viginti annis cum pauper essem pro dignitate terrena & lucro temporali homagium Diabolo feci, qui vobiscum nunc est colloquutus. M. Matthias Parisiens. in Histor. Angliæ qui vixit circa annum Dominicum 1390.

Richardus de Marisco Dunelmensis Episcopus Anno Christi 1226. cum feruidissimæ & in turpi causa contra Monachos motæ litis ergo apud Burgum Sancti Petri in Abbatia pernoctaturus olim fuit: quocirca splendida ibidem, vt moris illorum est, refectione susceptus est, post eandemque in profundiore nocte finitam cubitum iuit. Clerici vero eius mane facto & sole iam in altum ascendente, cubiculum eius intrarunt, illum videlicet excitaturi, sed inuenerunt eum mortuum & omnino exstinctum. Qui maxima confusione stupefacti celauerunt mortem eius die illa vsq; ad vesperam, eo quod absque confessione & viatico decessisset. Fuerat au-

Antonin.Episcop.Florent.Tit.20.part.3.cap.3.§.3.

Syluester 2.huius nominis Papa Romanus, Magus & Nigromanticus, adorator Diaboli, cui Diabolus etiam promisit eum non moriturum, nisi prius veniret in Hierusalem. Hoc intellexit Papa de Hierosolyma vltra mare, & vixit pro vt libuit, tacite cogitans, se nunquam Hierosolymam venturum. Sed cum hic Papa quadam die in Capella Romana quam construxerat Constantinus & Helena, quæ ob plurimas reliquias Hierusalem vocabatur, Missarum solennia celebrasset, ilico adstans ei Diabolus, dixit: Ecce in Hierusalem fuisti, nunc morieris & non viues. Quo audito Syluester male sibi conscius, ostendens magna signa compunctionis in quadam capella, quæ Romæ sita est inter Lateranum & Collisæum, iussit seipsum amputatis manibus suis & pedibus] & aliis membris enormiter & crudeliter mutilari, & sic Syluester vitam in ista capella finiuit: Vnde in eadem Capella quæ Gerberti vocatur (nam Syluester recto & antiquo suo nomine vocatus fuit Gerbertus) nullus Papa in detestationem illius facti postea intrare voluit. Sedit autem Syluester ille nigromanticus Papa tantum annis tribus & mensibus 5. Vide librum cuius Titulus Compilatio Chronologica.

Quidam incarceratus diabolo se si eriperet ipsum, deuouit. Ob hoc in infernum raptus, illic reperit Pontifices infulis & trabeis, purpuraq; & auro ac gemmis ornatos æternis suppliciis cruciari. Alexander ab Alexandro lib.3.cap.13.

Cardinalis quidam moriens, exoleto suo masculo scorto legauit aureorum triginta millia. Cogitet pia mens, quo abiecta sit istius Sodomitici Cardinalis misella animula? Vide Iohannem Iouianum in 8. Dialog. ex Charonte.

Alexander Sextus veneno & desperabunda morte interiit. Sicut enim per pactum cum Sathana initum ad dignitatem conscenderat, ita homo iste moribus & vitiis Satanicis scatens terribili exitu extinctus est. Papa iste & filius eius Cæsar Borgia Cardinalis & Dux Valentinus in vineam Adriani Corneti Cardinalis simul cœnitaturi animi gratia vna concesserunt. Ibi Borgia per hanc occasionem dictum Hadrianum Cornettum, in cuius horto cœnitarent, veneno tollere constituerat. Neque enim ignotum est, hanc fuisse patris & ipsius frequentem consuetudinem vt veneno non modo aduersus hostes vltionis vel metus gratia, vterentur, verum etiam nefaria diuites propriis facultatibus spoliandi cupiditate in Cardinales & alios aulicos, etiamsi nullam vnquam ab illis accepissent iniuriam, cuiusmodi fuit ditissimus ille S. Angeli Cardinalis, quin etiam amicissimos con-

Cæsar Borgia bellatulus Papa furculus.

iunctissimósque eodem modo acceperunt, vt Capuanum & Mutinensem Cardinales, qui eis fidelissimi vtilissimique ministri fuerant. Borgia igitur suum sequutus morem, cum lagenas quasdam vino venenato plenas præmisisset easq; ministro cuidam rei minime conscio, cum mandato, ne cuiquam daret, tradidisset, forte fortuna Pontifex ante cœnæ tempus eo venit, qui siti, ingentique vt tunc erat æstu victus, potum petiuit. Sed quia nondum ex Vaticano ea, quæ ad cœnam erant necessaria, allata fuerant, minister, qui id vinum velut præstantius conseruari crederet, ex eis lagenis, quas Borgia præmiserat Pontifici infudit, Borgia patre bibente eo superuenit, atque ex eodem vino bibit. Hic Alexander veneno sic infectus & post aliquot dies mortuus in Diui Petri templo reponitur. Ad eius corpus spectandum vrbs Roma incredibili lætitia accurrit: nec oculi cuiusque Draconem illum (qui immoderata ambitione & pestifera perfidia, omnibus horrendæ crudelitatis monstrosæ libidinis & inauditæ auaritiæ exemplis sacrisque atque prosanis rebus absque discrimine venditis vniuersum orbem venenis infecerat) extinctum spectando expleri poterant. Cum iam moribundus lecto affixus decubuit, vnũ ex ministris superius conclaue ingredi iussit, librumque mensæ impositum, in quo magicæ docebantur artes ac præstigiæ sibi afferri mandauit, minister ascendens, apertis foribus, ibi Satanam in sella Pontificis sedentem, papalique amictum ornatu offendit, quo spectro territus recessit & Papæ quæ viderit, recitauit, Papa hæc audiens, eum denuo ascendere coegit visurum, num adhuc ibi Satanicus Papa appareret. Reuersum ministrum Satanas eodem adhuc sedens habitu compellauit, quid sibi vellet ex eo quærens. Respondit minister: se ingressum vt librum Papæ tradendum adferret: Ad quæ Satanas: quid, inquit, Papam dicis? Ego sum Papa. Hæc cum ex ministro ægrotans Papa audiuisset, vehementer territus, quorsum iam res suæ tenderent facile intellexit, itaque in interius se deportari iussit conclaue. Quo vbi delatus fuit, protinus subsequutus est Sathanas, adsumptaque veredarij specie cum impetu fores pulsauit: intromissus, Papam lecto affixum accessit, Tempus elapsum esse indicans: alio ex hac vita ipsum vocari: vnde contentio inter eos orta est, ex qua ij qui lecto adstiterunt, facile cognouerunt de annorum numero ipsis certamen esse. Verum Satanas euidentius ipsi explicata numerorum ratione abiit, breuique post ipse quoque Papa spiritum suum amisit. Franciscus Gvvicciardinus Patricius Florentinus historiarum sui temporis lib. 11. & alij plurimi.

Ecce Dei Vindex perficit ista manus.

Papa magus, Diabolicum mercimonium.

Christe! Serua nos!

Die schuch herab/ zum Teuffel zu *patet atria ianua Ditis.*

Alberti Episcopi Bremensis Nigromantici impendente morte visæ sunt lachrymæ ex crucibus immissæ, porci canesque in templo, qui ab altari vix pote-

poterant repelli: nec non lupi in suburbio Bremensi gregatim vlulantes horribilique iurgio cum bubonibus certantes, annum circiter 1072. Albertus Crantzius.

Bonifacius VII. Papa à solio Papali deturbatus, cœpit suum successorem Iohannem 14. & in Hadriani mole interfecit. Postea sedem rursus inuasit, sed non multo post subita morte periit, adeo omnibus exosus, vt defuncti corpus lanceis perfoderetur, à Clericis tandem collectum & sepultum. Io. Naucler.

Clemens VII. Papa morbo pediculari, qui morborum est turpissimus & infamissimus, interiit, &c. Iohannes Baptista Folengius in comment. Psalm. 105.

Petrus presbyter sedente in Pontificatu Sixto 4. sub Friderico 3. Imperatore in duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegit & vanitatibus, sexaginta millia æris alieni, argenteorum 300. pondo dimisit. Decessit tabidus voluptate anno ætatis vigesimo octauo, circa annum Christi 1474. Rauisius in Offic.

Meginherus Herueldensis Antistes, & Burchardus Halberstadensis tempore Henrici 4. Imperatoris certarunt de decimis quibusdam, inuicem ad tribunal Christi supremi prætoris prouocantes, sed ambo die dicto subita morte abrupti sunt. Iohann. Auentin. lib. secundo annal. Boior.

Geroldus Moguntinus in gratiam Regum Galliæ Pipini & Carolomanni, propria sponte contra Saxones Thuringiam armata manu occupantes, cum copiis suis profectus est, immemor officij sui & ouilis sibi commissi. Sed dignam inde tulit pœnam. Nam in prælio à procero quodam Saxone miserrime gladio transfossus est: hinc versus hi loco Epitaphij, sunt eo tempore nati:

Ense Geroldus obit præsul, qui dimicat ense:
Perplacet ergo chorum, non adiisse forum.

Paulus secundus Papa Romanus Anno Christi 1471. sexto Calend. August. apoplexia percussus, solus in cubiculo obiit subitanea & improuisa morte. Tantus hostis (inquit Platina) bonarum fuerat literarum, vt omnes illarum studiosos appellaret hæreticos: Venetus erat natione, sed Venetos tamen minime dilexit, &c. Iacobus Maier in Chron. Flandr.

Pulchre! sic decebat scrinium Papale! o Aegyptiacas imo infernales tenebras!

Monachus quidam in Galliis qui operam suam condixit Ludouico vn-

decimo

decimo Regi Galliarum, se nimirum ad votum Regis fratrem illius Aquitanum veneno tollere velle: Anno Christi 1471. Sed cum postridie scelus illud in actum ducere vellet, sub proxime præcedentem noctem, fulgure & tonitru de cœlo tactus, mane iacens in medio cubiculo instar carbonis niger & lingua exerta semipedis longitudine repertus est. Ibidem.

Gregorius Nonus Papa. in desperationem rerum ac Tyrannidis suæ in posterum exercendæ adductus, anno Domini 1241. animam exhalauit Diaboloque reddidit, cuius & opera & consilia dum viueret, secutus est. Hieron. Marius in Eusebio Captiuo.

Craftus Præpositus Goslariensis (qui à primate Magdeburgensi VVernero cum consensu Henrici 4. Imperatoris in Episcopum Milnensem designatus fuit circa annum Christi 1060,) postquam grandes pecuniæ & diuitarum thesauros corrasisset, cœpit paulatim ad impietatem degenerare, tandemque diuitiis plusquam Deo confisus fuit. Is quadam intempesta nocte horribilem derepente sustulit clamorem, proinde cum ministri sumptis facibus accelerarent & cubiculum intrarent, Craftum istum aceruo diuitiarum & nummorum incubantem eundemq; extinctum inuenerunt. Diarium Histor. Laurentii Baieri pag. 520. Lambert. Schafnaburgens. Promptuarium. fol. 344.

CONCLVSIO HVIVS SECTIONIS.

Multi Apostata ab Euãgelica relirione inter hodiernos Iesuitidas Iacob Scrop. Iohan Falk Magdeburgẽsis Ioh. Nase & [illegible]asibius Islebiens. Io Hãmerus Goslariensis, Melchior Buttebern Brunsuuicensis, Io. [illegible]erich, Hannoueransis, &c.

Copiosius tremenda hæc exempla in medium hac vice statuo, vt piis mentibus terror incutiatur, ne inhient Pontificiorum deliciis, sicut hoc tempore inter profanos Iesuitidas & id genus alios in regno Antichristi leues & inconsiderati homines plurimi adinueniuntur Apostatæ, qui in frontem susceprant characterem bestiæ, & babylonicæ fornicationis mercedem ad se pertrahunt, tandemque æternam sui damnationem: hi contra quibus gloria lucis Euangelicæ affulsit, deuotas pro hac misericordissima visitatione, qua Deus nostris Ecclesiis tantas abominationes exesse clementissime voluit, Deo agant gratias: & ex his exemplis fidem suam confirmẽt in semel agnita veritate, in qua ad gloriosum æternæ salutis brabeiũ persistant, nec per dolosas & fraudulentas Iesuitarum deceptiunculas se falli sinant.

Quinetiam commonefiant piæ mentes horum exemplorum consideratione, quod Deus præsto sit veræ suæ Ecclesiæ, quã nouerit etiam potentissime defendere, contra crepitacula totius mundi & portarum infernalium: Cui etiam perfacile est hostes suos in media sapientia sua carnali con-

li confundere & prosternere, vt interim Ecclesia sua quædam habeat in intempesto mundi huius pelago halcyonia, id quod luculentis nobis pollicitus est Christus confirmauitque attestationibus Matthæi 28. versicul. 20. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Psalm. 93. versicul. 11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: Nec repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet: Dominus est factus mihi in refugium & Deus meus in adiutoriũ spei meæ: Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia ipsorum disperdet eos Dominus Deus noster, &c.

Pudeat etiam Papistas, si modo ab honesti sanguinis colore rubor insit illis, quotiescunq; verbum Dei & ex illo nostram puriorē Religionem conformatam & plus millies sub faciem illorum irrefragabiliter confirmatam, calumniari & sycophantice traducere non verentur, cum tacite secum nouerint, se quatenus sint & moriantur Papistæ, non posse in Antichristi istis traditiunculis & tenebris saluos fieri, vt quibus toties nunc dilecta cœlestis verbis veritas oblata fuit, quam fastidiose tamen respuunt, saltem ne abigantur de vapidis ollis Ægyptiacis & pinguioribus beneficiis & micis, quibus se de mensa Papæ saginant & saburrant, vt eo maiori panticum & ventriosi aqualiculi tenellam habentes rationem vino rubri Draconis & scorti Babylonis oppleti in æternos tartari cruciatus confidant, demergantur & morti committantur sempiternæ: qui habet aures ad audiendum audiat. Pœnitentia vera summa opus est, & vt quilibet exeat de Babylone illa magna ne particeps fiat plagarũ eius. Nam fumus tormentorum eius ascendet post hanc vitam in secula seculorum coram facie agni & electorum, &c. Apocal. 14. v. 10. & 11.

Tutum est in solis Christi meritis fidem suam defigere & in illius amplexu emori. Hanc artem qui norunt, in æternum seruabuntur.

In extremis agens monialis quædam (inquit Iohannes Gastius in Memorabilibus libr. 1.) audiuit sorores suas, nam multæ eiusdem sanctitatis & ordinis moniales ad eam confluxerant, confortandi eam & consolandi gratia: ibi vna ex illarum numero, quæ prudentior & loquacior præ cæteris videri voluit & etiam sic habita est, dixit: Confide, mea optima soror in opera tua, in ieiunia, in preces, in regulam à S. Clara institutam & salua eris. Cum autem hæc proferret, plura additura eiusdem generis absurda, venit Monachus vocatus ad eam, qui cũ audiuisset tales voces Christiano non ferendas dixit: Abite seductrices sorores: Cōfide tu Christiana in Iesum Christũ, Respice in corde tuo ad crucem, in qua Christus pependit propter peccata

Monialis Papistica difficiliter & desperate agonisat.

Incēdiũ fidei à S. Sancto per recordationē satisfactionis Christi.

tua, quæ nec tu nec patres potuerunt soluere, & seruaberis. Tua opera nihil momenti adferunt ad æternam vitam consequendam: sumus nos in peccatis concepti & nati, & quotidie in omni vita peccamus grauiter contra Deum & proximum, & digni ob merita nostra, vt in ignem sempiternũ coniiciamur, Christus autem est saluator noster, redemptor, liberator & viuificator. Mediator denique apud patrem cœlestem, qui satisfecit, vt scriptura loquitur, pro peccatis totius mundi. Soror moribunda cum hæc audiret, dixit: O miseram me mulierculam, quam perdite vixi in hoc cœnobio? quam nihil sunt opera mea? Christe Iesu miserere mei, & dimitte mihi peccata mea, in te solum confido. Hæc vix eloquuta tradidit spiritum Domino. Reliquæ Moniales tacite apud se mussitabant: Quis illum insignem nebulonem, scortatorem, ebrium, &c. introduxit? qui miseram sororem cum Christi doctrina sic seduxit?

Considera autem tu Christiane mi Lector, cæcitatem muliercularum istarum, quam pessimas & deliras habuerint præceptrices in religionis negotio, quæ hæc initia non inculcarunt? Vera est, inquit Gallius historia, quam habeo à Nonna, quæ propriis auribus & oculis hæc audiuit & vidit. Monachus deinceps non est visus in cœnobio. Coniiciunt quidam, miserum Monachum nocturnum Sacrificum esse factum propter Lutheri doctrinam, quam parum gustauerat, vel potius propter Euangelij lectionem sedulam, in qua omnem operam die noctuque dederat ad necem esse traditum, quo cæteri sibi ab ista doctrina cauerent, regulasque iuramento promissas cum votis diligentius seruarent. Hæc ille.

Monachus iste consolatorius sublatus.

D. Ambrosius Moibanus Parochus Vratislauiensis, in libello de mandato Christi commemorat de quodam Prælato papistico, qui quoad vixit, Spiritui sancto & Euangelio semper contradixerit, sed tandem in decubitorio suo lecto breui ante finem vitæ confessus sit & dixerit. O! misericors & clementissimus Deus ignoscat mihi, quod miser ego contra Euangelium quod hodie in vniuerso splendet ac annunciatur mundo, tam obstinate proterue & temerarie sæpius loquutus & protestatus sim, non esse genuinum & verum Euangelium quod Apostoli annunciauerint, quia non esset potens in edendis signis & miraculis, malisque eiiciendis spiritibus! Ah! Mi Deus quam sentio nunc in corde meo inter has extremas angustias, veritatem istius Euangelij irrefragabilem & immotam? Quoties hactenus omnibus contractis viribus cum multis aliis prælatis isti Euangelio restiti, semper expertus fui. Deum mihi resistere, qui non potuerim vel vnum aperte & solidi aliquid proferre contra eos qui illud annunciarunt & propugnant.

D. Moibanus Vratislauiensis de Prælato papistico desperabundo.

pugnant. Missificationes & purgatorium concionibus suis mihi prorsus extorserunt, & mera humana figmenta illa vtrinque esse ad oculum mihi demonstrarunt, nec cum omnibus Papistis isti spiritui resistere, & nostra propugnare potui. Propterea ad gratiam tuam ô indulgentissime mi cœlestis pater supplex confugio. Auerte faciem à meis tot delictis & erroribus: nec imputes animæ meæ tantam incredulitatem, qua reluctatus sum veritati tuæ. O misericordissime Deus, noli me condemnare, sed miserere mei propter vnicum sacrificium & victimam filium tuum. Hæc cum vix finiisset, placide obdormiuit.

Quam optandum sit, vt hodie omnes reliqui ignaui & pudendi Missificatores, sacrificuli, prælati, otiosi Monachi & reliqui illorum gregales, qui promptius de vilibus holeribus & sputis Antichristi concionantur, quam verbum veritatis Euangelicæ inculcant, hæc omnia penes se perpenderent, & dum adhuc gratiæ Dei aurora illis illucescit, Christo & eius sceptro sese submitterent & æternæ damnationis naufragium beatissime effugerent.

Deus sanet qui conuertibiles & sanabiles sunt, propter gratiam gloriæ suæ: obstinatos autem & induratos futuros sternat & frænet, & interim eos qui sunt recti corde, paterne protegat, seruet & conseruet, sicut quotidie in eius conspectu precum incensa humillime exhibemus, vt misericorditer nos custodiat à nugis & blasphemiis Antichristi, conseruet inter nos lucem verbi sui, maneat nobiscum in hisce terribilibus fatiscentis & ruinosi mundi temporibus, ceu in postrema & periculosa vespera, & tandem ex his lachrymis, rerum collisionibus & pressuris ad lætissimum vitæ cœlestis portum, lucem & tripudia nos cum omnibus sanctis & electis gloriosissime traducat, vbi in æternum contitebimur, quod ipsi debeatur soli honos, virtus, iubilatio, victoria & gratiarum actio in omnia secula. Fiat, fiat.

SECTIO VICESIMA TERTIA.

De concordia Papistarum quam contra nos iactant, & de reconciliatione Lutheranorum cum Pontificiis, num ea possibilis sit & sperari possit.

TETERRIMVM vitium est ἐπιχαιρεκακία, qua quis lætatur in calamitate bonorum hisque insolenter insultat, id quod filio Dei accidit in crucis patibulo, cum prætereuntes capita sua mouebant, dicentes: Vah *Lætitia in calamitate bonorum.*

qui destruis templum & in tribus diebus ædificas illud? Serua teipsum? Si filius Dei es descende de cruce Matthæi 27. versicul. 39. Sicut etiam Simei instar canis Dauidem Regem Israelitarum allatrat fugientem in exilium 2. Samuelis 16. versicul. 7. Egredere, inquiens, egredere vir sanguinum & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo & dedit Dominus regnum in manu Absolonis filij tui & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. Similem immanitatem & acerbam proteruiam in Fuluia Antonij coniuge notauit Plutarchus in vita Ciceron. quæ vsque adeo nece Ciceronis læta fuerit, vt linguam ex interfecti capite exemptam aciculis confoderit. Vide locum dictum.

Papistæ insultant se ἐπιχαιρέκακοι miseris Euangelicorum.

Eadem ingeniorum intemperie agitantur etiam Papicolæ & Iesucidæ hodierni, qui Ecclesiis reformatis amarulenter & superbe insultant potissimum & hoc nomine, quod maximis dissidiis sint distractæ, imprimis quod apertis signis inter se iam multis annis confligant Lutherani & Caluiniani: Ecce? clamitant, in quot sectas, in quot factiones abiistis? quam implacabilibus acerbissimisque contentionibus inter vos conflictamini, quin etiam inter vos Lutheranos seorsim gliscunt dissidia & schismata quæ vsque huc feruent & agitantur non sine vehementia. Attendite contra, quanta sit concordia pax & vnitas in Ecclesia quæ paret Christi vicario Papæ Romano, vnde infallibile signum veræ Ecclesiæ intelligere potestis.

Deterretis certe eos qui è nobis ad vestram confessionem transire libentor vellent: Dubios enim eos per vestras dissensiones efficitis, vtri parti debeant suffragari. Quis non arbitretur neutram partem habere Euangelium, vere ac recte docere, sed potius vtramque esse hæreticam anathematis fulmine dignam?

Non omnis concordia est bona.

Respondemus 1. Quod ad consensum Papistarum attinet (de consensu cum Caluinianis tentando alius erit, Deo dante dicendi locus tempusque) de quo tantas ampullas & inanes gloriationes proiiciunt, solide opponimus illis, quod non quiuis consensus Deo placeat. Consensus enim est & inter latrones & idololatras, ac Pseudoprophetas Achabi Baalitas, de quo consensu nuncius ad Prophetā Michā dicebat Ecce Prophetæ vno ore omnes Regi bona prædicunt 1. Reg. 22. versicul. 13. Sic reconciliata est Herodis & Pilati gratia & assensus est alter alteri. Luc. 23. vers. 12. Adstiterunt Reges terræ, inquit Dauid, & principes conuenerunt in vnum aduersus Christum eius. Psalm. 2. versicul. 2. Et Iohannes de amicis & fautoribus Antichristi ait: Hi vnum consilium habent, & vires ac potesta-

tem su-

tem suam Bestiæ tradent, & cum agno pugnabunt. Apocalyp. 17. versiculo 13.

Talis vnitas etiam inter Papistas est eademq; abominabilis: nimirum in vno isto consentiunt vt audiant Papam: Christo autẽ imponant silentium. Sicut Iesuicida Iacobus Gretzerus Ratisbonæ reiecto spiritus S. iudicio & scripturarum autoritate explosa prouocabat ad Clementem Octauum Papam Romanum, præ qua blasphema & Sathanica in Spiritum sanctum voce coram doctissimo auditorio ne quidẽ erubuit seniculus ille Beanus. Vide solidam huius blasphematoris protritionem apud D. Basilium de Varna Analys. Dialect. protocol. Ratisp. part. 2. pag. 40. Session. 9.

Insignis locus est Hilarij scribentis contra Arrianos vel Auxentium Speciosum quidem est, inquit ille, nomen Pacis & pulchra opinio vnitatis, sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Euangeliorum vnitam pacem esse quæ Christi est? quam ad Apostolos ante passionis suæ gloriam est locutus, &c.

Et mox: Sed huius ipsius heri nos vel participes vel autores, nec temporis nostri peccata metuerunt, nec imminentis Antichristi, præuij, ministrique sunt passi, Qui pace sua & impietatis suæ vnitate se iactant, gerentes se non vt Christi Episcopos, sed Antichristi sacerdotes. Hæc Sanct. Hilarius.

Symmachus, aliique id genus Idololatriæ Ethnicæ propugnatores, Æquum est, inquiunt, quicquid omnes colunt vnum putari: tanto stolidius figmentum est Papistarum, quo hanc iactatam suam vnitatem & concordiam Ecclesiæ suæ infallibilem notam faciunt è qua liqueat, eam vere Catholicam esse. Cum potius è Dei solo verbo nulloque præterea modo Ecclesia vera dignoscatur, sicut antiquissimus scriptor Irenæus lib. 3. capitul. 11. Columna, inquit, & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium & Spiritus vitæ. Tum B. Augustinus cap. 3. de vnitate. Ecclesiæ sunt, ait, certi libri Dominici, quorum authoritati vtrique consentimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Et Chrysostom. in opere imperfecto Hom. 49. Nullo modo cognoscitur quæ sit vera Ecclesia Christi nisi tãtummodo per scripturas. Atq, ibidem Christus mandat, vt volentes firmitatem accipere veræ fidei ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas: alioqui si ad alia respexerint scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia, & per hoc incident in abominationem desolationis quæ stat in locis sanctis Ecclesiæ. *Num concordia sit nota vera Ecclesia*

2. Quomodo nobis exprobrent Papistæ dissidia reformatarum Eccle- *Discordia Papistarum maxima.*

Vu 3 siarum,

siarum, cum plurima dissidia etiam inter ipsos sint, vt conuenientissime eos vulpeculis Samsonis adsimiles, quarum cum disiuncta essent capita, caudæ tamen inter se aptæ & vinculis consertæ cohærebant. In Papatu personant hæ voces sectariæ. Ego sum Benedicti, ego Bernhardi, ego Beghardi, ego Iesuatorum, ego Chalonierij, ego Canonicus irregularis, ego regularis, ego S. Iacobi de Spata, ego Nolhardus, ego Lolhardus, Ego Præmonstratensis, ego Robertinus, ego Rufi, ego Schlauonius (cur non etiam Schlauraffius?) ego speculinus, ego Syluestrensis, ego Vallis vmbrensis, ego Grandimontensis, quorum sexcenta alia similia possent recenseri nomina, vel ipso solo sono terribilia & timenda. Scotistæ cum Thomistis altercantur de merito congrui & condigni: de peccato originis in Beata virgine, de voto solenni & simplici. Canonistæ aiunt auricularem confessionem esse de iure humano & positiuo: Scholastici contra de iure diuino eam esse adserunt. Albertus Pighius à Caietano, Thomas à Petro Lombardo, Scotus à Thoma, Occamus à Scoto, Alliacus ab Occamo, Nominales à Realibus dissentiunt, vt silentio iam transeam dissensiones fraterculorum & Monachorum, quod alij in piscibus, alij in oleribus alij in calceis alij in crepidis: alij in linea veste alij in lanea sanctitatem constituunt, alij albati, alij Pullati: alij latius alij angustius rasi, alij cincti alij discincti ambulant. Ex Sententiariis, inquit, Matthias Flacius Illyr. de sectis pag. 80. alij vocantur Terminales alij Nominales, alij Reales. Citius è Labyrinthis temet explices, inquit Erasmus in Moria, quam ex inuolucris Realium, Nominalium, &c. In quibus omnibus tantum est eruditionis, vt putem Apostolis ipsis opus fore alio spiritu, si cogerentur istis de rebus, cum hoc nouo Theologorum genere conserere manus; qui Thomam sequuntur ait idem Erasmus in lib. contra Latomum edito, & à Scoto & à Gersone dissentiunt eos pene habent pro hæreticis. Ruardus Alphonsus de castro in Tractat. de hæresi lib. 1. capit. 7. Quisquis (inquit) à B. Thomæ sententia discesserit, suspectus de hæresi est censendus. Dominicus Asotus contra Ambrosium Catharinum adsessorem & collegam suum Tridentinum scribens: Tu permanes, ait, in sensu damnato à Synodo. Vicissim Catharinus iste accusauit Caietanum Cardinalem ducentorum errorum, quorum aliquot impios vocat & Antichristianos. Plura qui desiderat, legat flatuosi Iesuitæ Bellarmini mendacissima opera quæ euidenter multis in locis euincunt, quam militet ipse contra ipsosmet Papas. De amissione gratiæ lib. 4. cap. 15. definit Mariam virginem absque peccato originali conceptam idque contra Sixtum IV. Papam qui hoc ocis arbitrarium reliquit. Idem de Sanct. Beat. lib. 1. cap. 9. sic ait, In alijs rebus, in qui-

Ambrosius Catharinus & Dominicus Asotus vehementer inter se litigantes.

Bellarminus dissentit à Sixto quarto Papa.

in quibus Pontifices errare poſſunt, aliquando reipſa deprehenduntur errores, at in hoc (videlicet canoniſationibus ſanctorum) nullus vnquam error deprehenſus. Sic contra Hadriani Sexti decreta grunnit idem Sophiſta ſuperbus lib. 4. cap. 2. de Pontifi. Rom. Hadriani ſexti, inquiens, opinio videtur omnino erronea & hæreſi proxima. Quid multa? ſine labore huc adſignari poſſent loca non pauca ex inconſutili opere Bellarmini, quam miſerabiliter ille pugnet mox contra Concilia, mox contra patres, mox contra Scholaſticos & traditiones, imo contra ſemetipſum & gregales, quorum pauci ſine vulnere & eluitio ab ipſo dimittuntur, liquidiſſime demonſtrantia, niſi æquanimitati pij lectoris, ratione breuitatis parcendum eſſet. Faceſſant igitur papicolæ & domi proprias conſopiant diſſenſiones, priuſquam noſtris Eccleſiis clamoſe quædam obiiciant diſſidia.

3. Cur dememinerunt papicolæ & Ieſucidæ iſtud quod Paulus commonefacit, Oportet, inquiens, hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. 1. Cor. 11. v. 19? Et quot ſectæ in Eccleſia Corinthiorum quam electum illud Dei organon plantauit, in qua ſedit & manſit annum & menſes ſex? Annon etiam in primitiua Apoſtolorum Eccleſia plurimæ exortæ ſunt hæreſes, quas Irenæus prolixe cõmemorat & refutauit? Annon Auguſtinus 88. recenſet hæreſes, quæ ex Eccleſia iam ſuo tempore exortæ fuerant? Nec tamen ipſamet vera & Catholica Eccleſia propterea condemnari potuit, vt quæ ſemper tales hæreticos auerſata fuit, quemadmodum Diuus Hieronymus olim reliquit Vitalem, Meletium & alios hæreſiarchas ſuo tempore exiſtentes, & ſemet coniunxit cum pio & orthodoxo Epiſcopo Romano Damaſo, ſicut ipſemet ad Damaſum ſcribens, proteſtatur. Vineam Domini, inquit, exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficulter, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri & fidem Apoſtoli ore laudatam cenſui conſulendam. Et ruſus. Ego nullum PRIMVM niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ idem cathedræ Petri, communione conſocior, &c. Pari ratione & nos toto pectore & conſtanter auerſamur quicunque ſeruunt hæretica dogmata & blaſphemos errores nec pro fratrib. eos agnoſcimus donec reſipiſcant & Eccleſiæ deprecentur datum ſcandalum, iacimuſque in obfirmatos huiuſmodi nouatores & ſchiſmaticos illud: E nobis egreſſi ſunt ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum, ſed vt manifeſtum fieret, quod non ex nobis erant, &c. Ioh. 2. v. 19. Ineptum & impium interim fuerit tale quid impingere Euangelio, aut doctrinæ quam è verbo Dei immoto ſonuit Lutherus noſter, quin potius

In Eccleſia ſunt hæreſes.

mala

mala hæc adſcribenda ſunt Diaboli & Antichriſti Romani & peſtiferorum hominum malitiæ, arrogantiæ & leuitati.

Singulares Theologi.

4. Agnoſcimus & fatemur inter noſmet ipſos, vt vocamur, Lutheranos, exiſtere Theologos magni nominis & alioqui bene promeritos, qui tuentur opiniones quæ nonnihil differunt ab aliis, interim tamen non pugnant contra fundamentum fidei: per hanc differentiam & certamina plurimi ita docentur & ſenſim confirmantur vt abſonas paulatim reſpuant ſententias & dogmata, vt quæ cum analogia ſacræ ſcripturæ & ſanę confeſſionis non coincidunt, atque ita deinceps ſplendidius veritati præſtant teſtimonium fortioreſque ſuppetias, quo exactius in huiuſmodi diſputationum & exercitiorum palæſtra ventilati & præparati fuerant. Quocirca ob has opinionum leuiuſculas, quibus fidei fundamentum nó quaſſatur & euertitur, differentias, fraternæ charitatis nexus & vinculum nullo modo diſſoluitur. Quin imo ſimiles opinionū diuerſitates olim fuerunt in primitiua Apoſtolorum & Patrum Eccleſia Actor. 15. verſicul. 39 Philip. 1. verſicul. 14. Sic in Patrum numero inuenti ſunt, qui ſuis etiam laborarunt infirmitatibus, & aliquid humani ſunt paſſi, nec tamen è cœtu fidelium propterea ſequeſtrati.

Hallucinati ſunt olim etiam patres.

Papias Epiſcopus Hierapolitanus, auditor Iohannis Euangeliſtæ cuius meminit Euſeb. lib. 3. capit. 39. Victorinus præceptor S. Hieronymi & refutator Arrianorum, itemque Tertullianus, Irenæus, Lactantius, aliique Patres vetuſti defenderunt aliquandiu hæreſin Chiliaſtarum, quorum hæc fuit ſententia, regnaturum hic eſſe in terris Chriſtum mille totos annos à communi omnium iudicio, vt ſcribit & deſcribit hanc hæreſin D. Hieronymus in Hierem. lib. 4. Irenæus cenſuit hominem iam inde in principio cum primum creatus eſt, parum integrum & perfectum fuiſſe lib. eius 4. capitul. 73. Clemens Alexandrinus ſtromat. lib. 3. & 5. Itemque Iuſtinus in Apologia ſcriptitat prolapſos fuiſſe Angelos, Deumque ideo offendiſſe, quod mulierum conſuetudinem appetiuerint. Epiphanium vocat Theophilus Epiſcopus Eccleſiæ Antiochenæ Hæreſiarcham teſte Eraſmo in vita Chryſoſtomi. B. Auguſtinum non longe ab hæreſi abfuiſſe ſcribit Gennadius in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. D. Hieronymus peculiari Epiſtola ad S. Auguſtinum ſcribens, In Epiſtola tua, ait, quædam hæretica eſſe iudicaui. Rurſus Hieron. iubet Auguſtin. errorem ſuum agnoſcere & palinodiam canere. Epiſtol. 9. vbi hæc verba poſita leguntur. Accipe ſeueritatem Chriſtianam ad illud opus (tuum) corrigendum atque emendandum & παλινῳδίαν, vt aiunt, cane. Hilarius lib. 10. de Trinitate dicere videtur Chriſtum nó accepiſſe carnē à Beata virgine, & eandem illam carnē impatibilem

& omnis

& omnis doloris exfortem fuisse: verba hæc sunt eius formalia. Hominis habitus est: Origo non hominis. Naturam non habens ad dolendum.

Origenes ad Rom. cap. 6. lib. 5. Quidam putant, inquit, Christum in futuro seculo etiam pati oportere, &c. Ita nimirum in propatulo stat, religiosissimos & sanctissimos olim Patres Theologos suis laborasse næuis & infirmitatibus vt mirum nō sit, esse hodie etiam inter professores nostros & præceptores Theologicos, qui opinionibus aliquibus singulariter suffragantur & non suffragantur: propter quam leuidensem differentiam tamen non extinguenda est fraterna caritas. Tanto minus nodum in scirpo quærere deberent Papicolæ nobis tale quid obiectantes, qua in re similes sunt gentilibus olim vitilitigatoribus, qui olim (sicut hodie Papistæ nobis) Christianis quasdam lites & certamina exprobrabant, sicut Ioh. Chrysostom. attestatur in act. Apost. scribens Homil. 33. vbi his verbis, Venit, inquit, Gentilis & dicit: vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream. Multæ inter vos sunt pugnæ seditiones ac tumult⁹: Nescio quod dogma eligam, quod præferam: singuli dicunt: Ego verum dico. Et Clemens Alexandrinus introducit Ethnicos Stromat. lib. 7. quod contra Christianos similiter dixerint. Vos Christiani dissidetis inter vos, & tot sectas habetis: quæ licet omnes Christianismi titulum sibi vendicent, tamen alia aliam execratur & condemnat. Quare vestra Religio vera non est, nec à Deo originem trahit. Rursus Chrysost. in Epist. ad Gal. cap. Hanc ob causam, inquit, ridiculi facti sumus & gentibus & Iudæis dum in mille partes Ecclesia discinditur: Hæc certe dicit Chrysostomus non de hæreticis, sed de suæ ætatis fidelibus Christianis quos vocat Ecclesiam.

Sic & hodierni Lutherani licet in Christianismi summa & primariis fidei Articulis concordes sint, potest tamen fieri vt exercitij gratia alius iam hanc iam illam opinionem citra tamen fundamenti quassationē sectetur & defenset, donec pleniore scripturarum luce irradiatus clarius in confessorum palæstra emineat, & hoc est illud quod vrit Papicolas, quoties quædam domestica nobis impingere anhelant dissidia.

Antiquissimus Pater Leo in Epiph. Serm. 6. circa similem præposterā rem commonefacit. Diabolus gentiū vocatione ad fidem cruciatur, inquit Leo, & quotidiana potestatis suæ destructione torquetur, dolens vtrinq; se deseri & Christum verum Regem in omnibus locis adorari. Hinc, parat fraudes, fingit dissensiones, &c. B. August. lib. de ouib. c. 15. Hoc solum, inquit, illis (maledicis gentib.) remansit quod contra nos dicant. Quare inter vos non consentitis? Gentiles Pagani qui remanserunt, non habentes, q̄ dicant contra Christi nomen, dissensionem Christianorum Christianis obiiciunt. Hæc ille.

Hinc nimirum Papicolæ & Iesuitæ [illegible] nostri [illegible], quam similes habeant labra lactucas, & cuius Spiritus filij sint, vsurpant Papistæ: fere eadem contra nos verba, quæ etiam gentiles vsurparunt contra fideles, quin ergo sibi inuicem sint similimi, quis est qui dubitet? Rectissime D. Jacobus Andreæ lib. de authoritate scripturæ pag. 178. Quod vociferantur Papistæ, ait, nostros de summa Euangelij nondum consentire, mendacium est.

5. Friuolum quoque est quod porro Papicolæ contra nos tussiunt, ac si pressius quam par est Lutheri nomine & authoritate gaudeamus, & præ illius amore obliuiscamur nomine Christiani, siquidem in subortis certaminibus statim confugiamus ad confessionem Lutheri & sub eius authoritate ceu post Aiacis clypeum tutiores nos esse autumemus. Responsio breuis & plana est. Non pudet nos tanti Herois Theologici eiusque doctrinæ, quam ex verbo Dei protulit: Eatenus virum Dei ad id diuinitus excitatum, libenter sequimur: non quod adoremus & plus nimium veneremur eius humanam authoritatem, dona, excellentiam & dignitatem, sed quod fideliter filum verbi Dei nobis commendet sequendum. Cur hac in parte non sectemur hunc tantum coriphæum? Si Papa & eius Missifices nos propterea vocitent Lutheranos, perinde est, nec res est magni momenti. Malumus sane vocari Lutherani & Prædicantes, quam Papistæ & Missificantes. Interim tamen non tam Doctorum nostrorum nominibus quam Christianorum nomine appellari volumus, cum sciamus ab Apostolo inculcari hæc 1. Corinth. 1. vers. 3. aiente: Contentiones sunt inter vos dum vnusquisque vestrum dicit: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ. Diuisus est Christus? Numquid Paulus mortuus est pro vobis? Non carnales estis & secundum hominem ambulantes? &c.

Proinde: Qualescunque oriantur disputationes, contentiones, dissensiones, non tamen in hominum vel multorum vel paucorum vel præstantium vel excellentissimorum authoritate & arbitrio acquiescimus, nostramve adstruimus fidem & salutem: Sed in certaminibus illis confugimus ad infallibile verbum Dei vt istud sit nobis lux præuia, monstrans nobis iter ad salutem & veritatem, siquidem Christus orat deuote Iohannis 17: versiculo 17. Sanctifica eos, pater, in veritate: sermo tuus est veritas.

Nullam ergo speras inter partes hodie circa Religionem dissidentes conciliationem & concordiam aliquando [illegible]?

Lutherus cum Papa nunquam reconciliabitur: [illegible] hoc tempore:

[illegible] pore:

pore laborant & ſperant, vt inter reformatas Eccleſias nimirum Luthericas & Caluinianas, vt vulgo nuncupantur, diſſidia tollantur & concordia ſarciatur, confirmetur & ſtabiliatur.

Cur deſperas circa reconciliandos Papiſtas & Lutheranos?

Quia eſt irreconciliabile diuortium inter Dei templum & Idola, inter veritatem & mendacium, inter Chriſtum & Antichriſtum, vt prorſus ἀδύνατον ſit hic aliquam tentare & copulare concordiam. Quid commune habeat Chriſtus cum Belial aut quæ portio fideli cum infideli? inquit Paulus 2. Corinth. 6. verſicul. 15. Et Dominus per Prophetam oſtendit verbum ſuum cum Pſeudoprophetarum ſomniis coniungi non poſſe. Hierem. 23. verſicul. 25. Quapropter inter populos Deo & veræ Eccleſiæ exoſos primo loco recenſentur Samaritani Syrac. 20. verſicul. 28. Quia cultum Dei verum & ſuperſtitiones Ethnicas in vnam mixtam Religionem conflare volebant 2. Reg. 18. verſicul. 29. Cum colloquium inter Proteſtantium Theologos & Romaniſtas VVormatiæ Anno Chriſti 1557. inſtituendum eſſet, ſequentes veriſſimi Rhitmi ad locum publicum à quodam affixi ſunt, annuente, prorſus impoſſibile eſſe vt Pontifex Romanus & Lutherus concilientur.

Ja/wann der Teuffel morgen ſtürb/
Vnd ein Wolff zum Schaaff vnd Lamb würde:
So wirdt der Bapſt mit Luthern eins/
Der beider geſchicht gewiſzlich keins/
Noch wil man viel davon tractieren:
Das iſt aber Gelt/mühe/vnd zeit/ verlieren.
Bleibt Chriſtus Wort mit Ehren beſtehn/
So muß der Bapſt zu trümmern gehen/
Kein Mittel iſt zu finden hie/
Was thun wir dann mit vnſer Mühe?

Lutherani negant velle ſe vllam aliam doctrinam admittere quam vnicam illam quæ Prophetas, Chriſtum, Apoſtolos & Euangeliſtas authores habet: Cupiuntque vt omnes pauciſſimis illis contenti ſimus quæ Apoſtolorum temporibus vel circiter ea tempora obſeruata ſunt: & tantum priſcas Eccleſias imitemur: Quin etiam ſolide & inuicte demonſtrarunt hactenus, Apoſtolorum temporibus vel aliquot annis poſt ipſos Apoſtolos nulla vel Papatus vel Cardinalatus mentionem fuiſſe, nec ampliſſimos illos Epiſcopatuum ac Sacerdotiorum reditus extitiſſe, nec templa tantis ſumpti- *Nouitas Papatus.*

 bus

bus ædificata: non fuiſſe Monaſteria, Priores, Abbates, multo minus hoc dogmatum papiſticorum genus, has cõſuetudines, & hoc imperium, quod in gentes ac nationes hodie papicolæ obtinent, in rerum natura cognitum fuiſſe, quin potius omnes omnium Eccleſiarum miniſtros (Romanæ non minus quam cæterarum) vltro Regibus, principibus ac magiſtratibus paruiſſe.

Contra vero Papa & locuſtæ eius volunt, haberi crediqque neceſſarias ad ſalutem eſſe omnes doctrinas, traditiones, conſtitutiones, ceremonias, quę ſtante Papatu vel à Patribus vel conciliis vel à priuato etiam aliquo (ementito & putatitio pietatis zelo) introductæ ſunt.

Quis præterea Chriſti pro cuius gloria Lutherus pugnat & Antichriſti contrarios conciliet mores, contra quos idem Lutherus maſcule depugnat? hi ſane prorſus è diametro inter ſe diſtant, vt citius tenebras nomines lucem, quam Papæ Romani mores Chriſto conformes demonſtraueris.

Chriſti mores quantum diſtent à moribus Papæ.

1. Chriſtus cum eſſet Deus formam & ſimilitudinem ſerui aſſumpſit. Papa vero tanquam Deus ipſe omnipotens non ſolum vult videri ſed & ſub pœna anathematis haberi.

2. Chriſtus diſcipulis lauit pedes. Papa pedes & calceos ſuos oſculo afficiendos obiicit ſummis Regibus & dynaſtis.

3. Chriſtus regiam coronam reſpuit, nec tamen ſpineam recuſauit. Papa vero, ſpineam coronam, hoc eſt crucem & afflictionem nullo modo deſiderat, ſed potius coronam huius mundi ita deſiderat & affectat, vt non ſimplicem coronam, ſed triplicatum geſtet diadema.

4. Chriſtus pauper inopſque fuit, nec quidem puluinar habuit in quod caput reclinaret: Papa vero Antichriſtus, abundat diuitiis & deliciis nihilque auaro ſufficit.

5. Chriſtus vendentes & ementes è templo profligauit. Papa palam ſuas indulgentias & propudioſas merces in templo vendit & omnia ei ſunt venalia.

Aurum Roma ſitit: Dantes amat abſque Datiuo
Accuſatiuis Roma fauere negat.

6. Chriſtus gratis paradyſum promittit, Papa vero pro pecunia vitam æternam vendit.

7. Chriſtus dat vectigal, Papa ſe inde eximit, potius poſcit vectigal & omnibus eſt oneri.

8. Chriſtus non habet rationem cognatorum ſuorum ſecundum carnem,

nem, Papa summe dat operam, vt sui ad honores in hoc mundo euehantur.

9. Christus pacificus est. At Papa bellorum fax & sanguinis humani sitibundus effusor.

10. Christus simplices elegit qui eum sequerentur, Papa circum se habet astutos, callidos, versipelles ministros piorum carnifices.

11. Christus mittit suos ad prædicandum Euangelium in toto mundo: Papa amandat suos legatos vt totius mundi crumenas & loculos mendacibus indulgentiis & sputis quatiant & euiscerent.

12. Christus neminem cogit ad credendum Euangelio: sed Papa vt sibi quilibet adhærescat, comminatur aquam, flammas, ferrum.

13. Christus contra Satanam bella gerit. Papa nigromanticus cum Diabolo fœdus init.

14. Christi gladius verbum est: Papæ gladius corporalis est.

15. Christus pascit oues verbo: Papa verbo eas spoliat, & veneno inficit.

16. Christus lege mortales liberat: Papa vero legibus suis omnes innectit.

17. Christus ad resipiscentiam inuitat. Papa ad somnia & fabulas.

18. Christus temperans. Papa contra est gulæ deditus.

19. Christus in cruce triumphat. Papa in deliciis.

20. Christus pedes incessit. Papa hexaphoro portatur.

Plura non addo: siquidem huiusmodi sexcenta alia apud alios iam pridem extant: inprimis Antithesin hanc Christi & Papæ diligenter satis exaggerauit, Simon Rosarius circa annum Christi 1557.

Quomodo ergo Papam Romanum conciliabis Christo & fideli illius præconi D. Martino Luthero? qui constantissime dicit: Faxit Deus, vt Antichristus funditus deleatur: Christus vero in omne æuum regnet, floreat, imperet, &c. Wer ein fromer Christ ist vnd seyn wil/ der solte den Namen Bapst außspeien / so offt er jhn höret nennen: der Bapst sterbe vnnd verderbe in Ewigkeit/ Es verfluchen vnd vermaledeyen diß vngehewre Thier alle Engel vnd heiligen Gottes. Parte 4. in Genes. fol. 191. a.

Item. Wer nicht wil Ewig verloren werden vnnd jnn Teuffel fahren/ der hüte sich mit allem fleiß vnd ernst für dem Bapstthumb vnd seiner Lehre/ vnnd nehme auch das allergeringste vnnd kleineste davon nicht wider an/ es gelte was es wolte / fliehe für jhm vnnd seinem anhang als für dem Leibhafftigen Teuffel selbest/ vnd laß dich beyleibe nicht verführen von den Heuchlern durch süsse geschmierte Wort noch vberreden / als were nicht viel daran gelegen / wenn man gleich etwas vmb Friedens willen weichet vnnd nachgiebet / vnnd vmb geringes dinges willen (wie sie fürgeben / Zelus diuinus in Luthero.

daß diß sey) sol man das Band der Liebe nicht zerrütten. Wolan es ist hie fürwar nicht schertzens / sondern gilt entweder die Seeligkeit / oder ewige Verdamnus. Derhalben sondere sich ein jeglicher / der ein rechter Christ seyn / vnd Selig werden wil / eylendts vom Bapst vnd seinem Anhang / alten vnd newen gantz vnd gar abe / mit Lehre vnd Leben / mit Leib vnd Seele / daß er nicht theilhafftig werde jhrer Sünden / &c. Tom. 3. Eisleb. German. folio 189.a.

Indesinenter potius oppugnandum esse Antichristianismum Papatus Romanensis grauiter idem vir Dei exhortatur his verbis: Man muß der rothen Huren mit welcher die Könige vnd Fürsten auff Erden gebulet / vñ noch bulen / voll vnd wol einschencken / vnd so viel sie lust vnd Gewalt gehabt / so viel leides vnd schmertzen anlegen / biß sie werde zutretten wie koth auff der Gassen / vnd nichts verächtlichers sey auff Erden dan̄ diese Blutgirige Iesabel, vnd also die Schrifft erfüllet werde / welche solches von jhr verkündiget hatte. Auch darumb daß wir solcher grossen Gnade nicht vergessen vnd vndanckbar seyn / daß vns Christus auß solcher Finsternus vnnd teufflischem Wesen / in sein wundersames Liecht geführet hat. (Tom. 1. Eislebiens. fol. 160. b.) Darmit last vns auch auffs newe widerumb ansahen / schreiben / tichten / reimen / singen / mahlen vnd zeigen dz edle Götzen Geschlecht / wie sie verdienet vnd werth seyn: Vnselig sey / der hie faul ist / weil er weis / daß er Gott einen dienst daran thut / der im sinne hat / vnd angefangen denselben Grewel auff dem Erdboden zumalmen vnd zu Aschen zu machen / last vnser Zungen / Federen vnd Stimme / demselben gerüstet frische gezawe seyn vnd jhm dienen / doch ohne frevele Hand vnd alleine mit worten / Tom. 4. fol. 599. b. 633. a. Eislebiensi.

Cum Martinus Lutherus (sic scribit Tilemanus Heshusius in præfatione libelli sui de sexcentis erroribus Papatus) An. Christi 1537. ex conuentu Smalcaldico ob calculi dolorem discedere t, currum adscensurus his verbis valedixit Theologis & amicis: Impleat vos Deus benedictione sua & odio Papæ. Et D. Pontano Cancellario per ministrum nunciari iussit, se precari ei omnia felicia & inprimis vt disceret nosse Papam, &c. Mirantur homines Politici, inquit Heshusius, nouum & inusitatum salutationis genus ac suspicantur illud ex quadam animi intemperie & priuato erga Papam odio profectum esse: sed reuera magnus ille vir Lutherus grauissimas habuit voti sui causas, vt magna luce Spiritus S. & singulari pietatis zelo præditus fuit: ita propius ille quam alij vel Theologi vel Politici aspexit abominanda idola, nefandos errores & immanem blasphemiarum molem, quam Papatus ci[illegible]nfert & obtrudit mundo: Attentius vir ille expendit ineffabilem iram Dei, quæ permisit Antichristo tanta vi mendaciorum tantaque carnificina

ficina conscientiarum grassari in mundo, vt hoc modo contemptus Euangelij puniatur. Hactenus Heshusius. Sed satis hac vice. Tibi vero misericors & indulgentissime Pater Cœlestis debetur gratiarum actio, pro diuinitus dato Luthero seruo tuo, quem cognitione filij tui Dn. nostri Iesu Christi penitus imbuisti & inuicto Spiritus S. tui robore animasti & sic nos, confuso protritoque Antichristo in mirabilem hanc vindicasti lucem. Des etiam deinceps, Clementissime Protector, halcyonia Ecclesiæ tuæ: serues nos in pietate vera & adferas nobis salutarem pacem vt simus ab omni Antichristi insultu & fermento liberi, & maneamus vasa gloriosæ gratiæ tuæ in infinita secula
Amen.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

for-

Ein-

F.

G.

K.

L.

pericu-

M.

N.

Nepotes

Sigis-

T.

Tradi-



FINIS.

